
3 1761 07833922 3

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. JULIO GABRIELLIO

Prodierunt in Causis sub annum 1795.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LXIV.


TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCXCV.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.



INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sac. Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1795. *per Diœceses dispositus*.

Ne-

Die Sabbathi 24. Januarii 1795. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SENOGALLIEN. ONERIS MISSARUM. *Sess.22. cap.6. d. Reform.*

I. *An sit locus abolitioni oneris Missarum quinque in festo S. Joannis in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit locus illarum celebrationi in casu &c.*

Ad I. Negative;

Ad II. Firma remanente celebratione duarum Missarum in festo Sancti Joannis, & in Ecclesia designata; in reliquis arbitrio Emi Episcopi.

NOLANA IRREGULARITATIS: *Sess.14. cap.7. de Reform.*

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione, & rehabilitatione in casu &c.

Affirmative.

SENOGALLIEN. Beneficio dilationis impetratæ in Congregatione 10. Maii elapsi anni 1794., sua modo Archipresbyter Mei per memoriale deducit jura. His igitur ex- *Ses.24.cap.12. de Reform.*

expensis, resumptoque Folio 5. Aprilis ejusdem anni, respondere dignentur Emi Patres.

I. *An Archipresbyter Mei, ad retinendum munus Ludimagistri, omnibus scholæ diebus alium substituere possit in chorali servitio in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quo tempore per hujusmodi servitium, eadem de causa per alium præstitum, fecerit fructus suos in casu &c.*

Et quatenus negative.

III. *An, & cui restituendi sint fructus in casu &c.*

Ad I. Attentis peculiaribus facti circumstantiis; affirmative ad sexennium.

A II. & III. Provisum in primo.

Sess.22. cap.6. Se Reform.

NEPESINA DOTIUM SUPER TRADITIONE SCHEDÆ. Duæ anno 1790. ortæ fuerunt quæstiones inter Capitulum Collegiatę Campaneani administratorem hereditatis Antonelli, & Canonicum Constantinum, aliosque de Salvis, quibus jus est præsentandi puellas ad dotalia subsidia ab Antonello relicta; num hæc scilicet subsidia conferri deberent per sortes, ut contendebat Capitulum, vel ad liberam potius nominationem illorum de Salvis; & num sustineretur nominatio Theodorę Salvi facta per Canonicum Constantinum ejus propinquum: congruisque in Congregatione 21. Augusti illius anni propositis Dubiis, I. *An, & quomodo sint conferenda subsidia dotalia in casu &c.*, II. *an sustineatur nominatio Theodoræ Salvi in casu &c.* rescripserunt EE. VV. ad primum, *subsidia dotalia conferenda esse per sortes ad formam rescripti Sacræ Congregationis 1765., & amplius*; ad secundum *negativè, & amplius*. In exequutionem autem primi rescripti altera fuit contentio de obsignatione, & traditione schedarum dotalium; reque ad Sacram ipsam Congregationem delata, ea nepesinus Episcopus retulit Partium jura, quæ modo Partes ipsæ deducunt.

Ur-

Urgent profecto Salvii observantiam; nam schedas dotales præ omnibus obsignavit, & tradidit Antonius Biasilitta alter ex prioribus patronis; Pius item Salvi, cujus factum probavit clar. me. Cardinalis Elephantutius in voto, quod exaravit anno 1765. ex delegatione Sacræ Congregationis, ut in Folio 21. Augusti 1790., & ipsi tandem hodierni Salvii ad annum usque 1779. In hac autem quasi possessione foveri postulant ex notissimis regulis summariissimi judicii manutentionis, & incusant Capitulum spolii, quod post resolutiones Sacræ Congregationis anni 1790. tradere ceperit schedas.

Capitulum contra despiciendam autumat Salviorum possessionem veluti inductam in tempore, quo nominabant puellas absque sortitione, Causamque definiendam contendunt ex merito principali post variatum ex rescripto anni 1790. modum conferendi dotes. Dotales schedæ, inquit, nil aliud sunt, quam mandata solutionis dotium in exequutionem piæ dispositionis Fundatoris, earumque propterea obsignatio, & traditio ad se ipsum pertinet uti administratorem hereditatis, & executorem testamentarium, cujus est exequi dispositionem; tutoris & curatoris instar, quibus executor præsertim testamentarius æquiparatur, *gloss. in cap. ult.* §. *Sane de testam. in sexto*, *Polit. de transact. dissert*.2. *n*.30. *tom*.4. Suum immo tuetur jus, etiamsi considerari velint schedæ ut simplex testimonium sortitionis puellarum. Quandoquidem demandavit Fundator hujusmodi sortitionem coram Capitulo, ejusque Archipresbytero commisit publicationem puellarum, uno tributo Biasilittæ, ejusque successoribus jure eas proponendi verbis illis a *debbano cavarsi a sorte le Zitelle, le quali debbano proporsi da Antonio Biasilitta &c.* His igitur, aliisque ex respectivis allegationibus perpensis, ac resumpto Folio 21. Augusti 1790., respondere placeat.

An, & per quem sint subscribendæ, ac tradendæ schedæ solutionis dotium in casu &c.

Affirmative per Archipresbiterum Collegiatæ, & amplius.

Sess.23.cap.10 de Reform.

COLLEN. TONSURÆ. Sub assertione, quod Vallis Umbrosæ Abbas haberet *un particolar privilegio di ordinare chi si fosse*, ei Philippus Bianciardi dirigi obtinuit dimissoriales collensis Episcopi literas ad tonsurandum Albertum ipsius filium, qui in eo Monasterio educationis causa dègebat. Post collatam tonsuram advertit Abbas suæ potestatis defectum, impetravitque die 24. Septembris elapsi anni 1794. per organum Sacrę hujus Congregationis Apostolicam absolutionem a suspensione. Parem *Sanctissimus* eadem die concessit absolutionis gratiam Tonsurato, *& remisit in reliquis instantiam ad Sacram Congregationem Concilii, ad hoc ut quo ad validitatem ordinationis, & rehabilitationem ponatur in Folio*. Se autem collensis Episcopus excusaverat, quod dimissorias concessisset ob præstitam fidem honesto viro Philippo Bianciardi de particulari Abbatis privilegio; & ob bonos Tonsurati mores, ejus instantię favebat.

Gravis est quęstio de validitate tonsurę, minorumque ordinum, ubi eos conferat regularis Abbas alieno subdito, ut in nostro themate. Qui ex benedictione Abbatis sacramentalem in eo admittunt potestatem, validam affirmant non subditi ordinationem, licet illicitam, ut *Fagnan. in cap. statuimus de supplen. negligent. Prælat. num.16.*, *Fermosin. in cap. cum contingat part.2. num.9. & seq. de ætat. & qualit.*, *Suar. de relig. tom.4. tract.8. lib.2. cap.29. num. 21.*, *Tamburr. de jur. Abbat. tom.2. disput 2. quæst.8. per tot.*. Qui rem vero a canonicis repetunt principiis, eam ordinationem probant nullam. Potestas sane ordinandi adnexa est *soli consecrationi, seu ordini episcopali secundum proprietatem*, ex indelebili scilicet charactere, ut idem notat *Fagnan. loc. cit. sub num.6.*, validèque propterea Episcopus alienis etiam subditis ordines confert, quum semper innata ejus potestas quo ad omnes maneat, *Hallier. de sacr. elect. & ordinat. sect.5. cap. 1. art.2. §.2. de privileg. conferen. Abbat. num.19.*

Abbas regularis contra, qui non accipit ex simplici benedictione characterem, ordinandi potestatem non habet ex ordine, sed ex concessione Ecclesię, seu privilegio; ac tantum potest, quantum concessum *Vaguerck. in lib. 5. tit. 33. cap. Abbates 3. de privileg. & excess. privilegiat. pag.918.* Ei olim tributa erat facultas conferendi tonsuram, & minores ordines alienis etiam-

sub

subditis cum dimissoriis eorum Ordinarii *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.2. cap.* 11. §. 12. . At restricta tandem fuit ad proprios subditos regulares ex *Concil. Trident. sess.*23. *cap.*10. *de reformat.* , ita ut denegata quo ad alios censeatur . Hinc alieni subditi ordinatio fit absque privilegio, & ob defectum potestatis in Abbate ordinante est nulla , secundum *Pignatell. consult.* 367. *sub num.*2. *tom.*1. = ibi = *Privilegium concessum Abbatibus , intra alicujus Diœcesis fines existentibus , conferendi primam tonsuram , & ordines minores , est restrictum ad suos subditos regulares tantum . Ergo si conferatur aliis , id faciunt sine privilegio , ad hoc essentialiter requisito, & per consequens ordinatio nulla erit.*

Et *Leuren. for. eccles. lib.*1. *tit.*2. *quœst.* 562. §.4. , *Hallier loc. cit.* = ibi = *Quum Abbatibus ad tonsuram , minoresque ordines conferendos potestas nisi ex privilegio completa minime conveniat , ad eas tantum personas , ad quas privilegium ipsum extenditur , potestatem completam habere possint , ad ceteras autem inchoatam tantum , imperfectam , & insufficientem , qualis in simplici quoque Prœsbytero reperitur : si quis ergo sibi non subditos , si quos non regulares ad tonsuram clericalem , vel minores ordines promovere tentet , videtur eorum conatus irritus , & nullius utilitatis , atque efficaciœ censendus ; quippe quum ad illas personas illorum privilegium nequaquam extendatur , quo solo potestas eorum completur , atque perficitur ; quo dempto , non magis apti sunt ordinare , quam quivis Prœsbyter* . Neque *Hallier* ipse comparandum ait Abbatem cum Episcopo ordinante non subditos ; *nam quum Episcopus ordinandi potestatem habeat a charactere suo , & potestate ordinis Episcopalis , quœ licet ut congrue in actum prorumpat , limitata ac restricta sit , ut tamen effectum sortiatur , nullis legibus subiicitur , nullis finibus includitur . Manet quidem character , & potestas ordinis episcopalis . Abbates autem non a potestate ordinis, quœ eis ad hoc agendum insita sit , non a charactere , qui ipsis impressus sit , potestatem suam completam habent , sed a privilegio eorum potestas completur . Unde sublato privilegio , ejusdem conditionis sunt cum ceteris , quos certum est , valide ordinare non posse . Itaque nec ipsi eo sublato , ordines conferre possunt.*

In hoc opinionum conflictu constans non fuit Sacræ hujus Con-

Congregationis judicium. Quandoque enim validam declaravit ordinationem Clerici non subditi, factam ab Abbate regulari, vel titulari, consuluitque dumtaxat Sanctissimo pro rehabilitatione Clerici ad exercitium ordinum, ut in *Panormitana collationis ordinum 16. Martii 1647. lib. 18. decretor. pag.311.*, *in Conimbricen. 26. Junii 1655. lib.19. Decret. pag.484.*, & *in Lucana 16. Martii 1726.*, quas resolutiones refert *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.2. cap.11. §. 13.*, eisque absque discussione articuli adhæret. Quandoque vero ob defectum potestatis in Abbate ordinante contrarium definivit, teste *Pignatell. consult.367. numer.5. & seqq. tom.1.* Accessitque rotalis *decisio 985. coram Seraphino*, cui titulus = *Dubium Sac. Congregationis Concilii*. De mandato enim *Clementis VIII.* quæsitum fuit in nostris terminis, *an Abbates, qui habent facultatem conferendi tonsuram, & minores ordines subditis sibi Regularibus, possint stante decreto Concilii Tridentini cap. 10. sess.23. tonsuram, ac minores ordines conferre personis sæcularibus habentibus literas dimissorias a suis Ordinariis*, & Sacrum Rotæ Auditorium respondit, *non posse*; non tantum scilicet licite, sed nec etiam valide, *ex quo sublata est præcise & absolute facultas Abbatibus conferendi ordines, præterquam Regularibus eis subditis*, ut in *dict. decis. num. 9.*

Quæ autem pro validitate ordinationis ab hac Sacra Congregatione prodierunt definitiones, ad antiquum forsan respexerunt Abbatum privilegium ordinandi etiam non subditos. At re ex restricto ad subditos privilegio paucis ab hinc annis expensa, nullam EE. Vestræ declararunt ordinationem etiam Monaci factam ab Olivetano Abbate post dimissam Abbatiam. Quæsitum sane fuit die 20. Septembris 1788. per Folium manuscriptum in Causa *Congregationis Olivetanæ*, I. *an constet de nullitate ordinationis, ita ut sit iteranda*, II. *an sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione, & dispensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit*; atque EE. Vestræ rescripserunt = *constare de nullitate, & ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo*. Reproposita vero Causa in Congregatione diei 29. subsequentis Novembris, ampliarunt rescriptum in hæc verba = *in decisis, & Monacho esse secreto reiterandos ordines minores; & ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo*

pro

pro absolutione a suspensione ejusdem Monaci propter susceptum ordinem Subdiaconatus per saltum, ejusque rehabilitatione, nec non pro dispensatione ab irregularitate ad cautelam, quatenus in dictis ordinibus ministraverit = illudque Sanctissimus die 10. Decembris *in omnibus benigne approbavit, & annuit pro gratia absolutionis a suspensione, rehabilitationis, & dispensationis ab irregularitate, quatenus ministraverit, arbitrio & conscientiæ Abbatis Generalis ejusdem Congregationis, cum facultate etiam subdelegandi.*

Diversa quidem a præsenti casu in ea Causa concurrebat dimissę Abbatiæ circumstantia: at si Abbas sacramentalem ordinandi potestatem ex benedictione habuisset, valide, Episcopi instar, Monachum non subditum ordinare potuisset, licet ob conciliarem prohibitionem illicite. Unum profecto idemque ad rem videtur, Abbatem ordinare Monachum, ac sæcularem non subditum; nam quo ad utrumque caret privilegio, restricto & limitato ad subditos, & sic potestate ordinandi. Sive valida autem, sive nulla declaretur ordinatio Oratoris, semper est illicita, indigetque rehabilitatione ad ordines, & beneficia (jam enim concessa fuit absolutio) Ut Emi igitur Patres de ea etiam decernant, advertere dignentur, ordinationis auctorem fuisse Oratoris Patrem, ob suppositum in Abbate Vallis Umbrosæ privilegium ordinandi quoscumque; & bonis Oratorem moribus testimonio Episcopi pręditum esse.

Dubia sunt.

I. *An constet de nullitate ordinationis, ita ut sit iteranda in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro rehabilitatione in casu &c.*

Ad I. Constare de nullitate collationis Sacræ Tonsuræ, & esse secr esò reiterandam.

Ad II. Affirmative.

UR-

Sess. 22. Decr. de observ. & evitan. in celebr. Miss.

URBANIEN. ANNIVERSARII. Testamento anni 1597. præscripsit Laurentius Berardus duo Anniversaria; unum die 17. Augusti in parochiali, & modo etiam collegiata Ecclesia Mercatelli *juxta morem per se institutum, cum omnibus Sacerdotibus existentibus in Terra Mercatelli, & aliud simile in Ecclesia Divi Francisci quotannis idibus Novembris cum condecenti & solito numero ceræ; & hæc in perpetuum*: imposuitque utrumque onus prædio in vocabulo *Bolciano*, adeout *possessores ejusdem possessionis, unus vel plures pro tempore extituri, teneantur dicto oneri Officiorum*. In casu vero inadimplementi mandavit, quod *ipso facto possessio ipsa cum omnibus, & singulis suis juribus devolvat ad prædictam Plebem Terræ Mercatelli cum onere Officiorum*.

Celebrata semper fuerunt hujusmodi Anniversaria cum interventu etiam Capituli Collegiatæ, ac solvi pro quolibet consueverunt a possessoribus prædii *Bolciano* cuique Canonico quadrantes 12., Archipresbytero 18., Mansionariis 10., simplicibus Sacerdotibus 8., Clericis $5\frac{1}{2}$, ex taxatione anni 1715. urbaniensis olim Episcopi Castelli. Hoc licet tenuissimo emolumento contenti fuerunt Canonici per annos septuaginta. Sed capitulari tandem resolutione anni 1786. stipendium cujusque ecclesiasticæ functionis extra Collegiatam in obolis sibi statuerunt quinque pro quolibet; probavitque hodiernus Episcopus sequenti anno resolutionem, *salvo tamen jure Partibus quibuscumque competente*. Atque ita deinde servatum asserunt pro Anniversario Berardi in Ecclesia S. Francisci. Qui vero emptionis titulo prædium possident *Bolciano*, Clemens nempe & Antonius fratres Mastini, ac Franciscus Mutini, *Sanctissimo* nuper supplicarunt, ut Canonicos cogeret ad interessendum cum antiqua eleemosyna prædicto Anniversario, vel iis renuentibus, facultatem tribueret erogandi in celebrationem Missarum obolos 64., qui ipsis obtingunt, pœnamque remitteret caducitatis ob illorum exclusionem a reliquo interessente Clero.

Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, retulit urbaniensis Episcopus, *Oratores prædium in vocabulo* Bolciano *emisisse cum statis Missarum, & stipendiorum adsistenti Clero solvendorum oneribus, quorum propterea per calculum habita fuit ratio inter con-*

contrahentes, a quibus tantum imminutum fuit pretii, quantum in legatis adimplendis annuatim insumebatur. Annuum prædii reditum, ducto per decennium calculo, in scutis statuit 39. Novam probare noluisse, nec potuisse ait Capituli taxationem *quo ad legata jam a Capitulo acceptata, ut profecto sunt duo, de quibus agitur, non modo a Capitulo admissa, sed etiam per longissimum quadraginta annorum spatium a tempore Episcopi Castelli quo ad stipendia adsistentibus præstita ultro & libenter observata* (verius per annos circiter septuaginta, ab anno scilicet 1715., quo prodiit taxa Castelli, ad annum 1787., quo novam hodiernus Episcopus probavit taxationem.

Atque ita conclusit: *Stipendia hæc variari non poterant a Capitulo, cui semel placuerant: aliter ipsi licuisset non modo alios pro libito gravare, sed etiam ab antiqua, constantique consuetudine eosdem deturbare. Nec periculum est Oratoribus caducitatis a Fundatore sapienter comminatæ, quum Canonicos, qui duobus abhinc annis adsistere renuerunt, semper advocaverint; neque enim per ipsos stetit, quominus interfuerint: Quamobrem mea quidem sententia Oratores cogendi non sunt ad majus stipendium Archipresbytero, Canonicis, Clericisque solvendum, quum ad id nulla lege teneantur, ipsisque longissima faveat consuetudo. Decernent autem EE. Vestræ, an satius sit Archipresbyterum, Canonicosque ad assistentiam duobus Officiis præstandam cogere* (seu uni extra Collegiatam, de quo est quæstio) *vel potius, iisdem adsistere renuentibus, quod pro eorum adsistentia impendendum foret, in totidem Missas celebrandas insumere.*

Quasi profecto contraxisse videntur Canonici ad interessendum Anniversario in Ecclesia S. Francisci; nam ei, nisi a fundatione, cujus tempore non constat Collegiatam extitisse, plurimis certe annis, novissimo excepto biennio, interfuerunt; actusque etiam facultativi ad Divinum cultum tendentes, transeunt ex longa consuetudine in obligationem, & necessitatem inducunt, *Abb. in cap. suam nobis num.*8. *de simon.*, *Rocc. disput. jur. cap.*167. *num.* 49., *Rot. cor. Lancett. decis.* 860. *num.* 8. Tot contra fuerunt voluntarii interessentiæ actus, quot Anniversaria, quum iis non interfuerint Canonici ex obligatoria lege, sed toties quoties a

successoribus Fundatoris rogati. De iis enim expressam mentionem non fecit Berardus; licet nomine Sacerdotum Mercatelli venire possent, quatenus extitissent. Longe propterea videri possent obligationis, & necessitatis termini; dum nec milleni voluntarii actus in id concludunt, per *Text. in leg. non ex eo* 30. *Cod. de evict.*, *Rot. cor. Molin. decis.* 923. *num.* 7.

Si autem servare tenentur Canonici inveteratam interessendi consuetudinem, de quantitate quærendum stipendii; num præstari nempe debeat ex antiqua taxatione Castelli, vel nova Capituli. Pro interventu siquidem Capituli ad celebrandum in aliena Ecclesia Anniversarium, admodum tenuis est paucorum quadrantium summa juxta taxationem Castelli, quum æqua inter onus, & emolumentum esse debeat proportio, ut decrevit Sacra hæc Congregatio *in Urbevetana* 24. *Novembris* 1787., & *in Romana Commutationis Voluntatis* 14. *Martii* 1789. Eo magis, quia aucto etiam ad novam taxam stipendio, redundant prædii obligati reditus. Altera ex parte inducta fuit antiqua taxatio ex decreto Ordinarii, eamque idcirco Canonici post diuturnam septuaginta annorum executionem amplius respuere non posse videntur, *Menoch. de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 67., *Rot. in recent. decis.* 107. *n.* 25. *part.* 7. Illudque etiam notandum, quod de tertio agitur possessore, qui rationem habuit in emptione prædii de antiqua Anniversariorum taxatione, ideoque per illius augmentum esset in damno. Si cogi vero nequeant Canonici ad interessendum Anniversario, stipendium utique, ex antiqua taxatione eis debitum, in aliam erogandum erit causam, suaque prudentia Emi Patres de proposita Missarum celebratione decernant.

Quæritur etiam de caducitate, in quam Oratores incidisse dubitant ob intermissum Canonicorum interventum Anniversario. Sub ea profecto imposuit Fundator possessori prædii *Belciano* onus celebrandi Anniversaria *cum omnibus Sacerdotibus existentibus in Terra Mercatelli*, idque neglexisse videntur Oratores, dum ob denegatum stipendii augmentum ex redundantibus fructibus Prædii obligati, causam Canonicis per biennium dederunt non interessendi. At bona antiquæ taxationis fide prætensum illi denegarunt augmentum, solicitique fuerunt, ut intervenirent Canonici Anniversario cum as-

sueto stipendio. Ut omnes porro sciant, quælibet irrationabilis etiam causa excusat a caducitate.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

I. An, & quomodo Canonici Collegiatæ Mercatelli assistere teneantur Anniversario, de quo agitur in casu &c.

Et quatenus negative.

II. An, & quomodo erogari debeat stipendium eis debitum in casu &c.

III. An sit locus caducitati in casu &c.

Ad I. Affirmative ad Taxam Episcopi Castelli.

Ad II. Prorsum in primo.

Ad III. Negative.

CIVITATIS CASTELLI. Quiescit in Cathedrali Ecclesia Tipherni corpus S. Floridi Protectoris Civitatis, in quem summa est Civium religio. Præclare inter alios pietate enituerunt Petrus Gentilis Buratti, & Hyacinthus Scarafoni, qui supremum gerebant Communitatis Magistratum: anno enim 1777. privativam *a* decessore Episcopo impetrarunt facultatem colligendi per Civitatem, & Diæcesim pias oblationes, ut justo facto cumulo, festivitatem, centesimi instar, in honorem Sancti Protectoris annuente Capitulo celebrarent. Feliciter procedebat collectio; sed eam anno 1781. retardavit terremotus, qui infelicem illam Civitatem, Civesque maximopere afflixit. Jam collecta erant scuta propemodum mille; eaque ab hac Sacra Congregatione postularunt Parochi S. Joannis de Lilionibus, S. Ansovini de Castrofranco, S. Donati de Castroguelfo, & S. Angeli de Sessa pro respectivis reparandis ipsorum Ecclesiis terræmotu concussis. Resistentibus vero Capitulo Cathedralis, & Clero Tipherni, Publicis Repræsentantibus Oppidorum Diæcesis, oblationum Quæstoribus, aliisque, ultro destiterunt incepto, licet eis decessor faveret Episcopus; *primique tres, utpote re-* *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

ditibus satis provisi, Ecclesias meliori quo potuerunt modo restaurarunt; quartus vero, nempe S. Angeli de Sessa, quia ejus Ecclesia, tenui pollens patrimonio, totaliter etiam perierat, ad alteram in Parœciæ centro sitam, & pertinentem ad Confraternitatem sub titulo S. Mariæ, annuentibus Confratribus ipsis fuit translata, ut hodiernus refert Episcopus.

Prosequuta hinc fuit oblationum collectio ad annum 1789. quo iterum eam secundus interrupit terræmotus; & consistebat illius cumulus in scutis 1027. Iteratum terræmotus flagellum Cathedralem præsertim conquassavit Ecclesiam, disjecitque splendidum ejus Tholum, ac sacrum Sancti Protectoris depositum, confracto Altari, maceriis obruit. Æstimata fuerunt damna in scutis 12556., impenditque Capitulum in iis reparandis scuta 8000., pro quibus ex providentia *Sanctissimi Domini Nostri* admissum fuit ad Loca M.M. intra vicennium extinguenda, aliaque scuta circiter bismille, quæ Fidelium pietas, & Patronorum supplevit contributio. Adhuc tamen, Episcopo teste, exterius tantum perfectus est Tholus, *interius ligneis sustentaculis etiam nunc fulcitur, ac proinde ut perficiatur etiam ineleganter, aliorum scutorum mille impensam adhuc exquirit, exigitque.* Quod primum igitur petierunt Parochi, postulat nunc Capitulum, applicationem nempe cumuli S. Floridi ad perfectionem operis; eorumque instantiæ adhærent ejusdem cumuli institutores Buratti, & Scarafoni, dummodo remaneant in deposito scuta 300., suo tempore eroganda in celebrationem Festivitatis; & non alias. Parochi vero, qui supplicarunt anno 1781., plene se subijciunt deliberationi Sacræ hujus Congregationis *sopra di dette elemosine, e sopra le nostre Chiese, e Residenze.*

Cumulatissime Episcopus favet Capitulo in hæc verba: *Profecto post immane recensitum æs alienum, a Capitulo certe non divite contractum, & pro cujus extinctione ad formam Pontificii Chirographi subire quotannis tenetur, præter fructuum onus, quatuorcentum scutorum depositum, gravissima terræmotus damna nondum satis emendata sunt. Quid proderit ergo unius, aut alterius diei transeuntem Patrono tribuere honorem si squallor postea maneat Templi, per annos fortasse multos duraturus? Honor certe Patroni causa finalis fuit & Quæstorum, & Benefactorum; sed hæc non defrauda-*

ri

ri, plenius immo adimpleri videtur quassati Templi sarcitione, ac perfectione, quam celebratione festi tunc in votis habita, cum de Templi ruinis nec timor ullus, nec levis quidem inerat cogitatio. Quamquam festum decentiori, qui fieri poterit modo celebrare promittunt Oratores [Canonici] *ubi primum sarcitionis consumatum fuerit opus. Ex quo sane, quia & festum consueto solemnius haberetur, & Templi necessitati foret simul consultum, petitioni equidem utraque manu mihi plaudendum videtur, sicuti Quæstores unanimiter plaudunt.*

Negligendam autem censet primævam Parochorum instantiam ex damnis passis anno 1781. (nam de anno 1789. nil prorsus pertulerunt) *Ultraquod siquidem vetustis hisce damnis, ut initio innui, consultum fuit jam tum, & novissime etiam occasione meæ pastoralis Visitationis: rem plane conficit animadversio, quod vel nullum jus esse potest Parochis super eleemosynis Divo Florido Patrono directe oblatis, vel si quod fingi velit, nemo unquam negabit, in paritate causæ Cathedrali prælationem competere. A recto namque charitatis ordine nimis abherraret, si ex Divi Floridi ærario in extraneas Ecclesias erogandum id tolleretur, quod ipsius Patroni Templo necessarium esse comperitur: potissimum quia, si ex dictis eleemosynis Cathedralis perficiatur restauratio, Benefactorum finis, nisi literaliter, substantialiter tamen adimpletur; quod certe in casu per Parochos intento nullatenus posset verificari.*

Sive Parochis profecto, sive Capitulo applicetur S. Floridi cumulus, pia fraudatur Benefactorum voluntas, qui eleemosynas dederunt in præcisam festivitatis causam, impensisque viribus obstiterunt anno 1782., ne in aliam reparandarum Parochialium erogarentur. Ea autem, *quæ ad certum usum largitione sunt destinata Fidelium, ad illum debent, non ad alium converti*, ut in *Clement. quia contingit 2. de religios. domib.* Indulgent modo Quæstores Capitulo sub resolutiva illa conditione servandi depositum scutorum 300., sed alii omnes, Syndaci nempe fere omnium Communitatum Diœcesis, & Consules Artium, qui Parochis contradicebant, silent, & in eadem fortasse manent contradictione. Sunt præterea in Cathedrali Ecclesia Patroni, qui aliquid testimonio Episcopi ad illius reparationem contulerunt; ideoque in eos potius refundi posset, quod ad perfectiooem deficit operis, ex *Sac.*

Con-

Concil. Tridentino sess. 21. *cap.* 7. *de reform.* Quam quam satis non constat de integra erogatione scutorum decem millium, quæ ex admissione ad Loca MM., piisque largitionibus Capitulum coegit; ac de Capitulo etiam agitur non indigente, licet juxta Episcopum *non divite*, cui propterea admodum grave forsan non erit interiorem paullatim perficere ornatum Tholi, qui dilationem patitur.

Ponderare contra dignetur Emi Patres cum Episcopo, onus Capitulo incumbere annui depositi scutorum 400. in extinctionem LocorumMM., deformem esse Ecclesiam ratione Tholi, qui *interius ligneis sustentaculis etiam nunc fulcitur*; de Ecclesia agi dicata eidem S. Protectori, cujus est cumulus; nec omnino tandem fraudari Benefactorum finem, dum pollicentur Canonici *festum decentiori, quo fieri poterit modo celebrare, ubi primum sarcitionis consumatum fuerit opus*. In similibus porro circumstantiis, proximisque legatorum terminis exempla sunt applicationis *in Auximana* 8. *Junii* 1785., & *Forolivien.* 13. *Junii* 1789., *ad II. Dubium*. Quid vero de Parochis in concursu Capituli, habent EE. Vestræ ex informatione Episcopi. Præcipuam certe providentiam ob animarum curam mererentur Ecclesiæ Parochiales: sed ex quatuor Parochis, qui in petenda applicatione cumuli prævenerunt, *tres, utpote reditibus satis provisi, Ecclesias meliori, quo potuerunt modo restaurarunt*; *quartus vero &c. quia ejus Ecclesia. tenui pollens patrimonio, totaliter etiam perierat, ad alteram in Parœciæ centro sitam fuit translata*. In casu tandem applicationis deliberandum de summa applicanda. Pii operis Quæstores, quorum principaliter interest, omnem Parochis impugnant applicationem; concedunt Capitulo, dummodo serventur pro festivitate S. Protectoris scuta 300.

Proponitur ergo.

Au, cui, & quomodo sit applicandus cumulus in casu &c.

Affirmative favore Fabricæ Cathedralis relictis in deposito scutis tercentum pro celebratione Festivitatis S. Floridi.

Sess. 21. *cap.* 7. *de Reform.*

CÆSENATEN. DEMOLITIONIS ORATORII. Ecclesiastica auctoritate ædificavit anno 1754. Antonius Semprini sub invocatione B. M. Virginis sine labe conceptæ publicum Oratorium juxta suam voluptatis do-

mum

mum in territorio Fluminicini; assignavitque pro *perpetua* illius manutentione agrum, sive *tornaturas duodecim circiter* [valoris scutorum 1481. 20.] *cum domo desuper plurium mansionum*; assumpta etiam obligatione Missarum trium in festivitate Deiparæ titularis. Ægre autem ferens vinculum agri, *Sanctissimo* post obitum patris supplicavit Petrus Maria Semprini pro illius deletione per domolitionem Oratorii, quo amplius ob mutatum rusticationis locum non indigebat, firma remanente celebratione Missarum trium in qualibet alia Ecclesia. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, rejectæ fuerunt die 6. Augusti 1791. per rescriptum *lectum*.

Variata hinc instantia petiit, & prævia informatione Vicarii Capitularis cœsenatensis obtinuit die 26. Novembris ejusdem anni facultatem substituendi in locum assignati agri prædium valoris scutorum 1485. in vocabulo *Villalta*, cum clausula *translatis oneribus*, *& reservato regressu*. Mente tamen agitans subrogati etiam prædii libertatem, removere tentavit objectum vinculi, iterumque demolitionem petiit Oratorii tanquam proximi ruinæ, & ob variatum rusticationis locum inutilis: atque ad talem impetrandam gratiam despondit *non solo le tre Messe solite, ma alquante di più*. Contrarium vero in sequenti Congregatione 17. Decembris passus rescriptum *lectum ad instantiam*, renovat modo preces.

Quamvis referat Vicarius Capitularis, Oratorium in præsenti statu minari ruinam, sed reparari posse *testimonio peritorum facili*, *& brevi expensa*; futurum tamen spectans, hæc addit: *at quia domus adnexa ab eodem Domino Semprinio alio transferri exoptatur, ideo tale Oratorium erit tunc ruinæ proximum, cum tunc remanebit absque illo fulcimento*. Plures hinc de inutilitate Oratorii, ejusque demolitionis utilitate subnectit rationes. *Nulla insuper* [sunt ejus verba] *neque Porocho ab hujus Oratorii existentia utilitas provenit, quum semel fere in anno fores aperiantur, quum ibi nulla adsint onera Missarum. Postea advertendum, quod Populus quando in Oratoriis commoditatem habet audiendi Missam, nullo modo accedit ad Ecclesiam parochialem ad audiendum ab Altari verbum Domini, & rudimenta fidei. Denique notandum, quod idem Semprini se obligat ad adimplenda onera Missarum annuatim in Ecclesia pa-*

parochiali, ut idem Populus sit edoctus in rebus Fidei. Atque ex his censet, *gratiam posse impertiri*: ejusque voto adhæret Parochus S. Angeli *de Gatteo*, cujus jurisdictioni subest Oratorium.

Ex ore Vicarii Capitularis habent Emi Patres quæ demolitionem suadere possunt Oratorii. Læsum est ejus ædificium, & ruinam fortasse sequetur derelictæ domus, cui innititur. Hac sane de causa permissæ fuerunt Ecclesiarum demolitiones *in Lucana Demolitionis, & Translationis Oneris Missarum* 18. *Augusti* 1781., *in Ariminen.* 5. *Aprilis* 1788., *in Camerinen. Demolitionis Ecclesiæ* 18. *Decembris* 1790., & *in Brictinorien.* 24. *Novembris* 1792. *ad I. Dubium*. Nedum præterea juxta Vicarium capitularem, nullum ex tali Oratorio sentiunt commodum Populus, & Parochus, *quum semel fere in anno fores aperiantur*; sed spirituale etiam Parochiani accipiunt detrimentum ob ipsorum alienationem ab Ecclesia parochiali, rebusque Fidei, quæ in ea edocentur. Præferenda autem videretur cura animarum materiali Oratorio; nam *animarum cura ceteras omnes superat, & excellit*, ut monuit *S. Pius V.* initio Constitutionis *Quantum animarum cura* 1. Octobris 1568.

Timendum contra non est in presenti statu de Oratorio, quum reparari valeat *testimonio peritorum facili, et brevi expensa*. Futura vero illius ruina incerta est, & si per translationem domus adnexæ non sine culpa Oratoris promoveretur, ei facile occurri poterit ex fundo subrogato scutorum 1485., cujus reditus destinati sunt *perpetuæ* ejusdem Oratorii manutentioni, tenui excepta eleemosyna Missarum trium in annua SS. Conceptionis festivitate. In his porro terminis servandum potius, quam destruendum videretur sacrum illud Ædificium ex *Tridentina Synodo sess.* 21. *cap.* 7. *de reformat.*. Ponderare insuper dignentur Emi Patres, num causa divertendi Populum a Parochiali esse valeat Oratorium, cujus fores, ut Vicarius ipse Capitularis ait, *semel fere in anno aperiuntur*. Seduloque tandem advertant finem, quem sibi Orator per demolitionem Oratorii proposuit, ut a vinculo scilicet ejus manutentionis solvat Prædium *Villalta*, illudque solvat, non per substitutionem alterius pii operis juxta vires fundi, sed per simplicem celebrationem trium Missarum ad præscriptum Fundatoris, & *alquante di più*. Deletionem sane postulavit vinculi in prioribus rejectis preci-

bus anni 1791., eamque modo indirecte obtinere sperat, destructo Oratorio. Num in ejus autem utilitatem fraudari debeat mens Fundatoris, qui in honorem B. Virginis Immaculatæ voluit Oratorii manutentionem, EE. Vestræ decernent. Canonicæ quidem resistunt *leges*, præsertim *in can. ultima voluntas* 13. *quæst.* 2.

Quatenus autem indulgere velint EE. Vestræ petitioni Oratoris, deliberare etiam dignentur de loco, ad quem transferri debeant Missæ, & de illarum numero. Concedi profecto solet Missarum translatio ad Ecclesiam ab Ordinario designandam, ut *in Januen.* 16. *Decembris* 1786. *ad* III. *Dubium*. Preter Missas vero tres a Fundatore præscriptas in festivitate SS. Conceptionis, offert Orator *alquante di più*; & in hoc statuendo numero habenda quoque videretur ratio utilitatis, quam consequeretur per exonerationem manutentionis Oratorii, cui etiam destinatum est prædium.

Queritur itaque.

An, & quomodo sit locus demolitioni Oratorii, & translationi Missarum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

MUTINEN. IRREGULARITATIS. Dum Sacerdos Petrus Borelli venabatur anno 1774. in nemore Paræcię Saxiguidani, altercari cepit cum Dominico Antonio Chiodi, qui errantem quærebat bovem, eumque tandem ob acceptas contumelias ignea balista interemit. Suspensus idcirco fuit a Divinis, & per quinquennium in contumaciam damnatus ad carcerem. Parte hinc composita, obtinuit anno 1776. absolutionem a pœna corporali, supplicavitque Sacrę huic Congregationi pro dispensatione ab irregularitate. Post rescriptum tamen *lectum* diei 26. Januarii 1782. ad hæc tempora siluit. Renovat modo preces, eique mutinensis favet Episcopus. Testatur enim, quod *ab illa die ex post prædictus Sacerdos honeste, & laudabiliter in propria Paræcia vixit, Ecclesiæ suæ parochiali serviendo, nec unquam ad hanc usque diem contra illius mores, & exteriorem decentiam ad me delatum fuit; quin immo tum illius Parochus, quam Vicarius meus Foraneus in illis partibus, super illius bonis vita moribus*

Sess. 14. cap. 7. de reform.

bus

sua, ac Ecclesiæ servitio præclarum testimonium exhibuerunt. Suumque votum in hæc aperit verba: *Quum agatur de homicidio in rixa, & calore iracundiæ patrato; de suspensione ab Oratore per viginti annorum spatium humiliter tolerata; & stante insuper pace, ac renunciatione aliàs ab occisi consanguineis, ut præfertur, reportata; ac etiam deficientia Sacerdotum in Paræcia ejusdem Oratoris, humiliter sum in voto, quod ex speciali gratia Sanctitatis Suæ exaudiri possit. Absque eo quod per hoc scandalum in Populo oriri possit, eidem indulgendo, ut saltem in propria parochiali Ecclesia Missam celebrare valeat.*

Voluntarie siquidem, licet in rixa, homicidium patravit Orator; eique propterea, ne ad sacrum ministerium restituatur, adversantur *cap. continebat*, & *cap. suscepimus de homicid. voluntar.*. Haud enim decet, ut Sacerdos humano sanguine pollutus immaculatam DEO offerat Hostiam, ut desumitur ex verbis illis DOMINI ad *David*. 1. *Paralip. cap*. 22. *vers*. 8. = *multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare Domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me* = Ea vero dispensandi potestate, quam omnes in Summo admittunt Pontifice, teste *Mar. Soc. in cap. ad audientiam de homicid.*, non raro Sacerdotes homicidæ, justa concurrente causa, restituti sunt ad Altare, ob lapsum præsertim diuturni temporis, constantem emendationem vitæ, & utilitatem Ecclesiæ, ut missis antiquioribus, videre est *in Anglonen.* & *Tursien. Irregularitatis* 25. *Januarii elapsi anni* 1794. Num justa in nostro themate concurrat dispensandi causa, EE. Vestræ decernent. Homicidium sane commisit Orator *a viginti annis*: ut ecclesiasticum decebat, ab eo tempore vixit: deficiuntque testimonio Episcopi in illius Paræcia Sacerdotes. Quatenus autem in his terminis venia dignus censeatur, deliberandum insuper, an concedi ei debeat facultas celebrandi ubique, vel *saltem in propria parochiali Ecclesia*, ut proponit Episcopus.

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Die

Die Sabbathi 28. Februarii 1795. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

CÆSENATEN. DEMOLITIONIS ORATORII. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

An, & quomodo sit locus demolitioni Oratorii, & translationi Missarum in casu &c.

In decisis, & preces amplius non recipiantur; nec non Vicarius capitularis incumbat restaurationi Oratorii.

MUTINEN. IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Affirmative.

FERETRANA CAPELLANIÆ. *Sess. 22. cap. 9. de Reform.* Uno sub annum 1654. condito testamento, demandarunt Aurelius, & Antonius Filippini erectionem capellaniæ hebdomadalium Missarum quinque, & alterius solemnis in die festo S. Josephi ad Altare B. M. Virginis SS. Rosarii in parochiali Ecclesia S. Blasii Montis Cerignoni; eique in tot censibus assignarunt fundum scutorum 800. monetæ ducalis Urbini sub lege, *che redimendo alcuno di quelli, che tengono li censi passivi, si debba fare da essi,* eccia-

e ciascuno di loro l'intimazione agli eredi di detti Testatori, quali siano obbligati darli, e restituirli in altri censi; In primum Capellanum nominarunt alterum ex filiolis Petri Joannis Laurentini, & Virginiæ Filippini Antonii filiæ, & quousque ad Sacerdotium pervenirent, Vincentium Paciotti Sacerdotio proximiorem, sub administratione ejus patrui Clementis, cui pro summa interim scutorum 650. totidem consignarunt censuum. Deficientibus vero filiis Virginiæ, activum contulerunt juspatronatus in descendentes ejus, & Catharinæ ipsius sororis nuptæ Laurentio Begni.

Diu Aurelio supervixit Antonius, & aliquantulum anno 1674. hujusmodi fundationem per codicillos mutavit. Erectionem præscripsit capellaniæ *formalmente al Tribunale episcopale quanto più presto sarà possibile.* Capellanum voluit *amovibile all' arbitrio de' Signori eredi.* In primum Capellanum nominavit Sacerdotem Lucam Antonium Begni, quum alter ex filiis Virginiæ decessisset, alter unicus esset heres familiæ Laurentini; ac post ejus obitum voluit, *che la nomina spetti di mano in mano nel modo, che è stato ordinato nel testamento.* Et declaravit tandem, *che quando mai per lunghezza di tempo li censi da assegnarsi alla cappella si rendessero inesigibili, o perissero i fondi, o pure per altra causa venissero diminuiti li proventi, in tal caso sia lecito diminuire ancora gli obblighi, e ridurli in modo, che il Cappellano per tempo abbia almeno un paolo per Messa, e non manco.*

Eodem anno 1674., quo Codicillans occubuit, formiter capellaniam erexit feretranus Episcopus, assignato per Philippum Laurentini illius nepotem in pluribus censibus fundo scutorum 805., ac præ ceteris mandavit, *ut heredes testatorum perpetuo teneantur eamdem dotem scutorum octingentorum futuris temporibus conservare, & manutenere.* Lucæ Antonio Begni, primo Capellano per Codicillantem nominato, successisse asseritur Vincentium Paciotti, ac post eum ex ordine filios Philippi Laurentini. Novissimi Capellani fuerunt Sacerdotes Joseph Mambelli, & Nicolaus Fabrini, quorum alter accepisse testatur stipendium a Joanne Baptista Laurentini præfati Philippi filio, alter a Cap. Francisco Begni, & adhuc secundus se dicit creditorem in residua summa scutorum 101. 98.

Du-

Dubium hinc videri posset, num capitalia administraverint capellaniæ ii de Laurentinis, vel illi de Beguis. At ex succinctis instrumentis constat, ab anno 1708. ad annum 1773. plures Philippo, & Joanni Baptistæ Laurentini restitutas fuisse censuum sortes; ad summam nempe scutorum 265. 91. 4. absque indicatione urbinatensis, vel romanæ monetæ, & ad scuta 44. 20. 8. monetæ romanæ, iterumque per Joannem Baptistam ex tot extinctis censibus occupata fuisse in altero censu scuta dumtaxat 21. monetæ forsan Urbini. Anno vero 1747. restitutam fuisse Francisco Antonio Begni sortem census scutorum 50. monetæ ducalis, eamque transmissam ad Joannem Baptistam Laurentini; & anno rursus 1791. sortem alterius census scutorum 12. 50. ejusdem fortasse monetæ, & iterum ab eo investitam. Si prima partita scutorum 265. 91. 4. censeatur monetæ ducalis, ut illa scutorum 50. per Begnium transmissa ad Laurentinum, utraque constituet scuta romana 210. 66. 3., additisque scutis 40. 20. 3. sortium restitutarum in eadem moneta romana, integra summa per Laurentinos exacta, erit scutorum 250. 84. 1., seu scutorum 236. 84. 1., detractis scutis 14. pro urbinatensibus scutis 21. denuo per eos investitis. Si vero juxta suppositum Antonii, & Mariani Begni actorum, ratio habeatur de sortibus censuum restitutis in manibus Laurentinorum ad monetam romanam, in hac hypothesi reductis etiam ad eamdem monetam scutis ducalibus 50., ut supra per Franciscum Antonium Begni transmissis ad Joannem Baptistam Laurentini, ac deductis in ipsamet moneta scutis 21. per dictum Laurentinum investitis, coaluissent in familiam Laurentini ex sortibus censuum, non scuta 331. 31. 1., juxta calculum actorum, sed scuta romana 339. 52. 2.. Verisimilior vero est prior calculus, quum discretive in dictis instrumentis mentio fiat scutorum in genere, & scutorum monetæ romanæ.

Una ex familia de Laurentinis superfuit Alexandra, ejusque vir Franciscus Maria Begni postulavit anno 1788. ab hac Sacra Congregatione reductionem Missarum, ac teneri ratus, tanquam illius familiæ successor, ad aliquam capellaniæ redintegrationem pro sortibus censuum ut supra restitutis, supplicavit pro facultate præstandi annuum fundi liberi redituum ad extinctionem debiti. Institit rursus adversus Marinum Begni ejus fratrem

uti

uti heredem propatrui Francisci Antonii pro exhibitione familiarium scripturarum, ex quibus in eum rejicere sperabat administrationem capitalium capellaniæ; hisce pendentibus instantiis, impetravit a Rev. Fabrica S. Petri compositionem pro Missis 1301. ad annum 1789. non celebratis. Supervenit tandem anno 1792. informatio Episcopi feretrani super primis precibus, in omnibus Oratori contraria.

Falsum dixit Antistes ille, quod imminutio capitalium capellaniæ *culpa Capellanorum sit sequuta, sed solius Abbatis* (Joannis Baptistæ) *Laurentini*, *cujus hereditas ad Oratorem perventa, subjacet redintegrationi faciendæ vel in censibus, vel in stabilibus tutis, & fructiferis*. De provisionali testatus fuit Missarum celebratione cum eleemosyna manuali juxta vires præsentis capitalis, quod in scutis consistit ducalibus 331. 50.. Cessionem reprobavit fundi in redintegrationem dotis capellaniæ per hęc verba = *temporanea cessio fundi pro redintegratione fundi nedum non placet Marino compatrono, ac interesse habenti, sed nec & mihi, ad evitandas lites, quæ exoriri possunt, & exorientur* = Atque ita conclusit = *propterea prudenter consulendum indemnitati capellæ, & Capellanorum. Exburset pecuniam, quæ & facilius, & tutius erogabitur in censibus, vel in stabilibus; onusque meum erit*. Concordatis hinc infrascriptis Dubiis inter præfatum Franciscum Mariam Begni Laurentini, & Antonium, ac Marianum Begni filios Marini interim defuncti, in contumaciam proponuntur Francisci Mariæ.

Quæritur in prima prioris Dubii parte, a quo redintegrari debeant capitalia capellaniæ; & quamvis formiter jura sua non deducat Franciscus Maria, hæc tamen habet in Folio manuscripto. Æque per ipsum, ac per ejus nepotes compatronos redintegrandam ait capellaniam, quum promiscue administraverint illius capitalia. Idque desumit ex nonnullis epistolis scriptis per Franciscum Antonium Begni ad Laurentinos. Ex iis enim colligitur, nunquam Laurentinis consignata fuisse nomina debitorum censuum, notulamque quantitatis per eos debitæ; & aliquam Franciscum Antonium Begni contrectasse pecuniæ summam extinctorum censuum. Pluribus contra adversus eas epistolas datis exceptionibus, urgent potissimum Antonius, & Maria-

nus

nus Begni extinctiones censuum, fere omnes in manibus Philippi, & Jo. Baptistæ Laurentini, ut notatum est in facto. Ex iis namque non immerito argui posset, principalem capitalium capellaniæ administrationem fuisse penes Laurentinos, & ad eos idcirco illorum redintegrationem pertinere, ex Tridentina sanctione in *sess.22. cap.9. de reform.*, *Rot. post Scarfant. ad Ceccoper. decis.* 18. *num.*19. *tom.*2.

Summa autem, pro qua juxta secundam ejusdem Dubii partem redintegrari debet capellania, scutorum est 473. 50. monetæ ducalis, seu scutorum 315. 66. 4. romanæ, juxta calculum de mandato Episcopi confectum per Archipresbyterum Laurentium Maccioni. Huic deficienti summæ non respondet primus ex præmissis calculis super sortibus censuum restitutis Philippo, & Joanni Baptistæ de Laurentinis: sed facile iis, qui majorem perdiderunt censuum partem, tribui valet dissipatio summæ, quæ ad integrum deficit capitale. Ex secundo calculo vero plus dissipatum esset, quam deficit: licet hoc tribui posset ignorantiæ novi alicujus investimenti ex sortibus restitutis. Quomodo tandem fieri debeat redintegratio, habent Emi Patres ex voto Episcopi, quod ipsorum deliberationi proponitur.

A resolutione primi Dubii pendet altera secundi. Si unus enim Franciscus Maria Begni Laurentini redintegrare tenebitur capellaniam, is quoque supplere debebit Missas pro deficiente capitali non celebratas ab anno 1789., quo compositionem a Rev. Fabrica Sancti Petri idem Franciscus Maria obtinuit. Si cum eo etiam Antonius, & Marianus Begni, inter ipsos partiendum erit onus supplementi. Utrique profecto congruas habent hereditates obligatas, Francisci Antonii nempe de Begnis, & Jo. Baptistæ de Laurentinis. Eodem jure sive ab uno, sive ab utrisque solvenda essent Sacerdoti Fabrini scuta 101. 98. pro Missis celebratis, nisi obstaret incertitudo crediti ex sola assertione creditoris, qui nec est in Causa.

Dubia sunt.

I. An

I. *An, a quo, pro qua summa, & quomodo redintegrari debeant capitalia capellaniæ Filippini in casu &c.*

II. *An, & a quo suppleri debeant Missæ non celebratæ, & præstari eleemosyna nondum soluta pro Missis celebratis in casu &c.*

Ad I. Affirmative ab heredibus Philippi, & Joannis Baptistæ Laurentini in scutis 473. 50. monetæ ducalis juxta votum Episcopi.

Ad II. Affirmative ab iisdem heredibus quoad Missas non celebratas; in reliquis Sacerdos Fabrini utatur jure suo contra eosdem heredes.

Sess. 24. cap. 12 de Reform.

ANAGNINA DISTRIBUTIONUM. Post quadragenarium anagninæ Cathedralis servitium, ab hac Sacra Congregatione postulavit ineunte anno 1792. Canonicus Paulus Leggi jubilationis indultum; & decem ex aliis Canonicis favebant, sex contradicebant instantiæ. Dum hæc vero pendebat, petiit interim mense Septembris ejusdem anni facultatem manendi infirmitatis causa in Urbe. Quo ad primam instantiam, materiale dixit anagninus Episcopus quadragenarium servitium Oratoris, non item laudabile; pluribusque notatis delictis, eum judicavit *vacationis præmio indignum*: qua de re EE. Vestræ sub die 16. Martii sequentis anni 1793. rescripserunt *lectum ad instantiam*. Ad secundam monuit, redditas sibi a Leggio fuisse *post menses fere septem* literas Sacræ Congregationis pro informatione, ideoque post tantum temporis intervallum fortasse infirmitatis causam desiisse: sed indulgenter, hoc non obstante, Sacra Congregatio rescripsit die 20. subsequentis Aprilis = *Pro facultate arbitrio, & conscientiæ Episcopi ad totum mensem Decembris 1792. tantum.*

Cum hoc rescripto rediit Orator Anagniam: at illud Episcopus exequi renuit, quum sciret, *falsa fuisse narrata*. Hinc denuo ille venit Romam, ut conquireret testes passæ in ea infirmitatis a die 8. Septembris 1792., quo primum ab Anagnia discessit, ad diem 3. Junii

nii 1793., quo se ad residentiam restituit; ac duplici munitus attestatione, chirurgi scilicet Fortunati Vespasiani de ipsius cubatione in lecto a die 21. Novembris prędicti anni 1792. ad diem 17. Martii sequentis anni ob contusum pedem, & medici Aloysii Jacobelli de gravi passa pituita a die 14. ejusdem mensis Martii ad finem Maii, consequi tentavit pro tempore talis absentiæ quotidianas distributiones. Petitionem vero rejecit Capitulum; expedivitque Leggius monitorium coram A.C. super manutentione in possessione exigendi canonicales fructus, & sedendi in choro. Causa deinde per decretum Emi Præfecti Signaturæ Justitiæ ad Sacram hanc Congregationem remissa, prolixam Episcopus reddidit in ea informationem, a Capitulo circumferendam.

Gravia iterum memoravit Oratoris crimina a primo adepti canonicatus tempore, cauteque idcirco judicandum ait de assertis illius infirmitatibus. Plura adversus chirurgum Vespasiani, & medicum excepit Jacobelli, quibus opposuit etiam Capitulum testes, qui toto assertarum infirmitatum tempore Leggium viderunt bona per Urbem valetudine deambulantem. Neque admissis etiam attestationibus Vespasiani, & Jacobelli. competere arbitrabatur Leggio canonicales fructus absentiæ tempore; neque scilicet in bimestri vacatione, quam anagninæ Ecclesię constitutiones intra annum concedunt capitularem, qui incipit die 1. Julii, neque in reliquis mensibus absentiæ. Quo ad bimestre vacationum notabat, iis tantum illud concedi, qui diligenter toto anno Ecclesiæ servierunt, Leggium vero ab Anagnia discessisse die 8. Septembris 1792., ac nedum post absolutum die 8. subsequentis Novembris bimestre Anagniam non rediisse, licet nondum evenisset contusio pedis juxta chirurgum Vespasiani, sed ab illa etiam abfuisse per alios mensem septem, ad finem nempe capitularis anni 1792.

Eoque minus ei competere arbitrabatur beneficium vacationum, quia ab Anagnia discessit, ac moratus extra Diæcesim fuit sine ejus venia; nam *in Gazeden*. 9. *Maii* 1626. *lib*.12. *decret*. *pag*. 253. Sacra Congregatio *tametsì declaraverit*, *nullam requiri licentiam ad hoc ut Canonici abesse possint in mensibus a Concilio permissis*, *censuit tamen*, *hanc declarationem non vindicare sibi locum quoties Canonici abesse volunt extra Diæcesim*, quod aliis confirmavit resolutionibus apud *Benedict*. *XIV*.

instit. 107. §. 6. *num.* 36. Verumtamen retulit, ultro Capitulum remittere Leggio partem vacationum pro rata servitii: & hanc iniit rationem: *Sunt hæ vacationes duorum mensium iis, qui toto anno diligenter servierunt. Quum autem Leggius Ecclesiæ servierit tantum quartam anni partem, hoc est ab initio mensis Julii usque ad diem* 8. *Septembris* (1792.) *& a die* 4. *Junii usque ad exitum ejusdem mensis* (seq. anni 1793.) *sequitur, ut pro his tribus mensibus vacationes sint dierum quindecim. Et quidem omnis hujus temporis fructus a Capitulo conceduntur; sed concedi profecto nequeunt salva conscientia fructus ejus temporis, quo Leggius, Romæ vivens, Ecclesiæ servitium neglexit.*

Quo vero ad reliquos absentiæ menses septem, neque deberi censet fructus, etiamsi reipsa Leggius fuisset infirmus. Tunc enim prodest infirmitas pro illorum perceptione, cum ante eam Canonicus interesse consuevit choro, non item si sanus etiam abfuit, ut Leggius, qui post bimestrem etiam vacationem moratus fuit Romæ in bona valetudine, quousque saltem passus non est contusionem pedis, de qua testatur chirurgus Vespasiani, *Reiffest. jus can. univers. lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 192., *Barbos, de offic. & potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 53. *num.* 163., *Covarr. var. resol. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 8. Rogavitque postremo EE. Vestras, ut in re definienda consulerent etiam futuro, ad alias vitandas lites *cum homine molestissimo. Novo*, inquit, *hoc anno capitulari ipse ab ejus initio, hoc est die* 1. *Julii* (1793.) *Romam venit, ubi semper ad diem* 28. *Februarii* (1794.) *commoratus est. Huic homini propositum est sua auctoritate frui beneficio perpetuæ vacationis, quod a Sacra Congregatione impetrare non potuit. Utinam obtineret nunc hujusmodi vacationem, quam antea frustra postulavit! Liberaret Capitulum tum a sumptuosa lite, quam anno quovis sustinere debebit, ne suo muneri desit, tum a perpetuis molestiis, quas toto hoc tempore semper intulit & singulis Canonicis, & toti Capitulo: me vero liberaret ab innumeris angustiis, quibus quinque jam annos angor ab homine, quo forte in tota Diœcesi pejorem habeo neminem.*

Dum mense Augusto elapsi anni 1794. morabatur iterum Leggius in Urbe, alias EE. Vestris dedit preces pro licentia continuandi in ea moram, alteramque allega-

vit

vit oculorum infirmitatem, nova in id producta attestatione medicorum Evaristi, & Michaelis Albites. Verum quidem dicit Episcopus, *quod Leggius narrat in supplici libello, se Ananiam rediisse primum anno 1793., deinceps anno 1794., ibique una vice fuisse commoratum menses duos, altera autem vice dies quinquaginta quatuor. Prima illa vice rediit sperans, se illud a me impetraturum, ut silentio premerem gravissimum illud facinus, in quod jam quarto incidit, falsæ descriptionis complurium Missarum. Vice altera rediit jussu Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quæ eum redire coegit, ut a Vicario Generalii subiiceretur examini propter illud ipsum facinus.* Sed falsum contra, *quod ipse, aut ægrotus Ananiam venerit, aut unquam in hac Civitate ægrotaverit. Diebus illis omnibus, quibus hic commoratus est, una quidem, aut altera vice se ægrotum finxit, ne choro interesset; sed reliquo tempore semper integra, & firma valetudine usus est, uti nunc etiam utitur. Idque adeo verum est, ut etiam proximis his diebus, quibus se omnes domi continebant propter ingentem nivem, qua tota pene Civitas obruebatur, Leggius tamen suis illis detritis, & plenis rimarum vestibus, quæ neque totum corpus contengunt, neque frigus depellunt, alacer, atque lætus per Civitatem ambularet, exceptis iis diebus, quibus in Ecclesia Cathedrali latere debuit, metuens, ne propter fraudes a se patratas in pluribus Missarum legatis, jussu Sacræ Congregationis Rev. Fabricæ S. Petri in carceres detruderetur.. Atque adeo falsæ sunt querimoniæ illæ Canonici Leggi de ægra valetudine, ut omnium hominum, quotquot Ananiæ sunt, nemo unquam eum vere ægrotum viderit; dempta oculorum lippitudine, qua ab ineunte ætate laborare cepit.*

Memorat hinc suspensionem a Divinis, Leggio indictam a decessore Episcopo ob falsam Missarum descriptionem, suamque lenitatem abstinendo a graviori pœna ob illius recidivam, quæ sub judicio est Sacrę Congregationis Episcoporum, & Regularium; ac suum postremo aperit votum in hæc verba: *Ego, si quod vere atque ex animo sentio, dicere debeam, neque vacationis, quam olim postulavit, beneficio dignum eum judico, neque altero beneficio, quod nunc postulat, ut Romæ commorari possit, atque absens ab Ecclesia sua percipere distributiones quotidianas. Nulla enim justa est hujus ab-*

 sen-

sentiæ causa, quum ipse integra & firma valetudine utatur, semperque usus sit. Si vero dicere debeam, quod cupio, nihil mihi antiquius, nihil optabilius esset, quam ut Leggius absit ab hac Diœcesi, ideoque eum consequi posse vellem quidquid postulat, modo absit homo molestissimus, qui mihi unus plus affert negotii, quam Diœcesis universa. Heri (die 1. hujus mensis) *ex improviso Anania discessit, nulla, ut solet, a me petita venia.*

Quamvis Episcopus de preterita agens Leggii absentia, indefinite loquatur de canonicalibus fructibus, reipsa tamen ad quotidianas respicere videtur distributiones, quas tantum in novissima memorat informatione, & de quibus in sua allegatione certat Capitulum. *Sacra* profecto *Tridentina Synodus* certos *in sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* designat casus privandi Canonicum absentem fructibus canonicatus, quod monitus nempe abfuerit primo anno, & in hoc eum casu privandum decernit *dimidia parte fructuum*; quodque *iterum eadem fuerit usus negligentia*, & ipsum secundo privat *omnibus fructibus*. Non abfuit vero Leggius neque per integrum capitularem annum 1792., neque per integros sequentes 1793. & 1794., ut refert Episcopus; quodque magis est, perpetui iis annis fuerunt ejus recursus ad Sacram hanc Congregationem super ipsa intermittente absentia. Locus idcirco non esse videtur conciliari privationi præbendę; sed restringenda forsan est quæstio ad quotidianas distributiones, quas ex eadem *Sacri Concilii sessione* recipere debent, *qui statis horis interfuerint.*

Inter legitimas causas, ex quibus non amittit absens distristributiones, recensetur infirmitas, *Barbos. ad Conc. Trident. in cit. sess.* 24. *cap.* 12. *num.* 86. *& seqq.*, *Monet. de distrib. quotid. part.* 2. *quæst.* 5. *num.* 48. Sed difficultas est, num re ipsa infirmus fuerit Leggius captulari anno 1792., quo per novem abfuit menses ab Ecclesia, & in eadem continuaverit infirmitate cum ex intervallo deinde abesse consuevit. Sub fide chirurgi Vespasiani, & medici *Jacobelli* ægrotasse ait Romæ plures per menses; licet sua jura formiter deducere negligat. Sed præter exceptiones, quæ adversus eos testes, & ipsorum attestationes per Episcopum, & Defensorem Capituli proponuntur, hoc potissimum urget quod carent attestationes illæ juramento, contra decre-

gretum Sacræ Congregationis *in Avenionen. Servitii Chori* 20. *Januarii* 1787. *ad IV. Dub.* Alii insuper sunt testes, qui Leggium vidisse affirmant in bona valetudine eo ipso tempore, quo illum Vespasianus, & Jacobellus fuisse supponunt infirmum. Et animadversionem postremo merentur, quæ de asserta infirmitate observat Episcopus.

Nedum autem ex passa de anno 1792. contusione pedis, & pituita vindicare contendit Leggius illius anni distributiones, aliasque fortasse sequentium annorum pro eo tempore, quo non interfuit choro, sed tertiam quoque testimonio medicorum Albites allegat oculorum infirmitatem, ut perpetua fruatur absentia, & reliquam ducat vitam sub clementiori cœlo romano. Si præfatis deferendum est medicis, mereri posset Orator flagitatum indultum: sed caret etiam illorum depositio juramento, eique adversatur novissima informatio Episcopi, qui innatam dicit in Leggio lippitudinem oculorum, cui adversum non est cœlum anagninum, dum semper ibi *integra, & firma valetudine usus est, uti nunc etiam utitur*.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

I. An debeantur distributiones quotidianæ de tempore non præstiti servitii in casu &c.

II. An, & quomodo sit concedendum indultum absentiæ in casu &c.

Dilata ad proximam.

SENOGALLIEN. LOCATIONIS, ET REDUCTIONIS MISSARUM. Sibi Ludovica Baroni vidua Joannis Romagnoli heredem scripsit anno 1684. Septimium Mercurj, perpetuumque favore ejus descendentiæ masculinæ, & in subsidium fæmininæ ordinavit fideicommissum sub lege, *che il sudetto Signore Settimio Mercurj erede, seguita la sua morte, sia tenuto, ed obbligato erigere due cappellanie nell' Altare della Cappella della SS.*

Sess. 25. cap. 4. & 11. de Reform.

SS. Trinità, dico Pietà nella Chiesa di S. Giovanni posta nella terra di Montalboddo colla dote di scudi mille moneta per ciascheduna di esse cappellanie, con assegnarli tanti censi della sua eredità, ed in altri beni stabili ascendenti alla valuta di scudi mille per cadauna, con il peso di Messe quindeci il mese per ciascheduna di esse cappellanie . . E che siano cappellanie laicali ad nutum amovibili, & de jure patronatus della sudetta casa Mercurj, ed eredi, e chiamati per ordine, protestandosi espressamente, che dette cappellaniæ mai per alcun tempo si possano erigere, ne concedere a titolo di beneficio.

Ad capellanias autem istas prætulit descendentes familiæ Mercurj, voluitque, *che sempre s'intendino, e siano nominati per Cappellani ad vitam*. Ac declaravit postremo, *che in ogni caso, ed evento, o per causa di peste, guerra, sterilità, siccità, grandine, pioggie, inondazioni, tempeste, spigionamenti di case, o per qualsivoglia altro caso, e disastro, benchè inopinato, e quì non espresso, il suo erede, o eredi sudetti non possino intieramente conseguire le sudette entrate de suoi beni ereditarj, o queste si diminuissero in qualsivoglia delli sudetti casi, non siano tenuti adempiere, se non per la rata, e quantità de frutti, che riceveranno, e conseguiranno, e non più; e che il simile anche s' intenda si debba osservare, e si osservi nelli frutti delle sudette due cappellanie amovibili.*

Nonnullos post annos ab obitu Testatricis diu ex jure egit Dominicus Antonius Mercurj, Septimii filius, adversus heredes Ioannis Romagnoli pro reliqua ejusdem Testatricis dote; ac primum anno 1721. obtinuit judicatum, quod non obstante transactione sequentis anni 1722., ex iteratis Signaturæ Justitiæ rescriptis revocatum fuit ad examen annis 1735., 1768., & 1785., pluribusque confirmari promeruit rotalibus decisionibus. A prima tamen capellaniarum institutione celebrari fecerunt Mercurii præscriptas Missas: sed ob tot forsan passa litigia, fundationem distulerunt capellaniarum ad annum 1783.; quo eis tandem hæc assignarunt bona; prædium nempe rubrorum 2., & cupparum 6. circiter in regione *S. Martini* Montis Bodii, valoris scutorum 716. 90., & domum positam in Civitate Senogalliæ valoris scutorum 1283.

Hodierni Capellani sunt Angelus, & Constantinus Mercurj, quibus quatuor ex patre vivente sunt fratres, se-

roras septem, quarum sex nubiles. Hac igitur de causa, & ob assertam ex actis litibus imminutionem hereditatis Baroni, supplicarunt ipsi Sacræ huic Congregationi, vel pro abolitione capellaniarum, vel pro reductione Missarum, vel pro illarum suspensione ad aliquod tempus, atque erogatione reditus in dotandas sorores. Dum hæc vero pendebat instantia, incendio exarsit anno 1793. superior contignatio domus assignatę Capellanis, & ad reparandum damnum convenerunt Mercurii cum illius conductore Paulo Gallizzi, ut novam domum, antiqua ex uno tabulato majorem, suis sumptibus construeret, eamque eodem conductionis titulo per tricennium retineret pro annua tantum pensione scutorum 41., quæ ante combustionem fuerat scutorum 52. Variarunt hinc Capellani instantiam, & petierunt reductionem Missarum 110. per annos triginta, ut pro tempore initæ locationis compensatum remaneret annuum pensionis decrementum scutorum undecim. Præ omnibus vero postulare debuissent approbationem contractus:

Eminentissimus Archipresbyter Capituli Lateranensis, cui subest Ecclesia, in qua fundatæ sunt capellaniæ, nullam sibi esse retulit ambigendi rationem, *quin hereditas Baroni, ingentium sæcularium expensis minime obstantibus, adaucta, & non imminuta sit. Patet enim ex foliis ab Oratoribus exhibitis, quod hereditas primo heredi transmissa summam scutorum* 4006.71.1. *non excedebat, nunc vero ad scuta* 4326. *ascendunt bona hereditaria Baroni*. Quamvis autem ex hoc primæ adversaretur Oratorum instantiæ, favit tamen juxta infrascriptum modum secundæ, & approbandum etiam censuit tricennis locationis contractum. *Utilitas hujus contractus* (sunt ejus verba) *manifesta mihi videtur; quoniam non solum redintegrantur capellaniæ fere deperdito fundo dotali, dum omni sunt ope Capellani, & Patroni destituti, sed melioris etiam evadunt conditionis attenta ampliatione novæ domus.*

Quod vero attinet ad suspensionem Missarum, annuendum esse etiam putarem juxta modum a Fundatrice præscriptum, nempe = che in caso si diminuissero l'entrate, vuole che non siano tenuti i Cappellani adempire, se non per la rata, e quantità, che riceveranno, e non più = Ex quibus verbis eruitur, jus esse Oratoribus ad diminutionem Missarum proportionali calculo juxta imminutos

reditus capellaniarum. Summam certam eorumdem redituum non exhibent Capellani, sed juxta taxam legalem ad annua scuta 80. calculandi; quumque habeamus ex præmissis, pensionem domus assignatæ pro capitali scutorum 1283. ad annua scuta 52. ascendere, dubitandum non est, quin prædium arboratum, pro summa scutorum 716. assignatum, fructus reddat ad rationem scutorum quatuor; ideoque potius majorem, quam minorem scutorum octoginta annualem redituum præseferunt capellaniæ. Nihilo tamen minus posito quod non amplius, quam annua scuta 72. reddant, calculandæ veniunt eleemosynæ Missarum ad rationem obolorum 20. pro qualibet, & pro imminutis annuis scutis undecim quinquagintæ quinque Missæ diminuendæ essent. Attenta vero Patroni, Oratorum patris, gravi indigentia, indulgentius agendo, suspensionem annuarum sexaginta Missarum Oratoribus [idest unicuique triginta] pro annis triginta proxime futuris in contractu contentis concedendam esse putarem.

Tricennis sane locatio, de qua primum agitur, utpote ad longum tempus, subjacet censuræ *cap. requisivit de in integr. restit.*, *cap. ad audientiam de reb. Eccles. non alienan.*, *& extravag. ambitiosæ eod. tit.*, ut notat *Fagnan. in cit. cap. requisivit num.1.*, sed quæ ad eam probandam requiritur utilitas, *Petr. ad dict. Constitut. ambitiosæ per tot.*, in nostro forsan themate concurrit. Adeo siquidem domus assignata capellaniis ante incendium faticebat, ut ex hoc supervento infortunio nullam amplius patiatur reperationem; nam ut inquiunt Periti = *col riattamento il maggior peso, che si dovrebbe per necessità porre sopra quei muri restati in essere, sarebbe motivo, che il vecchio pericolasse, ed in conseguenza sarebbe un buttar spese senza profitto*. Nova igitur secundum Peritos ipsos opus est illius constructione, ad quam juxta Emum Archipresbyterum pares non sunt Capellani, & Patroni *omni ope destituti*; ac utilis propterea videtur tricenaria locatio cum diminutione pensionis in scutis undecim; *quoniam non solum redintegrantur capellaniæ* [sumptibus conductoris] *fere deperdito fundo dotali, sed melioris etiam evadunt conditionis attenta ampliatione novæ domus*.

Plura adversus hæc notari possent: primo quod instrumentum tricenarię locationis Oratores non exhibuerunt. Adest quidem in Positione declaratio conductoris juramento fir-

firmata, in qua dicitur *fù fra noi concluso, ch' io dovessi a proprie spese rifar di nuovo tutta la casa, e che essi mi averebbero accordato l'affitto per anni trenta coll' annua pensione di scudi 41., quando ne pagavo scudi 52. l'anno; ed in tali termini fù concordato, e stipulato fra noi una transazione sulla disgrazia comune accaduta.* Verum ignota sunt pacta inter eos conventa, & ignota eorumdem justitia. Secundo quod domum Mercurii assignarunt capellaniis post centum annos a condito testamento, licet ex præcepto Fundatricis eas dotare teneretur primus heres *seguita la sua morte*, illamque assignarunt jam putridam; nam post simplex decennium ab assignatione retulerunt Periti anno 1793., *che le travature che sostenevano detto tetto erano fracide, e necessitose di rifarsi, ancorche non fossero state danneggiate dal fuoco; come pure che tutti li pianciti sono in stato pericolante, attesa la cattiva qualità della travatura, e mattoni, che li sostengono; che li muri divisorii della detta casa sono fuori di piombo, ed in cattivo stato; e finalmente che tutti li muri sono fabbricati a malta, e vecchissimi, e perciò in stato non molto durevole.* Alia autem in hereditate Baroni erant rustica prædia, quæ sibi Mercurii retinere maluerunt tanquam meliora; ideoque ponderandum, num utilis esse valeat capellaniis constructio novæ domus, cujus assignatio fuit damnosa; vel alium potius Mercurii in ejus locum subrogare teneantur fundum.

Quatenus vero approbari velit locatitius contractus capellaniarum nomine, deliberandum secundo de reductione, sive de suspensione Missarum. Hæc utique pro decremento pensionis domus consentanea videtur voluntati Fundatricis, quæ in casu diminutionis redituum voluit, adimplenda per heredes non esse onera, *se non per la rata, quantità, che riceveranno, e conseguiranno, e non più.* Altera ex parte advertere dignentur Emi Patres, quod quum imminutio reditus in scutis 11. sit temporaria, nempe tricenaria, hinc non de reductione, sed de suspensione tantum agendum videtur. Suspensioni autem obstare posset animadversio, quod eam Mercurii ex fundis capellaniarum per tricennium consequerentur ratam, & quantitatem redituum, quæ ad integram Missarum celebrationem ad taxam etiam perpetuæ sufficeret. Si enim conventæ domus pensioni scutorum 41. addantur fructus prædii rustici, capella-

niis pariter assignati pro æstimatione scutorum 716.90., scuta nempe ad taxam legalem 28. 60., habetur summa scutorum 69. 60, paullo inferior ea, quæ ad taxam perpetuæ requiritur pro menstruis Missis triginta, summam scilicet scutorum 72. Quamvis præterea numerosa sit familia Mercurj, non tenue tamen habet patrimonium scutorum circiter 19000., ut statuit Peritus curialis anno 1787. in quadam Causa acta in Sacra Rota inter Peregrinum Mercurj, & Martam Micarelli Persiani; ideoque neque ex capite paupertatis aliquid ei de Missarum numero remitti forsan debet.

Quæritur itaque.

I. *An sit approbanda locatio domus nomine capellaniarum, seu potius sit locus subrogationi alterius fundi in casu &c.*

Et quatenus affirmative ad primam partem.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni seu suspensioni Missarum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative juxta votum Emi Archipresbyteri.

Ses. 24. cap. 12. de reformat.

SPOLETANA SERVITII CHORI. Prior, Canonici, & Beneficiati suburbanæ Collegiatæ S. Petri Civitatis Spoleti sese invicem ab immemorabili tempore in chorale servitium substituere solent, licet absint substituentes a Civitate, & Diœcesi: dummodo tamen substituti vacent choro, & præstita substituentes intra annum restituant servitia, exceptis diebus octo, quos condonari sinunt Constitutiones pro ea Ecclesia editæ anno 1661, a clar. mem. Card. Facchinetti Episcopo tunc Spoletano. Hanc ipsam substituendi facultatem tribuit sibi Prioris Coadjutor: eaque insuper est inveterata consuetudo, ut proficiscentes extra Civitatem, & Diœcesim permutent cum residentibus concilliares vacationes, quibus intra annum gaudent ex intervallo: & in-

& interessentes choro Divinum abiiciant Officium ad Missam celebrandam, sive pro implendis legatorum oneribus, sive in proprium commodum, quamvis nemo intersit celebrationi; vel ad excipiendas de licentia Ordinarii confessiones; quo munere inter Capitulares unus Prior, qui Animarum curam exercet, ex officio fungitur.

Post hanc igitur diuturnam observantiam in dubium venit hujusmodi consuetudinis, ac Vestrum idcirco oraculum postulavit Capitulum super infrascriptis Dubiis. Plura hinc Capitulares, per spoletinum Episcopum auditi, in eorum resolutione capitulari deduxerunt, ut tolerabiles suaderent ipsorum consuetudines. Eis accesserunt Canonici alterius Collegiatæ S. Gregorii, ac de simili testati sunt eorum observantia quoad mutuam dumtaxat substitutionem in servitium chori, & permutationem vacationum. Nunquam enim inter ipsos ob tenuitatem præbendarum admittuntur Coadjutores, qui eadem uti valeant facultate, nec aliter in eorumdem Ecclesia permittitur egressus choro dum Divina celebrantur Officia, quam de licentia Prioris, aut Præfecti chori, ad faciendum Sacrum, vel excipiendas confessiones in utilitatem confluentis Populi. At de diversa sua consuetudine retulit Capitulum Cathedralis. Nunquam enim in eo permittitur absenti a Diœcesi substitutio residentis, nunquam vacationum permutatio; sed ei tantum, qui in Civitate, vel suburbiis resideat; etiamsi sit Coadjutor. Omnibus vero interdictum est egredi choro tempore Officii Divini ad celebrandam Missam (plures enim sunt, qui confessiones ex officio excipiunt) præter dies festos, in quibus ea datur venia ad commoditatem Populi.

Hisce autem de utraque Collegiata, & Cathedrali expositis, hæc observat Episcopus ad *I. Dubium*, *quod quum a Sac. Concilio Tridentino cap.* 12. *sess.*24. *vetitum non sit, quin Chorales invicem in servitio sese substituere possint, ubi viget consuetudo, videtur toleranda, sub his tamen præscriptis conditionibus, dummodo substituentes eidem servitio non sint adscripti.* 2. *quod substituens restituat infra annum præstita servitia.* 3. *ne hujusmodi substitutiones per eorum aliquem nimis sint frequentes, ut potius exonerari, quam levari censeatur.* 4. *substitutiones non permittantur illis, qui ultra Civitatem, locum, eorumque suburbia sunt ab-*

sentes &c. Quia vero loca aliqua suburbia non habent, ut hæc nostra Civitas, videtur indulgeri, ac præfiniri posse absentiam hujusmodi ad Territorium, ut nonnullæ Synodi diœcesanæ stabilierunt.

Ad II., quamvis Concilium Tridentinum vacationem Choralibus concedat ad tres anni menses, non debent tamen ipsi, nec possunt ea uti continuata, sed interpolatis vicibus, ne chorus debito servitio fraudetur, S. C. Concilii in Interamnen. 1640., & præscribitur a singulis capitularibus Statutis, idcirco aboleri debet quæcumque consuetudo variandi invicem vacationes, ob periculum etiam non faciendi satis oneri residentiæ; quia etsi præsens in loco, si choro non intersit, non residet, ut SS. Canones explicant, & dum adcumulantur vacationes, ansa porrigitur, ut quis Capitularium sæpe absit sive intra, & extra Diœcesim cum Ordinarii licentia. Ad III. Non est rationabilis consuetudo, ut Coadjutor possit servitio chori substituere alium Canonicum ex dictis in II. quæsito. Quum enim Coadjutor non sit vere Canonicus &c. nec valeat nisi coadjuvare Coadjutum, consequitur, quod nunquam præstitum servitium restituere potest; nam absente Coadjuto ipsi substituitur, Coadjuto præsente, Coadjutor locum non habet in choro: eoque magis, quod Coadjutor, de quo dubitatur, est Coadjutor Dignitatis, hoc est Prioris Collegiatæ, & ibi non viget consuetudo, Coadjutorem substituere posse.

Ad IV. nulla dubitatio, quod tempore chori, sive Divinorum Officiorum Chorales haud possunt discedere a choro, causa Missam privatam celebrandi ad legatorum satisfactionem, vel ad propriam commoditatem, nisi in casu necessitatis cum licentia Præfecti, & servata antianitate, atque pro his oneratur Præfecti conscientia, qui præ oculis habere debet Encyclicam Clementis XI. 26. Martii 1703. §. de Choro. Ad V. & ultimum, similiter Chorales abesse a choro nequeunt sub obtutu charitatis, administrandi nimirum Pœnitentiæ Sacramentum &c. & ratio convincit, quia justitia præponderat charitati, excepto Priore, qui curam adnexam habet Animarum, & Capellano curato, necnon exceptis deputatis ab Ordinario in casu alicujus Populi confluentiæ. Verum Collegiata Ecclesia D. Petri, quia extra Civitatis mœnia constituta parum frequentatur, præter unam, vel alteram infra annum festivitatem,

quæ

quæ ibi celebratur, & *mensem Maii pro lucranda Indulgentia plenaria Defunctis applicanda qualibet die dicti mensis*, & *tunc non desunt media providendi Ecclesiam de Missis*, & *Confessariis ad Populi commoditatem absque ullo Capituli dispendio*, *ideoque consuetudo contraria*, *quippe irrationabilis*, *nil suffragatur*, *quin Chorales si hac de causa a choro abfuerint punctari debeant*.

Quum decrevissent Tridentini Patres, *in sess.24. cap.12. de reform.*, ut *omnes Divina per se*, & *non per substitutos compellantur obire Officia*, hinc ea recepta olim fuit Canonistarum opinio, ne scilicet alterum in chorale servitium substituere liceret, peculiari non obstante statuto, aut immemorabili etiam consuetudine, *Vannespennius in dissert. de Canonicis par.3. tit.6.* §.5., & *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.13. cap.9.* §.11. Hæc tamen disciplina severior videbatur, quam humanæ fragilitatis ferret ratio, proindeque Capitularibus ab hac Sac. Congregatione dari cepit venia sese invicem substituendi; his tamen præscriptis conditionibus. *Primo*, *ne substitutus ipse ad chorum venire debeat illis diebus*, *quibus in locum alterius sufficitur*; *secundo ne id frequenter contingat*; *tertio ut subrogentur Canonici solum*, *vel Mansionarii præsentes in Civitate*, *non vero qui extra illam*, *vel extra suburbia versantur*; *ultimo ne hanc facultatem alterius substituendi obtineant*, *nisi Canonici vel Mansionarii*, *non autem ipsorum Coadjutores*, *qui nec reipsa Canonici*, *neque Mansionarii nuncupari possunt*, ut his verbis refert *Benedictus XIV. institut. eccles.* 107. §.3. *sub num.*17. Quoties ergo non subrogetur Coadjutor, aut alter qui eadem die chorali munere fungi debeat, absenti etiam a Civitate vel suburbiis permissa videri posset substitutio.

Ex censura vero SS. Canonum *a percipiendis fructibus*, *quotidianisque distributionibus arceantur ii*, *qui in suis Ecclesiis non resident*, & *Divinis Officiis non intersunt*, *cap. unic. de Cleric. non resident. in 6.*, itaut ad lucrandos fructus, & quotidianas distributiones nedum interessentia Divinis, sed etiam residentia in loco Beneficii requiratur, *Passerin. in comment. ad cap. unic. de Cleric. non residènt. in 6.*, *Schmier Jurisprud. can. lib.3. tract.1. par.2. cap.3. num.384.*, & *Sac. Congregatio in Frisingen. Residentiæ 3. Julii 1762. ad I. Dub.* Præbendæ enim reditus dantur in præmium residentiæ, distributiones pro interessentia Divinis Officiis, ut di-

stin-

stinguit *Engel. in jus can. lib. 3. tit. 4. num. 24.* Neglecta autem esset canonica hæc residentiæ disciplina, nec fructus, ipsius residentiæ gratia percipiendos, suos tuta conscientia facerent Capitulares S. Petri, quoties a suburbiis Civitatis, aut Diœcesi absentes, in chorale servitium substituere velint. Reque vera Sac. hæc Congregatio *in Alatrina 24. Martii 1612.* rescripsit = *eos tantum, qui in Civitate, ubi est Cathedralis, vel ejus suburbiis sunt præsentes, non autem alios posse substituere*, ut in *lib. 11. decret. pag. 112.*, & *in Fulginaten. 31. Maii 1711.* ad Dubium = *An Canonici & Capitulares Ecclesiæ Cathedralis fulginatensis absentes a Civitate, ejusque suburbiis, possint sese invicem substituere in servitio Chori*, respondit = *negative*.

Has resolutiones quum non ignorent Oratores, declarandum simul rogant, ad quæ loca pro effectu licitæ substitutionis extendi possint suburbia. His enim caret spoletina Civitas, & vicissim ex consuetudine Cathedralis, aliarumque Collegiatarum, suburbii nomine ad præmissum effectum totam Diæcesim comprehendi affirmant. Neque talis consuetudo a jure omnino aliena reputari posset; siquidem *censetur locus Beneficii* (ubi morari debet Beneficiatus) *districtus ille, intra quem Beneficium est situm, puta Oppidum. Civitas, Diœcesis*, ut his verbis explicat *Schmier in Jurisprudent. can. civil. lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 3. num. 329.*, proindeque intra Diæcesim spoletinam commorantes, licet a Civitate, aut suburbiis absint, residere videntur. Verum Episcopus, synodalibus fretus decretis, intra territorium Civitatis absentiæ limites statuendos proponit; nam in Territorio degentes citius ad Ecclesiæ servitium redire valent, quam qui per remora Diæcesis loca vagantur, nec videntur abesse, qui *statim reversuri sunt, S. Concilium Tridentinum in Sess. 23. cap. 1. de reformat.*, *Monet. de distribut. part. 2. quæst. 6. numer. 20.*, *Ceccoper. lucubrat. can. lib. 2. tit. 11. num. 29.*, & *Schmier. loco citat. num. 328.*

Quærendum præterea, num licita sit permutatio vacationum in absentia nedum a Civitate, & suburbiis, sed etiam a Diæcesi; atque hanc permutandi consuetudinem reprobasse non videtur S. Concilium Tridentinum. Quum enim *in sess. 24. cap. 12. de reformat.*, tres concedat vacationum menses in iis Ecclesiis, in quibus longius servitii tempus ex peculiari constitutione non

requi-

requiritur, hinc tenent passim Doctores, quod *dies illi possunt esse vel continui, vel interpolati, ita tamen, quod interpolati dies absentiæ non superent trimestre.* Ita *Reiffestuel. in lib. 3. decret. tit. 4. num.* 114., & ante ipsum *Garzia de Beneficiis part. 3. cap. 2. num.*306., *Barbosa de offic.*, & *potest. Episc. part. 3. alleg. 53. num.* 120., & *Fagnan. in cap. licet num.* 54., & 55. *de præbend.*. Quæ regula has tantum patitur limitationes, ut scilicet non omnes Capitulares eodem tempore abesse possint, ne Ecclesia debito careat servitio, *Reiffelstuel loco citat.*, nec vacationes incidant in tempora Adventus, Quadragesimæ, Paschatis, Nativitatis Domini, aliasque solemniores anni festivitates, *Benedict. XIV. Inst. can.* 107. §. 6. *num.* 34., & *Sac. Congregatio in Ferrarien.*, & *Setina* 23. *Novembris* 1771., & *in Pientina Vacationis choralis* 30. *Augusti* 1777. Si ergo permutatio nec diuturnior sit tribus mensibus, nec impediat, quominus excipiantur solemniores festivitates, tolleranda potius, quam prohibenda videtur; quamvis eo permutantes respiciant, ut nempe interpolatas vacationes quindecim dierum conjungant. Hanc enim continuam vacationem non prohibet S. Synodus, nec vicissim ullum Ecclesiæ servitio infertur damnum, cum in locum absentis choro intersit, qui alias vacatione gauderet, quique ab ipso absente de præstito redintegraretur servitio in aliis suæ vacationis diebus, ut in capitulari resolutione notarunt Canonici.

At aliter opinatur Episcopus ex capitularibus statutis, quæ conciliares vacationes concedunt *interpolatis vicibus, ne Clerus debito servitio fraudetur*, tum etiam ne Capitulares permutationis abutentes commodo, facilius residentiam derelinquant. Num autem posita facultate permutandi vacationes, chori servitio detrimentum inferri possit, Emi Patres ex superius notatis decernent; nam ad residentiam quod pertinet, magis communiter receptum est, quod vacationis trimestre concessum sit Canonicis *quasi pro aliqua animi relaxatione*, & *ne residentia semper in uno, eodemque loco nimis gravis fiat, ideoque ad hanc absentiam neque justam causam, neque licentiam Episcopi desiderari*, ut docet *Engel. in jus canon. lib. 3. tit. 4. num.* 26., dummodo tamen a Diœcesi non discedant. Hoc namque in casu præmissam regulam Sacra hæc Congregatio limitavit in his terminis, *Sacra &c. tametsi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc ut Canonici abesse possint in mensibus a Con-*

a Concilio permissis; *censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties Canonici abesse volunt extra Diœcesim, ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam. Ceterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa negare. Ita in Iudren. 9. Maii 1626. lib. 12. decret. pag.* 253., quæ resolutio confirmata fuit *in Castri Maris* 4. *Maii* 1737.

Num Coadjutori alterum substituere liceat in chorale servitium, secundum agit dubium. Omnibus ille gaudet prærogativis, præeminentiis, honoribus, & privilegiis Coadjuti, juxta *Gonzalez ad regul. Cancellar.* 8. *gloss.* 5. §. 9. *num.* 99.; atque inservit Ecclesiæ absque præbenda: æquum propterea videtur, ut hoc substituendi commodo fruatur, *Ursaya in discept. eccles.* 17. *num.* 3. *tom.* 6. *part.* 2.. Per hanc enim substitutionem nil decrescit Divino cultui, sed potius augetur, *Ursaya loco citat. num.* 8., & *Pignatell. consult.* 130. *num.* 21., & *seq. num.* 1. Qua de re contraria non obstante S. hujus Congregationis sententia, de qua sub primo Dubio actum, ex gratia quandoque Coadjutori data est venia substituendi, *ut in Urbinaten. Servitii chori* 12. *Julii elapsi anni*. Vicissim cum Coadjutores non sint veri Canonici, ut notat *Benedictus XIV. Instit.* 107. §. 3., hinc Sac. Congregatio decrevit *in Casertana* 26. *Februarii* 1650. *lib.* 19. *decret. fol.* 28., *Coadjutorem uti non posse privilegio alium substituendi*. Et in *citata Urbinaten.* privilegium concessit *ex gratia attentis peculiaribus circumstantiis*, quæ si in nostro concurrant casu, EE. VV. decernant.

Pertinet tertium ad celebrantes Missam tempore Divini Officii, de qua consuetudine in utramque partem disputant Doctores. Nonnulli siquidem illius horę distributiones adimendas firmant = *licet quis eorum celebret ex obligatione alicujus simplicis capellaniæ, quam possidet una cum canonicatu &c. quia hujusmodi Missam planam celebrat non ut Canonicus, sed ut Capellanus*, ut in hæc verba disserit *Ceccoper. lucubrat. canon. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 10., atque adhærent *Zypæus lib.* 3. *tit. de Cleric. non resid. numer.* 31., *Covaruvias var. resolut. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 5., & *Gonzalez in lib.* 3. *decretal.* §. 3. *num.* 18.. Opinantur alii, consuetudinem lucrandi distributiones in ea absentia non esse reprobandam, ex quo Canonici absentes, ut faciant Sacrum, æque actum exercent Divini cultus; *ita Garzias de Benefic.*

nefic. part. 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 441., *Antonell. de Cleric. non resident. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 25., *Monet. de distribut. part.* 1. *quæst.* 11. *num.* 52., præsertim si celebrent pro oneribus adnexis canonicali præbendæ, quo in casu exequuntur munus suum, quod nemini debet esse damnosum, juxta *cap. pervenit de fidejussor.*, & *Engel. in jus can. lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 33., & *Ceccoper. lucubrat. can. lib.* 3. *tit.* 11. *num.*20.

Tertia denique sententia eorum est, qui cum consuetudine Ecclesiæ quoque utilitatem conjunctam esse voluerunt, ita ut nisi de legitimi Superioris licentia, quis abfuerit ad Missam celebrandam in Populi commodum, distributiones lucrari nequeat, qualibet non obstante consuetudine, ut decrevit *S. Carolus Borromæus in Concil. IV. mediolanensi part.*2. *cap.* 13., & firmant *Vannespenius in jus eccles. univers. part.* 1. *tit.*7. *cap.*11. *sub* §. 4., *Braschi Promptuar. Synodal. cap.*81. *num.*26., & *Benedictus XIV. institut. eccles.* 107. *num.*74. & *seq.*. Hæc autem opinio jamdiu Sac. hujus Congregationis auctoritate invaluerat. Cum enim anno 1573. propositum fuisset Dubium in his terminis = *Quia quandoque in Cathedralibus, & Collegiatis sunt aliqui Canonici, vel alii Officiales, qui in eisdem habent capellanias, vel in titulum, vel tamquam mercenarii, quæritur an eo tempore, quo in dictis capellaniis celebrant, distributiones recipere debeant, licet absint a choro, & quid de illis Canonicis, qui celebrant in eadem Ecclesia suæ devotionis gratia, an quando hac de causa a choro absunt, distributiones recipere possint, & dato quod non, quid si a Superiore Ecclesiæ injungatur, ut eo tempore celebrent*; re ad SSmum relata = *Sanctissimus Dominus Noster etiam ex sententia Sac. Congregationis Concilii declaravit, non posse, nisi quando sic jussissent Superiores, quos tamen admoneri voluit ut ab hujusmodi jussu abstineant*, ut legitur *in lib.*13. *decret. pag.*51. cui resolutioni recentiora accesserunt decreta, & præsertim in *Comen. Celebrationis Missarum*, in qua cum secundo loco quæsitum fuisset, *An sustineatur consuetudo celebrandi Missas a Canonicis tempore horarum canonicalium* sub die 23. Novembris 1771. Sac. hæc Congregatio rescripsit, *Negative, nisi de legitimi Superioris licentia*.

Consonant cum his Constitutiones Episcopi Facchinetti,

 qui-

quibus cautum = *Che nissuno obbligato al coro possa partirsi dal coro mentre si recita il Divino Officio, e si canta la Messa conventuale, con occasione di andare à celebrare Messa tanto per obbligo, quanto per sua devozione, se ciò non gli venga permesso dal Signor Prefetto per bisogno della Chiesa, sotto pena della puntatura di quel servizio*. Contrariam nihilominus consuetudinem ab immemorabili inductam rationabilem defendunt Capitulares S. Petri, cum alias non omnes celebrare possent vel ante vel post Officiaturam ob deficientiam congrui temporis & inservientium. In eorum quippe Ecclesia horæ canonicæ recitari solent indesinenter a matutino usque ad vesperas; plures quandoque Conventuales celebrantur Missæ; ac duo tantum sunt Clerici Ecclesiæ servitio addicti. Rationes hujusmodi num consuetudinem retinendam suadeant repugnantem cum regulis Sac. hujus Congregationis, & Ecclesiæ Constitutionibus, a Vestro pendet judicio.

Quartum denique succedit de administrantibus Pænitentiæ Sacramentum tempore choralis Officiaturæ, quibus in hac absentia similis consuetudo distributiones concedit. Nil quidem hac de re Constitutiones Ecclesiæ disposuerunt, verum sancitum est per Tridentinos Patres *in sess.* 24. *cap.* 8. *de reformat.*, *ut Pænitentiarius &c. dum confessiones in Ecclesia audiet interim præsens in choro censeatur*; quæ dispositio quum ad eos tantum ampliata sit, qui pro muneris necessitate confessiones excipere tenentur, *Faguan. in cap. licet de præbend. num.* 118., ideo nisi quis ex lege fundationis, aut de mandato Episcopi absit ad Sacramentum illud administrandum, distributionibus frui non posse videtur, ut pluribus relatis exemplis firmavit Sac. hæc Congregatio *in Maceraten.* 23. *Aprilis* 1768. Si autem in Collegiata Divi Petri unus Prior, qui Animarum curam exercet eo munere fungi debet, merito dubitari posset, num ceteri Capitulares quo tempore confessiones audiunt proprio marte, non de mandato Episcopi, pro præsentibus haberi debeant.

Ab ipsa tamen unius Parochi obligatione administrandi Sacramentum illud, rationabilem Canonici eorum consuetudinem ostendere conantur, cum frequentis Populi pietati solemnioribus præsertim festis unus Confessarius satisfacere non possit. Reque vera in Populi commodum similis permissa est absentia sive in Cathe-

dra-

drali sive in Collegiata S. Gregorii, eamque licitam defendit *Vannespennius in jus eccles. part. 1. tit. 7. cap. 11. sub* §. 4. Sed quamquam hæc ita sint, punctandos tamen censet Episcopus hac de causa absentes *excepto Priore, qui curam adnexam habet Animarum, & Capellano curato; nec non exceptis deputatis ab ordinario in casu alicujus Populi confluentiæ*, illudque notat quod Collegiata Ecclesia Divi Petri *quia extra Civitatis mœnia constituta parum frequentatur, præter unam vel alteram infra annum festivitatem, quæ ibi celebratur, & mensem Maii pro lucranda Indulgentia plenaria defunctis applicanda, & tunc non desunt media providendi Ecclesiam de Missis & Confessariis ad Populi commoditatem absque ullo Capituli dispendio*. Quibus positis dijudicent Emæ VV. num omnibus in genere Capitularibus permittenda sit absentia tempore choralis Officiaturæ ad excipiendas confessiones, quoties non unus Prior, sed Capellanus etiam curatus dietim ex officio munus illud exercent, aliique ab Ordinario deputari possunt solemnioribus festis.

Dubia sunt.

I. *An & quomodo Capitulares Collegiatæ Ecclesiæ Divi Petri absentes substituere possint in chorale servitium, & sibi invicem permutare conciliares vacationes; & ad quæ loca pro hujusmodi effectu extendantur suburbia Civitatis in casu &c.*

II. *An, & quomodo Canonicus coadjutor alium substituere possit in chorale servitium in casu &c.*

III. *An, & quomodo Capitulares absentes ad Missam in eadem Ecclesia Divi Petri celebrandam tempore choralis Officiaturæ lucrari possint distributiones quotidianas in casu &c.*

IV. *An, & quomodo Capitulares absentes ad audiendas confessiones in eadem Ecclesia Divi Petri, quo tempore confessiones audiunt, pro præsentibus haberi debeant in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi, & ad formam Jadren anni 1626.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative juxta votum Episcopi, & Constitutiones Episcopi Facchinetti.

Ad IV. Negative juxta votum Episcopi.

Sess. 14 cap. 7. de Reform.

POLICASTREN. IRREGULARITATIS. Acolythus Carolus Cobucci annorum viginti quinque, contendere cepit die 18. Julii 1790. in nundinis Lauriti cum Nicolao Urso de vilissimo jumenti capistro. Ab eo impulsus, injuriam vindicavit scutica; jactoque vicissim in ipsum lapide, in suam defensionem accersivit Blasium Cobucci ejus patrem, Nuntiatum Bartilotti, aliosque concives, auctaque rixa cum sociis Ursi, ferro occubuit Bartilottus. Sequenti anno absoluti fuerunt ex Regio indulto homicidæ. Acolythus vero nullam ab ecclesiastica Curia policastrensi passus est inquisitionem, licet auctor rixæ, ob non communicatum a laico Præside Lauriti processum; rejectus tamen per defunctum Episcopum ab ordinatione, supplicat modo pro dispensatione ab irregularitate. Necessariam Vicarius Capitularis, utilemque dicit policastrensi Ecclesiæ illius promotionem ad sacros Ordines ob defectum Sacerdotum, æstivo præsertim tempore, quo ob nocuum aerem alio se transfert Capitulum. Optimum etiam de ejus vita & moribus perhibet testimonium: sed monet, jam ipsum a biennio, post rejectionem nempe ab ordinatione, clericalem habitum dimisisse.

Proxima sane homicidii causa fuit Orator. Is enim rixari cepit, accivitque occisum in pugnam. Qui proximam autem dat causam homicidio, irregularitatem contrahit; & si simplex est Clericus, promoveri non debet ad Sacerdotium, *Faqnan. in lib. 5. Decretal. cap. de cetero num. 7. & seq. de homicid.*. Per dimissionem insuper habitus clericalis deseruisse videtur Orator ecclesiasticam militiam; ac monstruosum forsan esset, ut qui laicalem modo induit habitum, repente fiat Subdiaconus, nondum deleta per quatriennium cum dimidio memoria homidii, cui causam dedit. Affirmat tamen ipse, Clericalem dimisisse habitum non animo deserendi statum ecclesiasticum, ad quem semper intendit, sed diffidens ordinationi, a qua fuit rejectus: eique ad obtinendam gratiam boni etiam prodesse possent mores, & necessitas Sacerdotum in policastrensi Ecclesia, de quibus testatur Vicarius Capitularis, ut profuerunt *in Murana Irregularitatis* 12. *Martii* 1763., & *in Comen. Irregularitatis* 21. *Augusti* 1790.

Quæritur ergo.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Negative.

SPO-

SPOLETANA LOCATIONIS. Possidet Clericus Benedictus Origo in collegiata Ecclesia Civitatis Trebiæ simplicia Beneficia SS. Conceptionis, & Nativitatis B. M. Virginis, annui in unum reditus scutorum 56. 11. juxta ejus confessionem, sive scutorum 60. 50. secundum spoletinum Episcopum; annuumque habet onus Missarum 180. Utriusque Beneficii prędiola ad novennium locare decrevit ipsius Administer, suaque auctoritate affigi fecit in ea Civitate notificationem. At illegitimo huic non acquiescens facto, supplicavit Origus Sacræ Congregationi pro facultate locandi, prodiitque die 20. Aprilis 1793. rescriptum pro affixione edictorum. Impatiens hinc moræ, mutato consilio, nullaque habita prædicti rescripti ratione, stipulatus fuit die 24. ejusdem mensis sub reservatione Beneplaciti Apostolici novennem locationem cum Feliciano Rossi Maghetti pro annua pensione scutorum 32., pręter onus Missarum a conductore assumptum, annuamque ab ipso desponsam plantationem ulmorum decem, totidemque vitium, & cum pacto, quod *la disdetta* (per sex menses ante) *non fatta, s'intenda continuare per altro novennio*; & ita in posterum *finchè procederà detta disdetta a tempo debito*. Novas deinde porrexit preces pro Beneplacito, exponens stipulationem instrumenti locationis; at iterum S. C. sub die 17. Augusti affixionem demandavit edictorum, *firma interim remanente oblatione Rossi*. *Sess.25.cap.11 de Reform.*

Affixis igitur edictis, obtulit Archangelus Septimj sub fidejussione Josephi Bonilli scuta 35. *con tutti i pesi, e mezzo scudo più sopra di ogni altra offerta, purchè le altre offerte non superino scudi* 40.; obtulitque Valentinus Antonini sub fidejussione Matthiæ Paulini scutum unum supra ceteras oblationes, dummodo non excederet in totum ipsius oblatio summam scutorum quadraginta, cum omnibus pariter oneribus: ac die 14. Decembris deliberata fuit conductio Archangelo Septimj pro scutis 40. 50. juxta ejus oblationem, *salvo jure vigesimæ, & sextæ*. De hac autem quæstus deliberatione, manutentionem ab hac Sacra Congregatione postulavit Felicianus Rossi in possessione bonorum; precibusque die 25. Januarii sequentis anni 1794. pro informatione remissis, additum fuit rescripto = *& Orator consulat conscientiæ suæ una cum Benficiato ob exequutionem locationis ante impetrationem Beneplaciti Apostolici*. Quid spoletinus retulerit Episcopus, quid-

ve

ve auditis Partibus senserit, ab ejus ore Emi Patres accipite.

Quæ proposuit EE. Vestris (sunt ipsius verba) *in adnexa supplicatione Felicianus Rossi, falsitatem redolent, & inani laborant fundamento. Enim vero Orator contractum locationis & conductionis ad novennium perficit, & instrumentum celebravit.. priusquam edicta istius Sacræ Congregationis fuerint demandata. utique affixa. Utique tamen Administer dd. bonori in notificationem publicavit ad invitandos oblatores pro conductione ad novennium, quæ nihil ad rem. Perperam igitur autumnat Felicianus Rossi, præsumi de Beneplacito Apostolico, ex eo quod jam fuerit perfectus contractus post istius Sacræ Congregationis edictorum affixionem: Multo minus, quod idem contractus, celebratus ultra triennium, sit validus ante Beneplaciti Apostolici impetrationem, idcirco non necessarium* (Beneplacitum) *sed tantum ad cauthelam. Interdictum siquidem in dicti bona ecclesiastica ultra triennium inhabilitat contrahentium consensum, & absque legitimo consensu haud posse subsistere locationis & conductionis contractum. ignorat nemo.. Post edictum a Sacra Congregatione demandatum, oblatores comparuere, & meliorem conditionem fecerunt.. qui a me auditi post formalem termini præfixionem ad deducenda jura sua in S. C., dolent de eorum damno & interesse, si ipsorum favore. uti juris est, non sequatur deliberatio, docto jam de præponderantia oblationis, & oblatoris idoneitate, recusant nihilo tamen secius devenire ad litem, confisi rectæ, & sapientissimæ justitiæ EE. Vestrarum.*

Prima quæstio est de validitate contractus initi per Felicianum Rossi. Statim profecto hujusmodi contractus ob defectum Beneplaciti Apostolici dici nequit nullus; nam illud contrahentes reservarunt, manetque contractus in statu validitatis, donec per negationem reservati Beneplaciti resolvatur; *Fulgin. de contract. emphyt. quæst.* 21. *sub num.* 8., *Rot. coram Duran. decis.* 397. *num.* 11. Notandum contra, quod stipulata fuit locatio sub die 24. Aprilis 1793., pendente scilicet a die 20. in Sacra Congregatione instantia pro facultate locandi, immo pendente rescripto S.C. pro affixione edictorum; quodque magis est, missus fuit conductor in possessionem bonorum. In his sane terminis videtur potius reservatio Beneplaciti contraria facto, & a nullitate immunem non reddit contractum,

sine

sine Beneplacito initum, atque exequutum, *Antonell. de regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 15., *Leuren. for. eccles. lib.* 2. *tit.* 2. *quæst.* 156. *num.* 2. *tom.*2., *Novar. de privileg. miserabil. person. privileg.* 130. *num.* 2. Urget ulterius, quod Beneplacitum nunquam supervenerit, immo pro denegato haberi debeat attenta deliberatione a S. C. peracta favore alterius sub die 14. Decembris 1793.

Quatenus autem locatio censeatur nulla, deliberandum erit secundo, num sanari debeat per concessionem Beneplaciti. Hanc conductor mereri posset gratiam ob bonam fidem, qua iniit contractum. Evocatus namque ad eum fuit per notificationem, quam credere potuit legitimam, licet a privato Beneficiati Administro profectam. At ponderare dignentur Emi Patres, num stipulatio dici possit bona fide inita die 24. Aprilis, dum S. C. die 20. affixionem edictorum demandavit, & num ea in illius oblatione concurrat utilitas, quæ ad concedendum Beneplacitum in alienationibus, vel triennio diuturnioribus bonorum Ecclesiæ locationibus requiritur, *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg.* 95. *nu.*33., *Ros. de execut. Liter. Apost. in addit. ad cap.* 13. *n.* 17. Si attendantur edicta, reddere consueverunt bona, de quibus agitur, annua scuta 56. 11., si deferatur Episcopo, scuta 60. 50., non deductis oneribus. Oblatio contra Feliciani Rossi paullo excedit summam scutorum 50., nam consistit pensio in scutis 32., onus Missarum 180. in scutis 18., & quid aliud minimum valent ulmioli, vitesque decem, quas in singulos annos plantaturus foret. Ponderare demum dignentur EE. Vestræ, num revocari debeat deliberatio mediante rescripto S. C. diei 14. Decembris 1793. sequuta favore Archangeli Septimj pro scutis 40. 50., utpote meliorem conditionem exhibens in termino edictorum vigore laudati rescripti S. C. affixorum, & concedendum Beneplacitum pro locatione forsan subdole peracta, & pro minori summa scutorum 32. tantum.

Reliquum est, in hypothesi quod denegetur Feliciano de Rubeis Beneplacitum, ut de jam concessa Archangelo Septimj deliberatione decernatur. Jam vero oblatio de Rubeis, quam firmam voluit S. C. per demandatam edictorum affixionem, fuit scutorum 32., oblatio Antonini scutorum 40., oblatio Septimj scutorum 40. 50. omnium major. Hæc forsan considerari nequit, quam in scutis 35. realiter oblatis. Auctio enim

enim obulorum 50. supra ceteras oblationes non excedentes scutà 40., utpote incerta, non esset admittenda. Verum notandum 1. quod admissa etiam Septimii oblatione in scutis 35. tantum, major tamen remanet oblatione de Rubeis scutorum 32., & Antonini, qui nullam certam summam in sua oblatione expressit. 2. quod Septimii oblatio ex iis non est, quæ ob incertitudinem canonis reiiciuntur *Caball. cons.* 130. *numer.*3., *Mangil. de subhast. quæst.* 23. *num.*4. & *seqq.*, *Post. eod. tract. inspect.* 35. *num.* 48. & *seq.*, sed certum appellat canonem scutorum 40., cui obolos addit 50., & sic juxta praxim etiam S. C. Boni Regiminis, favore præsertim Beneficii, attendi mereretur. Ceterum hæc exceptio est de jure tertii, nempe Septimii, qui non solum eam non deducit, sed urget immo executionem deliberationis, ejus favore demandatę a S. C. sub die 14. Decembris 1793. pro scutis 40. 50.

Dubia sunt.

I. *An conductio inita a Feliciano Rossi sit valida in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.*

III. *An sustineatur conductionis deliberatio favore Septimii in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess.22. cap.6. de Regular.

SAVONEN. LEGATORUM. Sacerdos Jo. Baptista sen. Pessani heredes instituit anno 1739. Protectores Ecclesię, & Nosocomii apparitionis B. M. Virginis de Misericordia Savonæ, pluraque reliquit profana, & pia legata. Attingebant profana januenses libellas 3500 & ultra, seu scuta romana circiter 540. Hæc vero fuerunt pia: Anniverrarium in Ecclesia tumulantę: annuę Missæ

Missæ 400. in diversis Ecclesiis Regularium : hebdomadalis Missa in suburbana Capella S. Hermetis , imposito etiam celebranti onere docendi pueros literas, grammaticam , doctrinamque christianam : & in sacrum denique patrimonium Bartholomęi jun. Pessani ejus nepotis prædia duo . Hujusmodi autem hereditatem veluti damnosam renunciarunt Nosocomii Protectores; eamque propterea ab intestato sine inventario occuparunt præfatus Bartolomæus, & Jo. Baptista jun. Pessani Testatoris nepos,& pronepos,qui dum in minori , & pupillari respective erant ætate , inter se per ipsorum Tutores , & Curatores diviserunt anno 1740. hereditaria bona tum Jo:Baptistæ sen. , cum Bartholomæi sen. illius fratris . Non pauca cuique obtigerunt urbana , & rustica prædia ; fassique fuerunt , *essersi divisi tutti li mobili , ed utensili di casa* , ac sibi insuper reservarunt *di dividersi per metà le posate d'argento , e denari esistenti nel Sagro Monte della Pietà , contenuti in quattro polize* . Pia tamen adimplere neglexerunt legata , præter constitutionem patrimonii sacri .

Quieta hactenus conscientia in id fuisse inquit Sacerdos Bartholomæus jun. sub fide Sapientum savonensis Diæcesis , quum per renunciationem Administratorum Nosocomii redacta fuerit hereditas ad causam intestati , valdeque imminutum sit patrimonium divisum anno 1740. , sive ob necessarias bonorum alienationes ad profana solvenda legata , sive ob passas forsan lites , & evictiones ; & in eo , quod superest , comprehensa sint bona avita , & paterna . Conscientia vero , quæ visa fuit quieta , dat nunc stimulos ; ideoque ad eam sedandam , EE.Vestris supplicat Sacerdos Bartholomæus jun. nomine etiam Theresiæ Pessani viduę Jo: Baptistæ jun. , ut in posterum etiam a piis illis adimplendis legatis absolvantur ; ac refert Savonensis Episcopus , quod *hereditatem dicti quondam Rev. Jo: Baptistæ Pessani Testatoris tempore obitus ejusdem constituebant tot bona valoris circiter libellarum* 21879. *monetæ Genuæ , quæ constituunt summam scutorum* 3339. *monetæ romanæ . Ipsam uti oneribus ultra vires pressam , ab Administratoribus dicti Hospitalis B. M. V. de Misericordia fuisse refutatam* . Ex transmisso autem calculo hic erat activus , & passivus ejusdem hereditatis status . Activus , comprehenso pretio mobilium *a calcolo* , in libellis consistebat 22009. , seu scutis circiter 3390. , passivus ,

omnia complectens legata, in libellis 27624., seu scutis circiter 4257., ita ut passivus superaret activum in libellis 5615., seu scutis 867.

Hereditatem hanc pluribus deinde de causis imminutam affirmat Episcopus. *Siquidem dicti Tutores* (sunt ejus verba) *tum plurima auri, argentique mobilia, tum pecunias in hereditate repertas erogaverunt in earum defensione litium, quas asserti creditores contra eamdem a die mortis dicti quondam Rev. Testatoris intentarunt. Postmodum dict. Rev. Bartholomaeus Pessanus, tunc temporis in minoribus constitutus, legatum patrimonii ecclesiastici sibimet ipsi a propatruo Testatore factum agnoscens, plurima ex eadem hereditate bona valoris libellarum 8648. monetæ Genuæ, & sic scutorum 1335. circiter monetæ romanæ depromptis, super quibus, in vim etiam pronunciationis ab hac Episcopali Curia anno 1753. a tunc temporis Vicario Generali latæ, sibi d. patromonium ecclesiasticum ad effectum assequendi sacrum Subdiaconatus ordinem constituit.*

Exinde tot bona, ac debitorum nomina ad dict. hereditatem spectantia alienata fuerunt, videlicet pro parte dicti Rev. Bartholomæi Pessani, ejusque Tutorum quantum sit pro scutis 110. circiter monetæ romanæ, & pro parte dict. quondam Jo: Baptistæ Pessani, ejusque Tutorum quantum sit pro scutis octingentis dictæ monetæ: veruntamen portio non levis pecuniæ ex dictis alienationibus reductæ erogata fuit in solutionem nonnullorum legatorum, quæ ab ipso Testatore demandata leguntur. Reliqua dictæ hereditatis bona, quæ nunc temporis possidentur a dict. Rev. Bartholomæo, & Theresia de Pessanis vidua relicta a dicto quondam Jo: Baptista Pessano, ejusque usufructuaria, valorem attingunt scutorum 894. dictæ monetæ. Illa enim, quæ detinentur a dict. Rev. Bartholomæo, sunt valoris scutorum 170., & quæ a dict. Theresia, scutorum 724.

De omissione vero piorum legatorum, & alienationibus hæc habet: *Quo ad bonam fidem tum dict. Rev. Bartholomæi, tum quondam Jo. Baptistæ, ac Theresiæ ejus uxoris, eamdem sibimet ipsis adstruunt dicentes, ideo cessatum fuisse a celebratione Missarum* (nunquam celebratum fatetur Orator in supplici libello] *& ad relatas alienationes deventum, quia a doctis, & Theologis responsum tunc temporis fuit pro libertate dd. bonorum, ac onerum a Testatore impositorum cessatione, statim ac he-*

heredis testamentarii repudiatione successio reducta fuit ad causam intestati. Atque ita concludit: *Demum impotentiam supplendi in posterum omnibus, & quibuscumque oneribus Missarum, de quibus in dict. testamento, ex annuis reditibus bonorum dict. hereditatis, quæ ad præsens inalienata existunt penes dictos Rev. Bartholomæum, & Theresiam, probat tenuitas ipsorum redituum, qui, si ratio non habeatur de antedictis bonis patrimonialibus, vix constituunt annuam summam libellarum* 233.

Quæstio est, num caducato per repudiationem hereditatis testamento, caduca etiam fiant pia legata in eo relicta, ita ut a legitimo præstari non debeant herede. Pro affirmativa sunt *Fulgos. in leg. eam quam Cod. de fideicom. Thesaur. jun. quæst. forens.* 38. *num.* 12. *lib.* 4., & cum aliis pluribus *Viv. decis.* 301. *num.* 3. Qui amplissima vero expendunt piæ causæ privilegia, negativam tuentur, ut post *gloss. in dict. leg. eam quam, Barthol. ibid. sub num.* 1. *Firmian. in lexic. verb. fideicommissum pium vers.* 2., *Tiraquell. de privileg. piæ caus. privileg.* 76. Ex hac porro sententia cogendi viderentur Oratores ad implenda legata, de quibus agitur. At eis prodesse posset tenuitas hereditatis, quæ testimonio Episcopi annua dumtaxat reddit scuta 33., non comprehenso patrimonio sacro Bartholomæi; nam ex adeo tenui hereditate vidua præsertim Jo: Baptistæ jun. parcissime vivit; nec quidquam ex ea consequi potuit Maria Antonia Pessani, altera ex neptibus Testatoris, licet in caducato testamento contemplata, miseramque propterea cum viro, & filiis agit vitam, ejus Parocho teste. Nisi profecto ad succurrendum pauperibus consanguineis Testatoris deleta penitus fuerint pia Missarum legata, non raro saltem ab hac Sacra Congregatione fuerunt reducta, ut *in Ferrarien. Reductionis Missarum* 23. *Februarii* 1793.

Hereditatem tamen consequuti sunt Oratores præter intentionem Io: Baptistæ sen., qui eam omnem in profana, & pia distribuerat legata; quodque magis est hereditaria occuparunt bona absque inventario, & in parte etiam alienarunt. In his sane terminis absolvi non debere videntur a piis adimplendis legatis, per *Text. in leg. fin. §. sin vero Cod. de jur. deliberan.*, & *in auth. de hered. & falcid. §. hinc nobis*. Nisi vero juxta citatas leges damnari velint in propriis bonis, quorum existentiam non excludit Episcopus, in parte saltem adimpleri pro nunc

possent legata ex superextante hereditario reditu scutorum 33., in omnibus vero post obitum Sacerdotis Bartholomei per devolutionem fortasse patrimonii sacri, quod sibi ex caducato attribuit testamento, licet ceteroquin declarasset Testator, quod nisi prædia ei assignata sufficerent *per costituirle il patrimonio, sia supplito di altre terre sino alla somma dovuta, e sufficiente, de quali beni sia solamente usufruttuario sino che anderà alle scuole, e facendosi poi Prete secolare possa costituire il Patrimonio*. Juxta prædictum siquidem calculum ab Episcopo transmissum, pro Anniversario, Missis, & salario Ludi magistri requiritur fundus libellarum 11200. seu scutorum 1747. Annuus contra superextans hereditatis reditus scutorum 33. constituit ad taxam legalem capitale scutorum 825., & patrimonium sacrum libellarum 8645. capitale scutorum 1335., & sic fundum simul constituunt scutorum 2160., quę excedunt in scutis 413. fundum onerum.

Ad præteritum vero quod attinet, veniam mereri possent Orator, aliique de ejus familia, quod bona sequuti sint fide consilium savonentium Sapientum, & celebrationem Missarum post ipsorum decessores neglexerint, ut *in Santandrien. 16. Junii 1792. ad II. Dubium*: attenta potissimum tenuitate redituum, ut notatum est ad primum. Facile contra indulgendum eis non est, utpote, qui ab anno 1739. annua consequuti sunt scuta 33. ex superextanti hereditate Testatoris, præter patrimonium sacrum Bartholomæi jun., penitusque neglexerunt pium Missarum legatum; neque insuper de eorum constat paupertate, quæ commiserationem mereatur. Æquum sane non videtur, ut qui tamdiu compendium habuerunt hereditatis, absolvantur omnino a neglectis Missis, quibus ea erat gravata.

Deliberare ergo dignentur Emi Patres.

I. *An, & quomodo sint adimplenda legata pia quo ad futurum in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quo ad præteritum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 14. Martii 1795. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SPOLETANA LOCATIONIS. *Sess. 25. cap. 11. de Reform.*

I. An conductio inita a Feliciano Rossi sit valida in casu &c.

Et quatenus negative.

II. An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.

III. An sustineatur conductionis deliberatio favore Septimii in casu &c.

Ad I., & II. Negative.

Ad III. Affirmative, salvo jure vigesimæ, & sextæ.

SAVONEN. LEGATORUM. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

I. An, & quomodo sint adimplenda legata pia quo ad futurum in casu &c.

II. An, & quomodo sit consulendum SS̃mo pro absolutione quo ad præteritum in casu &c.

Ad I. Affirmative juxta mentem.

Ad II. Affirmative.

ANA-

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

ANAGNINA DISTRIBUTIONUM. Relata fuit Causa ista in præcedens Folium, & ob rescriptum = *dilata ad proximam* = deliberandum modo proponitur.

I. An debeantur distributiones quotidianæ de tempore non præstiti servitii in casu &c.

II. An, & quomodo sit concedendum indultum absentię in casu &c.

Ad I. Negative, demptis duobus mensibus vacationum.

Sess. 14. cap. 7. de reformat.

CAPUTAQUEN. IRREGULARITATIS. Dispensationem ab irregularitate postulavit Sacerdos homicida Conus Feola sub dubio = *An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate*; prodiitque in Congregatione diei 7. Septembris 1793. rescriptum = *Negativè*. Renovat modo preces; & hæc habet Pro-Vicarius Generalis; *testamur, affatum Sacerdotem ab ejus juvenili ætate, nempe tam ante, quam post prædictum homicidium perpatratum, nunquam pro alio crimine fuisse inquisitum, processatum, aut contumacem, vel alio canonico nexu, quoad sciamus, innodatum; immo optimis moribus imbutum, vitæque integritate præditum, Civium exemplo, atque ædificationi semper fuisse, Sacramenta Penitentię, & Eucharistiæ frequentasse, ac omnibus sacris functionibus interfuisse. Publicam scholam Massascusæ, Cerasii, & Pyxunti humanarum artium aperuisse, idque maxima cum laude, & auditorum utilitate exercuisse, ut nobis plene constat ex actis hujus Curiæ, & ex attestationibus Clericorum, & Civium dictorum Locorum*. Quare ex his, aliisque in primo hujus Causæ Folio deductis Eminentissimi Patres deliberare dignentur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Consulendum SSmo pro dispensatione.

BO-

BONONIEN. Qui ex Religiosis bononiensis Cœnobii S. Dominici devotos regit, & moderatur Deiparæ Rosarii, antelucanam coram ipsis ex immemorabili consuetudine celebrat Missam feria V. Majoris Hebdomadæ. Huic verò non acquiescens consuetudini P. Aloysius Becchetti, qui eo nunc fungitur munere, SSmo supplicavit pro confirmatione præsumptæ concessionis Apostolicæ, vel ut sibi suisque successoribus veniam concederet prosequendi celebrationem illam in spirituale devotis Populi solatium. Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, quæsita fuerunt vota Eminentissimi bononiensis Archiepiscopi, & Procuratoris Generalis Ordinis. Sub fide seniorum Patrum immemorabilem Emus Archiepiscopus confirmat consuetudinem, a qua præsumi posse autumat privilegium Apostolicum, *cujus deperditæ sint Literæ*; & concedendam censet gratiam, *quæ Divino cultui, & Beatissimæ Virginis devotioni, atque adeo Populi ædificationi, solatioque spirituali maxime inservit*. In eamdem sententiam descendit Procurator Generalis; licet de præsumpto agens privilegio moneat, quod *in Rubricis mei Ordinis statutum est, ut ea die Fratres privatas Missas non celebrent, sed omnes in Missa conventuali communicent. Aliunde nulla quovis anno a Sede Apostolica ad hanc rem petitur facultas, quæ utrum ab aliquo Cœnobio singulariter habeatur, eo vel maxime non constat, quia Bremondius in Annalibus Ordinis, in quibus solet recensere multa privilegia, etiam singularium Cœnobiorum, nullum hujusmodi privilegium recenset*. *Sess.22.cap. 1. & 5. de Sacrif. Miss.*

Quum de præsumpto igitur privilegio non leve oriatur dubium; de nova idcirco quærendum concessione ex ecclesiastica disciplina, quæ omni quidem ævo constans non fuit. Prioribus sane Ecclesiæ sæculis tres feria V. in Cæna Domini solemnes Missæ ex *Ordine Gelasiano* celebrari consueverant, *Matth. de antiquis Ecclesiæ rit. tom. 1. lib. 1. cap. 3. artic. 3. num. 8.*, *quarum una erat pro Pœnitentibus reconciliandis, secunda pro Sacris Oleis benedicendis, tertia denique in memoriam instituti a Christo Domino Eucharistiæ Sacramenti*, ut his verbis refert *Benedictus XIV. de Festis lib. 1. cap. 6. §. 68.*. At per *Sacramentarium* divi Gregorii Magni, (qui juxta opinionem *Platinæ*, & *Panvinii*, sexto labente, & septimo ineunte sæculo Catholicæ præfuit Ecclesiæ) ad unam reducto trium Missarum numero, in eam

eâ translatæ sunt triplices sacræ functiones, pro quibus totidem prius Missæ institutæ fuerant, sua cuique assignata unius Missę parte, *Matth. loc. citat. tom. 3 lib. 4. cap. 22.* §. 6. *num.* 1., *& 10. in fin.* atque injuncta Cleri communione, cujus rationem Divus ipse *Gregorius* tradidit in hæc verba: *Ob reverentiam igitur Christi solius hac die celebrantis, & suis manibus Discipulos communicantis, nemo pius, & prudens convenienes esse negaverit, ut ipsa die* (Feria V. in Cœna Domini) *qualibet in Ecclesia unica liturgia celebretur ab uno, eoque primario Sacerdote, reliquis Discipulorum instar assistentibus, & summa modestia, & humilitate de ejus manibus suscipientibus Corporis, & Sanguinis Agni immaculati (qui Pascha nostrum immolatus est) Sacramenta veneranda*, ut videre est apud *Gonzalez. in lib. 3. decret. tit. 41. de celebrat. Missar. in fin.*, *ubi* Sacramentarium illud recensuit. Iam vero hunc ritum confirmavit *Concilium Bracharense* 3. *can.* 3., & *Toletan.* 4. *cap.* 17., *Ordo Romanus de Cœna Domini*, ubi sic legitur = *Fractis autem oblatis communicent Presbyteri primo, postea Diaconi, & ceteri omnes, & ita perficiatur* = *Cæremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 23.*, Clementis VIII., Innocentii X., & Benedicti XIII, auctoritate probatum; illumque demum insigniores alię Orbis Catholici Ecclesiæ passim receperunt, teste *Marthœne citat. cap. 22. per tot.*

Sæculo tamen XVI. & sub initium XVII. acriter inter Doctores disputari cœpit, num ea die, præter solemnem Missam, privatas alias ad libitum Sacerdotum celebrari liceret; atque affirmativam tenuerunt *Sotus in 4. distinct. 13. quest. 2. artic. 2.*, *Suarez 3 part. disput. 80. sect. 2.*, *Guttierez quæst. can. lib. 1. cap. 30. num. 36.*, *& Barbosa de Offic. Paroch. cap. 11. num. 49. & seqq.*, desumpta ratione *a cap. Sabbatho de consecrat. distinct. 3.*, quo biduo tantum ante Pascha a Sacris penitus cessandum præcipitur. In memoriam ergo instituti Sacramenti Eucharistiæ sufficere opinabantur, si pars tantum Cleri in Missa solemni communicaret, aliis ad libitum privato Sacrificio vacantibus, non obstante Apostolorum exemplo, quos ideo ea die a celebratione abstinuisse affirmabant, quia nondum ad Sacerdotium fuerant evecti, quod in ipsa Cœna contigit verbis illis = *Hoc facite in meam commemorationem*.

Con-

Contrariam sustinuerunt opinionem *Francolinus de Hor. canon. cap.* 30., *Lugo de Eucharist. disput.* 20. *sect.* 1. *num.* 14., *Gavant. ad Rubric. Missal. part.* 4. *tit.* 8. *de feria V. in Cœna Domini sub num.* 7., *ibique Meratus sub* §. 8., aliique plures non inferioris notæ Doctores, quorum rationes nedum jam editis de hac liturgia legibus nitebantur, quam resolutionjbus Sacræ Congregationis Rituum. Sæpe enim hac de re quæsitum in ipsa Sacra Congregatione, totiesque interdicta privata celebratio, nisi dicta feria V. recurreret Festum SSmæ Annunciationis, aut S. Josephi, quo in casu tantùm permisit, ut in commodum Populi, præcepto audiendi Missam adstricti, arbitrio Ordinarii sufficiens Missarum numerus ante Conventualem celebrari posset, ut pandunt Decreta quæ collegit *Meratus ad Gavant. loco citat.*, & *Ferrar. post Bibliothec. legal. num.* 639. 890., & 1513.

His non obstantibus, fautores affirmativæ sententiæ auctoritati non cesserunt resolutionum, ususque privatæ celebrationis passim invaluit, tum in Urbe, cum in aliis locis, & in bononiensi præsertim Diœcesi. Hanc ergo licentiam, cum universali Ecclesiæ disciplina pugnantem, prohibitivo edicto in Urbe refrenavit primum clar. mem. Card. Sahellius Vicarius, ut narrat *Gonzalez in lib.* 3. *decret. tit.* 41. *sub num.* 4., deindeque ejus successor clar. mem. Card. Paraccianus, qui anno 1719. hoc jussu Clementis XI. decretum edidit = *Sanctitas sua juxta ea, quæ pluries a Sac. Rituum Congregatione sancita sunt, præcipit omnibus Sacerdotibus, ut a Missis celebrandis privatim obstineant non modo feria VI., sed etiam feria V., ac Sabbatho Majoris Hebdomodæ, tum in privatis Sacellis, tum publicis Regularium, vel Sæcularium Templis, quibuscumque privilegiis prædita sint; quæ omnia, & quamlibet contrariam consuetudinem penitus abrogat.*

Quod sane memorans decretum *Benedictus XIV. Institut. eccles.* 38. *num.* 9. dum bononiensem regebat Cathedram, in Metropolitana, omnibusque suæ Diœcesis Collegiatis eumdem ritum, abstinendi scilicet a celebratione & communicandi in Missa Conventuali, servandum jussit, & contra Sacerdotes refractarios, præter arbitrarias, suspensionis quoque pænam ferendæ sententiæ

comminavit. *Si quis* [ita sub §. 11. ejusd. Inst.] *absque legitima causa, Canonicus, Sacerdos, aut Clericus majoribus, seu minoribus Ordinibus initiatus eisdem Ecclesiis addictus hanc legem contemnat feria V. Majoris Hebdomadæ, præcipimus, ut ille, qui absentes a Choro notare consuevit, nos certiores faciat, ut debitas pœnas infligamus. Si vero præter Parochum in sua Parochia, Sacerdos aliquis cujuscumque conditionis, aut Dignitatis Missam [quod suspicari vix possumus] privatim feria V., sexta, ac Sabbatho Majoris Hebdomadæ celebrare ausus fuerit, ipsum graviter puniemus, & a Divinis etiam interdicemus*. Ceteris vero missis argumentis, quæ ex veteri, & recentiori Ecclesiæ disciplina, ex rubrica item dominicani Ordinis, Pontificiis decretis, & resolutionibus Sacræ Congregationis Rituum desumuntur, hoc unum sane edictum Benedicti XIV., quod bononiensem afficit Diœcesim, consuetudinem apud Dominicanos invectam illicitam ostendit, quum sub generali interdicto ipsi quoque comprehensi videantur.

De legibus contra agitur ecclesiasticæ disciplinæ, ad quas præscribendas contraria sufficit 40. annorum observantia, ut *post cap. ultim. de consuetud.* docuerunt *Covarruv. lib. 2. var. resolut. cap. 16. num. 6. §. quinto, Suarez de Leg. cap. 18. num. 12., Engel. in jus can. lib. 1. tit. 4. num. 15. & Sac. Congregatio in Veneta 13. Julii 1720. §. Porro*; eoque magis idcirco præscripta videri posset in præsenti casu per consuetudinem immemorabilem, quæ, juxta *Piringhium in jus can. lib. 3. tit. 4. §. 3. num. 14. æquipollet privilegio, ita ut quidquid induci potest per privilegium, possit etiam per consuetudinem*. Quin observantiæ hujusmodi Benedictinum obstet edictum; quum de præexistenti consuetudine in Ecclesia S. Dominici nullam fecerit mentionem. Reque vera si Dominicani ea non obstante prohibitione, in veteri continuarunt usu, quem Pontifex ille ignorasse non præsumitur, hæc ipsa profecto tolerantia ad tacitam trahi posset approbationem, ut notant *Less. lib. 2. de justit. & jur. cap. 6. num. 45., Piringh. in jus can. lib. 1. decret. tit. 4. num. 34., & Reiffenstuel eod. lib. & tit. num. 93. & 94.*, & in ipsius celebrationis terminis monuit *Gonzalez in lib. 3. decret. tit. 41. de celebrat. Miss. sub num. 4.* Notanda denique finalis causa, cur

cur Sacrum privatum sub auroram feriæ V. Majoris Hebdomadæ in Ecclesia S. Dominici peragi consueverit, ad fovendam scilicet Populi pietatem erga Deiparam SS̃mi Rosarii; quæ sane circumstantia consuetudinem ipsam rationabilem ostendit, eamque cum legitima præscriptione conjunctam approbat *Text. in cap. ultim. de consuetud.*, & *Reiffenstuel. in lib.* 1. *decret. tit.* 4. *num.* 30. Opportunum vero Sacrum illud censet Em̃us Archiepiscopus devotioni erga Deiparam SS̃mi Rosarii, ne Populus hoc spirituali solatio in futurum privetur; atque ad fovendam Fidelium pietatem quandoque hanc dedit veniam Sac. Rituum Congregatio, ut *in Nullius Nonantulæ* 11. *Martii* 1719., quæ resolutio est inter collecta *per Ferrar.* decreta *sub num.* 896. Ex his igitur decernere dignentur Em̃i Patres.

An Promotori pro tempore devotionis SS̃mi Rosarii permittenda sit celebratio Missæ lectæ sub auroram feriæ V. in Cœna Domini in Ecclesia S. Dominici Civitatis Bononiæ in casu &c.

Affirmative & ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo.

ANCONITANA, ET CAMERINEN. ORDINATIONIS. Perfuga homicidii causa a Camerino ejus patria, camertem uxorem duxit in Urbe Alexander Tosi, genuitque ex ea Venantium. Se deinde cum familia contulit Anconam, ibique ejus filius inter præsidiarios milites adscriptus, & ipse nupsit anno 1765., ac sutoriam artem in conducta exercebat domo. Rediit tandem Alexander Camerinum, & Venantius post genitum Anconæ Sanctem, damnatus fuit ob commissum crimen ad triremes. Qua de re ut sibi, & filio consuleret, se in famulatum recepit misera illius uxor: sed ob bonam indolem admissus fuit Sanctes inter Alumnos Seminarii anconitani, ibique primam Tonsuram, & minores ordines ab Ordinario accepit. A triremibus hinc ex gratia liberatus Venantius cum exilio ab Ancona, *Sess.* 23. *cap.* 5. *de Reform.*

aliisque maritimis portibus, necessario adiit locum suæ originis Camerinum, eumque, relicto domicilio Anconæ, sequuti fuerunt anno 1789. uxor, & filius; atque ex hoc orta est quæstio inter camerinensem Archiepiscopum, & Eñum Episcopum anconitanum de promotione Sanctis ad Sacros Ordines.

Re ad EE. Vestras pro declaratione legitimi Ordinarii ad preces ipsius Sanctis delata, hæc primum Pro Vicarius Generalis impediti Archiepiscopi ad ejus tuendam jurisdictionem habuit: *Quum Orator indubie originem trahat ex hac Civitate* [Camerini] *& in ea moram ducat, quumque e contra in Civitate Anconæ occasionaliter natus sit, nec quidquam in ea possideat, ad formam Bullæ Innocentianæ incipien.* Speculatores, *videtur dubitari non posse, quod ab alio, quam a meo Archiepiscopo ad ordines promoveri non debeat*. Fusius deinde Eñus Episcopus anconitanus, opportunisque documentis probavit exposita in facto, suamque informationem in hæc conclusit verba: *Quare satis mihi erit strictim dicere, quæ superius fusiori calamo in medium attuli, meridiana luce clarius constare, Venantium ultro Anconam accessisse, non raptum* [ut arbitrabatur Archiepiscopus] *nihil secum transferre potuisse, præter personam, namque paupertas, immo egestas eum angebat; Anconæ uxorem duxisse, domumque extruxisse; in ea denique conceptum, exortumque Clericum nostrum, qui Anconæ maxime diuturnam moram habuit per quatuor lustra & amplius; quod tempus, ceteris aliis prætermissis, ad sibi saltem legitimum domicilium anconitanum acquirendum satis superque nemo non videt. Jure igitur meritoque concludendum mihi esse videtur, Oratori fas esse, juxta Innocentianam constitutionem §. ceterum, me suum Ordinarium agnoscere, patris origine posthabita, & a mea potestate solo camerinensis Antistitis arbitrio eum avelli non posse*,

Statuit Innocentius XII. in citata Constitutione *Speculatores* §. *ceterum*, attendendam esse originem patris pro ordinatione filii, ubi in alio filius natus sit loco ex accidenti, dum ibi nempe morabatur pater ratione itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel alterius temporariæ moræ, reportatis tamen testimonialibus Episcopi domicilii, quatenus occasionalis illa mora fuerit diuturna:

lo-

locum vero præferendum domicilii, si diu filius in eo permanserit, animumque habuerit continuandi moram. Quæstio igitur est facti; utrum scilicet Oratoris nativitas in civitate Anconæ fuerit nec ne occasionalis. Se initio illius avus, suamque familiam traduxit Anconam non animo forsan permanendi, sed ut commodius in ea opulenta viveret Civitate quousque a Camerino exularet; idque confirmavit ejus reditus in patriam, composito Fisco. Anconitanum paucis annis continuavit domicilium illius filius ratione militiæ; seque & ipse post diuturnam triremium pœnam contulit Camerinum. Ac tandiu postremo mansit Orator Anconæ, quamdiu fuit ejus pater in triremibus, eumque sequutus fuit in Civitatem originis.

Ex tali autem mora occasionaliter avus, filius, & nepos fuisse videntur Anconæ, ibique propterea ex accidenti natum esse Oratorem. Maxime quia neque Orator, neque ejus pater, vel avus declararunt unquam animum permanendi in ea Civitate, neque domum ibi, vel alia bona stabilia quæsierunt. Absque enim declaratione animi, rerumque immobilium acquisitione domicilium non constituit mora, per *Text. in leg. libertas §. sola ratio, & §. sola domus ff. ad municip., leg. ejus §. Celsus ff. eod., leg. cum neque 9. ibique Joann. de Plat. Cod. de incol., Mæv. in jus lubecen. lib. 1. tit. 2. num.* 55., *& seq.*. Unam profecto, & alteram simul requisivit Sacra hæc Congregatio *in Maceraten.* 15. *Februarii* 1772. Quamvis enim Nicolaus Ferri ex oppido Monticuli jamdiu in altero moraretur Montis Milonis, ibique bona possideret stabilia, non aliter tamen per *Summaria precum* rescripsit, Josephum illius filium *spectare ad Episcopum maceratensem*, ordinarium Montis Milonis, in quo natus erat, quam *præstito prius juramento* (permanendi) *ad formam Constitutionis san. mem. Innocentii XII. Speculatores*.

Nedum contra Oratoris pater moram continuavit Anconæ post discessum Alexandri, sed uxorem etiam in ea duxit, & quantum tenuitas ferebat proprii status, instruxit domum, in qua sutoriam artem exercebat. Post passam immo triremium pœnam, Anconam fortasse rediisset, nisi pulsus ab illa in exilium fuisset. Orator vero anconitano se adscripsit Clero; in anconitano instituj

stitui voluit Seminario; quatuor Anconæ permansit lustris; & ab ea tandem ut exulem sequeretur patrem discessit. Hæc forsan accidentalem excludunt Oratoris nativitatem Anconæ, animumque in patre, & filio monstrant permanendi in ea Civitate, a qua eos abduxit necessitas. Atque hinc non immerito forsan censet Emus anconitanus Antistes, ejus saltem subditum evasisse Oratorem per diuturnum domicilium annorum viginti.

Quatenus vero EE. Vestræ pro camerinensi decernant Archiepiscopo, modum etiam statuere dignentur, quo ad promotionem procedere valeat Oratoris ad sacros ordines. Expresse in id loquitur *Innocentiana*; nam opus ex ea esset testimonialibus Emi Episcopi anconitani ob diuturnam Oratoris moram sub ejus jurisdictione. Nec aliud eidem Antistiti competeret ob collatam Oratori primam Tonsuram, & minores ordines; nam canonicum interdictum variandi ordinantem in sacris tantum procedit ordinibus, *Antonell. de regim. Eccles. part. 2. allegat. 4. cap. 1. num. 2.*, *Barbos. de Episcop. part. 2. alleg. 4. num. 41.*

Decernere igitur dignentur EE. Vestræ.

An, a quo, & quomodo promoveri debeat Orator ad sacros Ordines in casu &c.

Affirmative ab Emo Episcopo anconitano cum testimonialibus Archiepiscopi camerinensis.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FABRIANEN. LEGATI. Canonicus olim Nicolaus Quirini legavit anno 1715. Collegiatæ S. Nicolai Fabriani scuta 300. in interiorem ejus Ecclesiæ ornatum. Legatam summam accepit Capitulum per venditionem quorumdam bonorum hereditatis, pro quibus obligationem assumpsit favore emptoris de restituendo prioribus, & potioribus creditoribus Legantis. Ne quid vero ex hujusmodi obligatione detrimenti caperet mensa capitularis, impetravit Capitulum ex Pontificio rescri-

scripto anni 1717. facultatem creandi cum legata pecunia activum censum, qui stare deberet pro evictione bonorum, atque erogandi ejus fructus in ornatum Ecclesiæ, *pro arbitrio* tamen, *&* *conscientia Episcopi camerinensis*, sub cujus jurisdictione erat Fabrianum. Tamquam judex igitur delegatus licentiam dedit camerinensis Antistes Belluccius conficiendi designatum investimentum *obnoxium obligationi per Oratores factæ de restituendo prioribus, & potioribus creditoribus Canonici Nicolai Quirini benefactoris*, mandavitque, *ut fructus præfati investimenti, etiam completa summa scutorum 300., semper, perpetuo, & omni tempore erogentur in ornatum Ecclesiæ interioris dictæ Collegiatæ S. Nicolai*.

Nunquam spatio annorum octoginta evenit assumptæ evictionis casus; superest modo in tot censibus capitale scutorum 220., quin de causa constet ejus decrementi; fructusque hactenus in ornatum Ecclesiæ fortasse cesserunt. Quum nunc igitur Capitulum novo indigeat organo, pro quo peritorum judicio scuta requiruntur circiter 300., supplicant idcirco EE. Vestris pro facultate erogandi in hanc causam capitale illud, cui addere pollicentur de proprio deficientem summam. Fabrianensis autem Episcopus, a suo abstinens voto, de necessitate refert, & impensa novi organi in scutis tercentum, ac testatur, quod *fabricæ reditus huic impensæ impares omnino sunt, quippe qui constant ex rubris duobus frumenti, & ex scuto uno, & obolis septem annuatim tantum; ita ut reditus ipsi non solum insumpti huc usque fuerint in aliis fabricæ ordinariis indigentiis, sed Capitulum pluries coactum fuerit æs alienum de licentia Superiorum contrahere, ut indigentiis ipsis occurreret. Canonici autem singuli primæ erectionis, qui ex massa communi capitulari aluntur numero septem, si proprio ære ad organi comparationem cogerentur, non levi gravarentur onere*. Ac refert tandem, quod *Canonicorum requisita sententia, omnes erogationi dictorum scutorum biscentum viginti, pro legati Quirini evictione assignatorum consenserunt, rati, evictionis casum, attento longissimi temporis lapsu, non amplius fore eventurum*.

Plu-

Plures ad concedendam gratiam sunt difficultates. Prima est, num permitti valeat distractio capitalis obligati pro evictione bonorum Quirini; & pro negativa est perpetuum semel assumptæ obligationis vinculum, per *Text. in leg. petens* 27. *Cod. de pact.* Altera oritur ex decreto camerinensis olim Episcopi Belluccii, qui in executionem Pontificii rescripti mandavit anno 1717., ut fructus investimenti pecuniæ legatæ erogari deberent *semper*, *perpetuo*, & *omni tempore in ornatum Ecclesiæ interioris dictæ Collegiatæ S. Nicolai*. Per distractionem enim capitalis provida hæc everteretur lex, sub qua fuit confectum, & interior Ecclesiæ ornatus perpetuo privaretur fundo. Tertia demum in ipsa consistit pecuniæ erogatione. Ecclesiæ siquidem organum pars dici valet ejus fabricæ, quæ propriis deficientibus reditibus, ut pene in nostro themate deficiunt, principaliter incumbit illius Rectori, *Benedict. XIV. instit.* 100. §. 12. Ecclesiam autem S. Nicolai regit ejus Capitulum, cujus vires ex silentio Capitularum præsumi nequeunt exiguæ.

Quamvis altera ex parte obligatio sit perpetua, post annos tamen octoginta censeri valet resoluta quoad anteriores, & potiores, si qui fuerunt, Testatoris creditores, quorum favore eam assumpsit Capitulum. Negligentium enim creditorum actio legitima extinguitur præscriptione, ex doctrina *Baldi in Auth. nisi triennali num.* 1. *Cod. de bon. matern.*, spatio scilicet annorum triginta, *Menoch. cons.* 904. *num.* 54., *Petr. de fideicomm. quæst.* 14. *num.* 159. & *seqq.*. Perpetuum quidem Episcopus Belluccius voluit capitale confectum ex pecunia legata, ut perpetuo ex fructibus consultum esset ornamento Ecclesiæ. Sed hoc quodammodo adimpleretur per confectionem novi organi, quod princeps est, & quasi perpetuum Ecclesiæ ornamentum, nec ejus structura patitur, ut paullatim fiat ex fructibus. Admodum grave tandem esset Capitulo, si novi organi sumptus fieri deberet ex ejus massa; nam ut minoribus suppleret Ecclesiæ indigentiis, coactum fuit *pluries æs alienum de licentia Superiorum contrahere*, Episcopo teste.

Quæ-

Quæritur itaque.

An, & quomodo permitti debeat applicatio capitalis Quirini in casu &c.

Affirmative juxta preces.

RAVENNATEN. CAPELLANIÆ. Præscripsit anno 1702. Benedictus de Tavellis executoribus suis testamentariis, ut post obitum ejus sororis usufructuariæ *istituischino, erighino, e fondino, mediante il dovuto consenso, ed approvazione de Signori Superiorì, a quali spetta, un juspatronato, o cappellania nella mia Chiesa di S. Paterniano* (ravennatensis Diæcesis) *all' Altare de' SS. Giovanni, e Benedetto in quella esistente, e fatta detta erezione, e fondazione, sempre col consenso de Signori Superiori sudetti, e di chi spetta, assegnino tutta la mia eredità al detto jus patronato, o cappellania per dote.* Jus nominandi Capellanum contulit in Com. Nicolaum de Septem Castellis, ejusque filios, & descendentes masculos: his vero deficientibus, in Conservatorium nuncupatum *delle Tavelle*; eoque fortasse extincto, in ravennatenses Parochos. Facultatem vero dedit nominandi *anche persona ordinata in minoribus tantum, coll' obbligo però al detto nominato di celebrare, o far celebrare in detta Chiesa, & a detto Altare tre Messe la settimana in perpetuo*; voluitque, *che detto juspatronato, o cappellania non s' intenda, ne intender si possa beneficio ecclesiastico di perpetuo titoto collativo, ma semplice dote de Rettori, o Cappellani, e semplice servizio di detti, & elemosina di dette Messe . . . . e che mai si possa dire beneficio ecclesiastico o titolo di perpetuo beneficio ecclesiastico, e che detta dote possa mai essere applicata a qualsivoglia beneficio, o convertirsi in altro uso.* *Sess.22.cap.6. de Reform.*

Erecta fuit per decretum Curiæ Archiepiscopalis hujusmodi capellania anno 1708. & primus Capellanus per episcopales Bullas fuit Acolytus Joseph de Septem Castellis, addita in ipsis Bullis *expressa declaratione, dictam capellaniam, sive juspatronatus quoquo modo dici, vocari, nominari, nec præsumi, aut prætendi posse beneficium ecclesiasticum*. Ei absque ulla collatione neque per Bullas, neque per decretum ex eadem familia successit tonsuratus Aloysius. Et hoc tandem nuper defuncto, in Capellanum nominavit Com. Carolus de Septem Castellis Petrum Paulum Lovatelli annorum novem, & prima dumtaxat initiatum Tonsura, qui EE. Vestras exorat, ut validam declarare dignentur suam nominationem, non obstante minorum ordinum defectu; vel pro dispensatione, aut dilatione ad eos suscipiendos. Atque hæc habet ravennatensis Archiepiscopus: *Difficultas tota consistit in interpretatione illorum Fundatoris verborum = possano nominare anche persona ordinata in minoribus tantum = quæ primo aspectu videntur in persona nominata ordines minores actu requirere. Sed contrarium verius est (inquit Gonzal. in jus Canon. ad cap. 1. num. 2. de apostat.) nam clericorum nomine, etiam cum agitur de clericis habentibus ordinem clericalem, comprehenduntur clerici prima Tonsura initiati. Cui interpretationi tum status ultimus capellaniæ, quam Com. Aloysius de Septem Castellis prima tantum Tonsura initiatus diutissime possedit, tum Com. Caroli de Septem Castellis unici capellaniæ patroni, meaque, si quid valet, opinio arridet, in subjecta præsertim materia favorabili*.

Verba siquidem illa = *possano nominare anche persona ordinata in minoribus tantum* = hanc potius parere videntur quęstionem, num indefinita dictio *in minoribus* clericos dumtaxat appellet quatuor minoribus ordinibus insignitos, vel etiam Tonsuratum, eaque initiatus, lata saltem significatione, dici valeat *in minoribus*. Celebris in id contentio est inter Theologos, & Canonistas. Censent Theologi, primam Tonsuram non esse ordinem, sed dispositionem ad ordines; idque ex pluribus canonici juris locis argumentatione desumunt; ut post *Div. Thom. in 4. distinct. 24. quæst. 2. art. 1. quæst. 2., Altisiodor. in Sum. lib. 4. tract. 8. quæst. 1. col. 1.*

col. 1. *supplem. Div. Thom. quest.* 40. *art.* 2., *Sot. in* 4. *distinct.* 24. *quæst.* 1. *art.* 1. *circ. fin.*, *Silvest. verb. Ordo* 1. *num.* 1. *in* 1. & 2. *dub.*, *Vasq. in* 3. *part. Divi Thom. tom.* 3. *disput.* 236. *cap.* 1. Numerant altera ex parte Canonistæ novem ordines, non simpliciter prout sunt gradus Ecclesiæ, sed prout sunt Sacramentum, & inter eos Tonsuram, & Episcopatum; ideoque ex Pontificio etiam jure, Conciliis, & argumentis probant, verum ordinem esse Tonsuram, & characterem imprimere. Ita præ ceteris *Abb. Antiqu. in cap. cum contingat de ætat. & qualit. gloss.* 2. *num.* 1., *Covarr. in cap. quia nos num.* 4. *de testam.*, *Gemin. in can. Cleros col.* 2. *prope fin. vers. ad primum* 21. *dist.*, quibus aliisque adhæret *Fagnan. in cit. cap. cum contingat. num.* 44., eruditeque utramque sententiam refert, & expendit *ibid. a num.* 12. *ad num.* 118.

Ex prima igitur sententia censeri non posset Orator per simplicem dispositionem ad ordines *persona ordinata in minoribus*: sed talis fortasse est ex secunda; eique propterea conveniret passiva vocatio. Pro persona insuper *ordinata in minoribus*, ad eum probabiliter respexit fundator, qui capax esset capellaniæ, *che non s'intenda, ne intender si possa beneficio ecclesiastico, ma semplice dote de' Rettori*. Requiritur autem in Tonsurato ætas annorum 14. ad ecclesiasticum obtinendum beneficium, ex *Sacr. Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.*, non item ad laicalem capellaniam, in qua expresse data est facultas celebrandi per alium. Hujusce enim capellaniæ capax est nedum puer tonsuratus, ut Orator, sed etiam infans, *Rigant. ad regul.* 58. *Cancell. num.* 54., & Sacra hæc Congregatio *in Urbevetana* 11. *Decembris* 1784.

At si EE. Vestræ obesse censeant Oratori minorum ordinum defectum, deliberare dignentur de dispensatione, vel dilatione ad eos suscipiendos. Facile profecto derogandum non videretur voluntati Fundatoris, qui ad tempus respiciens nominationis, nominari jussit *anche persona ordinata in minoribus*, nisi ex necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, vel prærogativa personæ, *Sperell. decis.* 109. *num.* 25. Nedum vero de his non constat caussis, sed nec etiam de paupertate saltem Oratoris, ob quam concessa quandoque fuit capellaniæ suspensio sub administratione, ut *in Forolivien. Capellaniæ* 25. *Junii* 1791. *ad II. Dubium*. Nulli contra per flagitatam di-

dispensationis, vel dilationis gratiam inferretur præjudicium, quum vocatæ non sint certæ personæ, neque ob facultatem celebrandi per alium quidquam pio operi detraheretur.

Dubia sunt.

I. *An sustineatur nominatio ad capellaniam, de qua agitur in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione, vel suspensione nominationis in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess.22. cap.8. de Sacrif. Missæ, & sess.23. cap. 1. de Reform.

ASCULANA. Incolæ Villarum *Pozza*, *Castiglioni*, *Forcella*, & *Pito* unicum agnoscunt Parocum S. Sabini. Posita est parochialis Ecclesia supra verticem solitarii Collis, neque hac de causa, & ob deficientes ejusdem Ecclesiæ reditus servatur in ea Sanctissimum Eucharistię Sacramentum. Nonnullis igitur abhinc annis impetrarunt primum Pitienses a defuncto Episcopo asculano facultatem retinendi Eucharistiam in eorum Ecclesia S. Georgei, deindeque die 13. Julii 1791., quod *il Parroco nelle terze Domeniche in vece di portarsi la sera a fare l'esposizione, e benedizione del Santissimo in detta Chiesa* (ut moris erat) *ci vada nella mattina, e ci celebri la Messa per maggior culto, e profitto spirituale dei ricorrenti*. Per hoc rescriptum renovatum quodammodo fuit decretum Sacræ Visitationis anni 1580., ex quo Parochus S. Sabini celebrare tenebatur Sacrum in veteri Ecclesia Piti, eidem S. Georgeo dicata, in una cujusque mensis Dominica. Sed ęgre illud tulerunt aliarum villarum incolę, Vestramque implorarunt auctoritatem, ut eas Parochi functiones ab Ecclesia Piti ad parochialem restituerent.

Hæc autem asculanus Vicarius Capitularis in id retulit: Parochum nempe residentiam habere in villa Piti, & pręter reditus bonorum Ecclesiæ S. Georgei, decimas per-

percipere ab incolis ejusdem viliç: parumper eam Ecclesiam angustam esse, nec omnes villarum habitatores capere posse; sed paratos esse incolas Piti ad illam potius ampliandam, quam ad cedendum rescripto: magis Ecclesiam ipsam distare a villis *Pozza*, *Castiglioni*, & *Forcella*, quam altera S. Sabini, sed tamen distare per quartam tantum milliarii partem; minusque de cetero asperam esse viam, quæ ad illam ducit. Atque EE. Vestris decernendum relinquit, *an sit exequendum & confirmandum rescriptum defuncti Episcopi, injuncta Pitiensibus obligatione ampliandi Ecclesiam, vel annuendum precibus trium villarum*.

Dubitari præ omnibus posset, num concedere valuerit Episcopus licentiam servandi SS. Eucharistiam in Ecclesia S. Georgei non parochiali; nam hanc ei negant potestatem *Barbos. in Conc. Trid. sess.* 13. *de Sacram. Euchar. cap.* 6. *num.* 3., *Pignatell. consult.* 68. *num.* 3. *tom.* 6., *Ferrar. Biblioth. verb. Eucharistia num.* 46. Servandum porro est SS. Sacramentum in Ecclesia parochiali, quamvis paupere, *Petr. ad Constit.* 1. *Urbani VIII. sect. unic. num.* 15., *Barbos. loc. cit. num.* 2: At de hoc modo non quęritur; & probandum forsan esset factum Episcopi ob incommodam, periculosamque positionem solitariæ Ecclesiæ parochialis supra verticem collis. Maxime quia eidem subest Parocho Ecclesia S. Georgei, & quoad retentionem SS. Sacramenti vices gerit Parochialis; neque ob mutatam Divinam Custodiam de ullo habitatores villarum supplicantium queruntur detrimento.

Ad præsentem itaque quęstionem notare dignentur Emi Patres, explendas esse parochiales functiones in Ecclesia parochiali, diebus præsertim festis, in quibus applicare tenetur Parochus Missam pro Populo, eumque christiana instituere disciplina ex *Sac. Concilio Trident. sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*, atque hinc secum reputent, num permitti debeant Parocho S. Sabini celebratio Missę, aliæque functiones in Ecclesia non parochiali S. Georgei tertia cujusque mensis Dominica, juxta novissimum defuncti Episcopi rescriptum. Eo magis, quia omnes Ecclesia illa non capit Parochianos, ut præter testes a supplicantibus productos, refert Vicarius Capitularis. Verum pro observantia rescripti urgere videtur, quod Ecclesia S. Georgei est filialis S. Sabini; quod rescriptum renovat observantiam

jam

jam vigentem anno 1580., ut in facto exponitur, & quod semel tantum Parochus in mense a parochiali divertit Ecclesia, & quidem de mane solummodo una addita Missa expositioni, & benedictioni Sanctissimi Sacramenti, ad quam tenebatur de sero. Major insuper trium Villarum distantia ab Ecclesia Piti levissima est, & a commodiore compensatur via, ut monet Vicarius Capitularis: & ampliare etiam pollicentur Pitienses Ecclesiam, ut omnes capiat. In his porro terminis privari forsan non debent spirituali paucarum functionum solatio, quæ nihil aut parum reliquarum villarum habitatoribus detrahunt.

Deliberandum itaque.

An, & quomodo sit exequendum rescriptum asculani Episcopi 13. Julii 1791. in casu &c.

Die Sabbathi 18. Aprilis 1795. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

RAVENNATEN. CAPELLANIÆ. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

I. *An sustineatur nominatio ad capellaniam, de qua agitur in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione, vel suspensione nominationis in casu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Provisum in primo.

ASCULANA. *Sess.22. cap.8. de Sacrif. Miss. & ses.23. cap.1. de Reform.*

An, & quomodo sit exequendum rescriptum asculani Episcopi 13. Julii 1791. in casu &c.

Affirmative ampliata per Pitenses Ecclesia S. Georgei.

PORTUEN. REDUCTIONIS ONERUM. Agnes de Paulis instituit anno 1712. heredem in usufructu Antonium Serbaroli ejus virum, & in proprietate Nosocomium S. Joannis Calabitæ Urbis sub lege, *che detto* *Sess.25. cap.4. de Reform.*

Luo-

Luogo pio debba dar principio alla fondazione di un' Ospedale nella terra di Cesano. Quoties vero hereditatem repudiarent Patres Calabitæ, potestatem fecit ipsius viro *di poter istituire, e nominare un' altro Luogo pio in luogo del sudetto a suo arbitrio, ed elezione, e con tutti quelli pesi, che al medesimo parerà, e piacerà*. Apud acta declararunt Religiosi, se hereditatem accepturos, onerique satisfacturos: at de eorum dubitans perseverantia, testamento cavit Serbarolius anno 1721., ut in casu repudiationis erigeretur ex bonis hereditariis in parochiali Ecclesia Cæsani capellania ad nutum amovibilis cum onere celebrandi *quel numero di Messe, che determinerà l'infrascritto mio Esecutore testamentario*.

Serbarolio defuncto, nacti fuerunt Calabitæ sequenti anno 1722. possessionem hereditatis de Paulis, quæ annui erat, liberique reditus scutorum 121. 50., sed eam existimantes fundationi Nosocomii imparem, supplicarunt san. mem. *Benedicto XIII.* pro commutatione voluntatis Agnetis. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem remissis, prodiit die 20. Decembris 1732. contradicente Communitate Cæsani rescriptum = *Negative; & quatenus Fratres intra duos menses non adimpleant, servetur dispositio Antonii Serbaroli, injuncto tamen Capellano onere celebrationis, & applicationis Missæ quotidianæ, nec non coadjuvandi Parocho in cura Animarum. Quo vero ad redditionem rationis, ad Emum Episcopum* [portuensem] *prout de jure, & amplius*. Quum hoc Religiosi non adimplevissent rescriptum, hereditatem idcirco cum perceptis fructibus in summa scutorum 281. 30. dimiserunt anno 1733., & sequenti anno 1734. renunciatus fuit auctoritate ordinaria primus Capellanus cum utroque onere Missæ quotidianæ, & coadjuvandi Parocho Ludovicus Serbaroli, cujus successores ad annum 1765., quo nominatus fuit ad capellaniam hodiernus illius possessor Bernardinus Narducci, diù in adimplendis oneribus defecerunt, causamque dederunt deputationi administratoris.

Vix autem Narduccius in Capellanum electus, Sacræ huic supplicavit Congregationi, ut ob imminutos capellaniæ reditus, non sua, sed Patrum Calabitarum, & primi, secundi, ac tertii Capellani culpa, liberaretur saltem ab onere coadjuvandi Parocho; probavitque deteriorem bonorum statum duplici agrimensoris, & fabri mu-

murarii peritia. Alter siquidem ex peritis ad reducenda in pristinum prædia rustica necessariam duxit impensam scutorum 650., alter pro urbanis reparandis ædibus requiri ait scuta 250. Contradictricem tamen habuit Narduccius Communitatem Cæsani, ndque Sacra Congregatio innovandum putavit. At preces ille iteravit anno 1773., & præter imminutionem redituum, aliud capellaniæ imminere exposuit malum. Gravata sane erat hereditas de Paulis passivo censu in sorte scutorum mille, & pro decursis ejus fructibus cessa fuerat creditori titulo salviani conventionalis domus posita in Urbe. Ob tenuitatem vero pensionum dimittere minabatur domum Salvianista, & reliqua persequi bona capellaniæ; ut deinde evenit.

Sacra hinc Congregatio commisit anno 1777. Emo Episcopo portuensi, I., ut cogeret decessorum Capellanorum heredes, quatenus essent idonei, ad restituendum quod solvi debuisset creditori census. II. ut compelleret creditorem ad reddendam rationem salviani ab anno 1757. Et III. ut firmaret per peritos statum capellaniæ. Inutilis quidem fuit actio contra heredes Capellanorum ob compertissimam illorum inopiam. Firmato autem de anno 1782. statu capellaniæ, annui emerserunt reditus scutor. 111. 78. Et reddita per creditorem census ratione, tres peritus curialis super reliquo fructuum credito iniit calculos, quorum medius erat scutorum 381. 61. At creditum hoc reductum fuit per transactionem ad scuta 300., illudque Emus Livizzani relator dimitti posse censuit ad formam ipsius transactionis, per solutionem nempe scutorum 281. 30., quæ jamdiu reddiderant Calabitæ, deposuerat primus Capellanus Serbarolius in sacro Monte Pietatis Urbis, & ab eo hodiernus recuperaverat Capellanus; ac per creationem passivi census in sorte scutorum 100., quorum rata scutorum 18. 70. compleret summam scutor. 300.; reliqua scuta 81. 30. erogarentur in reparationem urbanarum ædium, suspensa interim annua celebratione Missarum quadraginta usque ad restitutionem sortis. Quæ omnia probarunt EE. Vestræ die 21. Aprilis 1787. per rescriptum = *Pro gratia juxta votum Eminentissimi relatoris*.

Uti noluit Narduccius facultate creandi censum scutorum 100., & gratia suspensionis Missarum; maluitque ære suo solvere scuta 18. 70., reparare ædes, & inte-

grum celebrare Missarum numerum. Aliquod modo postulat levamen ab oneribus impositis per rescriptum anni 1732., quae & ipse ad hæc tempora adimplevit; atque Emus Episcopus portuensis annuum capellaniæ reditum statuit in scutis 111. 78. juxta peritias anni 1782., Orator vero in scutis tantum 97. ob posteriores bonorum deteriorationes; & hoc posito introitu, ita ex decenni calculo statuit exitum: annua scuta 30. pro fructibus census scutorum 1000., scuta 72. pro Missa quotidiana, & onere coadjuvandi Parocho; & scuta 19. pro instaurationibus, & dislocationibus urbanarum ædium, ac domus præsertim Urbis per salvianistam dimissæ. Juxta calculum igitur Oratoris passivus status superat activum in scutis 24.; seu, quod idem est, remanent pro Missa quotidiana, & coadjuvatione Parochi scuta 48., detractis a reditu scutorum 97. fructibus census, & manutentione bonorum.

Testatur insuper Emus Episcopus de pessimo ædium statu, licet eas Orator quotannis reparaverit, ita ut *satius esset, eis solo æquatis, alias de novo construere, prout in præterita Sacra Visitatione recognovit Vicarius meus Generalis: sed unde sumantur pecuniæ, nullum medium suppetit*; nec non de recenti alterius ex illis ruina. Atque in hæc concludit verba: *Hinc EE. Vestræ facile intelligent, capellaniæ reditus non solum augeri non posse, sed timendum potius, ne insuper singulis annis imminuantur. Timendum ulterius est, ne post Narducci mortem haud ita facile inveniri alter Capellanus valeat, qui capellaniam acceptare velit cum utroque onere applicationis Missæ quotidianæ, & coadjuvandi Parocho in cura Animarum. In hoc igitur rerum statu censerem, reducendas ad minorem numerum Missas: eo vel magis, quod Missa quotidiana non est onus a Testatore impositum Capellano, sed ei ab EE. VV. addictum per rescriptum diei 20. Decembris 1732. Forsitan tunc temporis capellaniæ reditus capaces supportando etiam dicto oneri visi sunt, sed in præsentiarum impares certe noscuntur.*

Missa siquidem quotidiana, & coadjuvatio Parochi demandata est in oppido Cæsani, seu ut Emus inquit Episcopus, in loco *habitatoribus infrequenti, celi maligni, aerisque insalubris*. Tenue idcirco pro utroque onere, adeoque infelici loco videri potest annuum stipendium scutotum 48. juxta calculum Oratoris, & aliquam mereri

reri reductionem onerum, ut *in Taurinen. Reductionis Missarum* 24. *Martii* 1792. Eo magis, quia imminuti sunt reditus absque culpa Oratoris, & ob pessimum domorum statum, timendum quoque, quin majorem singulis annis imminutionem patiantur. Merita accedunt Oratoris ob reparatas quotannis domos; non impositum censum scutorum centum; & non suspensas per octennium annuas Missas 40., licet ex rescripto anni 1787. potuisset. Illudque etiam urget, quod præ tenuitate emolumenti diu in adimplendis oneribus decessores Capellani defecerint, & post obitum fortasse Oratoris *haud ita facile inveniri alter Capellanus valeat, qui capellaniam acceptare velit cum utroque onere applicationis Missæ quotidianæ, & coadjuvandi Parocho in cura Animarum*, ut in hæc verba Emus monet Episcopus. Et demum quod nec Missæ quotidianæ, nec coadjuvandi Parocho onus imposuit Testator Capellano.

Si attendatur contra firmatio status anni 1782., simplicique præferatur assertioni Oratoris, capellaniæ reditus summam attingit scutorum 111. 78., a quibus deductis fructibus census scutorum 1000., & expensis pro conservatione bonorum, remanent pro utroque onere capellaniæ scuta 62. 78. Num sufficere autem valeat hæc summa pro ministerio simplicis Sacerdotis in parvo oppido Cæsani, EE. Vestræ decernent. Maxime quia non multum ab ea summa decreverunt reditus, cum qua capellaniæ onera ab initio suscepit, diuque adimplevit Orator. Sub administratione enim Calabitarum ascendebant ad scuta 121. 50., de anno 1782. ad scuta 111.78., ex quibus nedum Orator vitam hactenus sustentavit, sed pecuniam etiam habuit, quam in reparandas quotannis domos erogavit. In his porro terminis deneganda videretur reductio, ut *in Matilicen.* 16. *Aprilis* 1792. Ad reparandas autem labentes domos non reductio, sed temporaria concedi solet Missarum suspensio, ut per rescriptum 21. Aprilis 1787.

Quoties vero Emi Patres aliquod ab oneribus afferre censeant levamen Oratori, deliberare etiam dignentur, num fieri debeat per reductionem Missarum, vel oneris coadjuvandi Parocho. Hujusce posterioris oneris reductionem negavit alias Sacra hæc Congregatio, & necessariam Emus Episcopus dicit coadjuvationis operam in

cura Animarum præ infelici positione Cæsani; ideoque juxta ejus votum reducendæ potius essent Missæ, quarum numerum non statuit Testator, sed hæc ipsa Sacra Congregatio de tempore, quo *capellaniæ reditus capaces supportando etiam dicto oneri visi sunt*. At prius alia sunt reducenda, quam Missarum onera, *Benedict. XIV. de Synod. dieces. lib.* 13. *cap. ult.* §.23. Præsertim quia fundationem incepit Fundator ab onere Missarum, nec ipse coadjuvationem Parochi præscripsit.

Vestræ itaque proponitur deliberationi.

An, quæ onera, & quomodo sint reducenda in casu &c.

Negative in omnibus.

*Ses.*24. *cap.*14. *& ses.*25.*cap.*4. *de Reform.*

SUTRINA CAPELLANIÆ. Alexander Ziani heredem instituit anno 1717. Vincentium Ziani ejus nepotem; & in defectum substitutæ illius lineæ masculinæ, & femininæ erigi jussit ex omnibus suis bonis duas laicales capellanias, unam ad Altare S. Bernardini, alteram ad Altare S. Antonii in suburbana Trebonianì Ecclesia S. Catharinæ. Capellanos voluit *ad nutum amovibili, etiam sine causa*, eorumque nominationem reservavit proximiori suo consanguineo sub lege nominandi *due Sacerdoti secolari, con proferire però sempre quelli della terra di Trevignano sua patria, purchè questi abbiano l'autorità di confessare, e che debbino da per loro stessi celebrare ogni giorno la santa Messa, ed offerire li loro Sagrificj per suffragio dell' Anima di esso Testatore, e suoi Congiunti di sangue predefonti, e che dette Messe si debbino celebrare in dette cappelle di S. Bernardino, e di S. Antonio, cioè ciascuno di detti Cappellani nella sua cappella . . . Con obbligo preciso ancora di dover cantare in dette cappelle la Messa colli primi vesperi nelli giorni di ambedue le festività di S. Bernardino, e di S. Antonio . . . . . ed avendo detti Cappellani la confessione, debbano confessare ancora; ma però a loro arbitrio.*

Quam

Quam cito ob defectum heredis, ejusque descendentiæ, erectæ fuerunt capellaniæ, annui pro qualibet reditus scutorum circiter 135., ac delatum est jus nominandi ad familiam Silvestri proximiorem Fundatori. Capellani simul ex hac familia fuerunt Sacerdotes Thomas, & Alexander. Thoma hinc defuncto, superstes Alexander, & Carolus ejus frater nominarunt ad vacatam capellaniam Sancti Antonii impuberem ejusdem Caroli filium Gregorium, qui eam ex Apostolico indulto obtinuit ad vitam, cum dispensatione ætatis, aliarumque qualitatum fundationis. Et altera tandem vacata capellania S.Bernardini per obitum Alexandri, nominavit Carolus Sacerdotem Simonem Angelucci ejus avunculum. Novissima autem hac comperta nominatione, ex jure adversus nominantem egit de pertinentia jurispatronatus Bernardina Silvestri germana illius soror, nupta Ricardo Bondi incolæ mutinensi; declaravitque episcopalis Curia sutrina, *juspatronatus prædictum competiisse, & competere supradictæ D Bernardinæ Silvestri actrici, æque ac D. Carolo Silvestri ejus germano fratri reo convento*.

Ab hac sententia provocavit Carolus ad A. C., sed obito interim Sacerdote Angelucci, composita res fuit anno 1793. per transactionem. I. renunciarunt transigentes liti sine præjudicio successorum. II. nominavit Carolus ad capellaniam S. Bernardini clericum Paulum Bondì filium Bernardinæ sub conditione impetrandi a Sanctissimo Domino Nostro illius perpetuitatem, & derogationem voluntati Fundatoris quo ad patriam, amovibilitatem, Sacerdotium, & facultatem audiendi confessiones; nam erat tunc annorum 21.. III. imposita fuit nominato lex assumendi legitimo tempore Sacerdotium, & facultatem excipiendi confessiones, ac residendi in oppido Treboniani, adimplendo interim per alium onera capellaniæ. IV. reservata fuit super eadem capellania alimentorum titulo annua pensio scutorum 15. favore Hyacinthi Silvestri quousque ad ætatem perveniret annorum 23. & V. demum præfatus Bondì renunciavit etiam liti de præcedenti nominatione Gregorii Silvestri ad alteram capellaniam S. Antonii.

Super hujusmodi transactione, singulisque ejus capitibus postulavit Paulus Bondì Beneplacitum Apostolicum; auditisque Ministris Datariæ, atque Emo Livizzani, qui de suo rogatus fuit voto, die 24. Julii ejusdem anni 1793. per organum Secretarii Sacræ hujus Congre-

ga-

gationis, *Sanctitas sua benigne annuit pro gratia juxta petita, arbitrio, & conscientiæ Episcopi, dummodo Paulus Bondì Trebonianum se conferat, ibique resideat, statim ac ad legitimam pervenerit ætatem ad Sacerdotium ascendat, & facultatem excipiendi confessiones obtineat, adimpletis interim per alium Sacerdotem omnibus oneribus.* Hoc fretus rescripto, aliquandiu clericus Bondì curasse ait Treboniani ante possessionem bonorum capellaniæ celebrationem Missarum 82., licet moraretur, ut moratur adhuc in mutinensi Seminario. Post possessionem vero in celebratione defecit; sed quo in Missarum numero, non constat; causamque huic omissioni dedisse asserit lites cum Carolo Silvestri super capitalibus, & fundis capellaniæ; solutiones pensionis Hyacintho illius filio, & taxæ pro nova Ecclesia parochiali; ac propriam manutentionem in Seminario.

At factæ nominationis pœnitentia ductus, eam Carolus Silvestri incusavit simoniæ, utpote sub correspectiva promissione Ricardi Bondì de impetranda sibi a Sacra Congregatione Boni Regiminis diuturna dilatione ad communitativum quoddam solvendum debitum; supplicavitque propterea SSmo pro absolutione a censuris, irritatione simoniacæ nominationis, & libertate denuo nominandi Sacerdotem actu, qui per se ipsum onera adimpleret. Precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, retulit sutrinus Episcopus, quod *conventum non modo præcise denegat Ricardus, ex quo tam inepte pro facto alieno fidem suam nunquam obligasset, sed præclarius negationem roborat ab epistola familiari, quam exhibet, propria manu in absentia sibi conscripta ab Oratore, in qua profitetur, se non alia ratione, posthabito remotiore conjuncto, nepotem ex sorore prætulisse, quam ob majorem propinquitatem, & ob sanguinis dumtaxat amorem. Actum inter utrumque revera fuit, quod novus Capellanus solvere deberet quotannis Oratoris filio Hyacintho scuta quindecim loco alimentorum donec annum 23. attingeret; verumtamen sub expressa reservatione Apostolici Beneplaciti, quod deinde fuit obtentum.*

Et suum votum in hæc aperuit verba: *His igitur sic stantibus, & in conspectu præostensæ, tamque limpidæ ex parte Oratoris animi sui declarationis, cui successit æque congrua nominatio, corruere quidem videntur fundamenta cum expositæ simoniæ, tum exinde nullita-*

ta-

tatis actus una cum venia simul petita ad novam peragendam favore alterius nominationem. Quin immo etiamsi pacta, ut præfertur, conventio intercessisset, id quod Orator nude asserit, & Ricardus quam satis excludit, ne quidem indubius reipsa foret incursus pœnarum; quandoquidem ex prope communi Doctorum sententia ob simoniam conventionalem, sive pure conventionalem, sive mixtam, vel nulla incurritur pœna, utpote quæ nullibi in jure reperitur expressa, ideoque in dubio ajunt non esse asserendam; vel si aliquando ad pœnas Tribunalia processerunt, veluti Rota in Paderbonen. Beneficii 30. Junii 1747. cor. Molino, interfuisse juxta decisionem oportuit de patrata simonia conjecturas, & præsumptiones certas, univocas, & convenientes. Se vero Paulus Bondì legitimum existimans Capellanum, alia hoc nomine postulat; compensationem nempe Missarum 814. celebratarum ante possessionem bonorum capellaniæ cum Missis postea non celebratis; earumdem Missarum reductionem ad tres hebdomadales quo ad futurum cum facultate eas celebrandi ubique; & liberationem ab obligatione excipiendi confessiones.

A petitionibus exordientes Caroli Silvestri; licet simonia difficilis sit probationis, quum committi soleat remotis arbitris, *Redoan. de simonia part.* 3. *cap.* 25. *n.*23., pluribus tamen probari valet modis, & præsertim per confessionem unius, vel alterius simoniaci, *can. Presbyter* 15. *quæst.* 5., *Redoan. part.* 4. *cap.* 6. *num.* 1.. Nulla major enim, & melior esse potest probatio, quam proprii oris confessio, *Jas. in leg. Titia de verb. obligat. num.*38.. Juxta confessionem autem Silvestri nominantis, expleta fuit nominatio sub correspectiva promissione impetrandi dilationem ad solvendum communitativum ejus debitum, ideoque conventionalis intercessisse videtur simonia, quæ per conventionem *dò, ut facias* committitur, *Redoan. part.* 2. *cap.* 11. *n.* 16.

Valde contra de confessione dubitandum Silvestrii; nam proprium respicit ejus commodum, ut libertatem nempe consequatur nominandi alterum Capellanum. In his porro terminis satis non est sola ipsius assertio ad probandum detestabile crimen simoniæ in præjudicium primo nominati, ut dixit *Rota in nuperr. decis.* 106. *num.* 6. *tom.* 2., sed validissima insuper requirerentur argumenta, quę crimen illud evidenter demonstrarent, per *Text. in cap.*1. *de simon.*, *Abb. in cap. veniens il* 1.

num.

num. 4. de testib., *Rot. cor. Tanar. decis. 41. num. 4.* Utrum hæc vero concurrant argumenta, dijudicabunt EE. VV. Exclusivam conventionis, & simoniæ probationem exhibere prætendit Bondi per citatam primam epistolam, in qua declaravit Silvestri, se nominaturum fuisse Paulum illius filium in capellanum, *spinto dall' amore del sangue solamente*.

Quatenus autem EE. VV. simoniacam censeant nominationem Pauli Bondi, deliberare dignentur juxta petitionem Caroli Silvestri de ejus absolutione a censuris. Duæ in *Extravag. cum detestabile de simon.* in simoniacos comminantur pœnæ, censuræ scilicet, & privatio beneficii. De prima hic agitur pœna; de altera in tertio Dubio. Tantum profecto detestabilis est simonia, ut *in citat. Extravaganti* reservata sit Summo Pontifici absolutio a censuris. Statim ergo absolvendus non videretur Silvestrius, ut diuturniori censurarum pœna a tali in posterum crimine abhorreat. Jam contra ab expleta nominatione biennium labitur, nec tandiu pia Mater Ecclesia retinere solet pœnitentes sub censuris.

Major in hypothesi patratæ simoniæ difficultas esset circa irritationem nominationis Bondi, & facultatem nominandi alium. Quamvis enim simonia conventionalis, de qua agitur, non incurrat ipso facto pœnam privationis, *Redoan. part. 2. cap. 1. num. 15.*, ad eam tamen tenetur simoniacus, eaque ob gravitatem criminis plecti valet per sententiam Judicis; ad similitudinem simoniæ realis, de qua *in Extravaganti cum detestabile*, ut notat *Redoan. loco citat.*, *& part. 1. cap. 9. sub num. 2.*. At si irritari deberet nominatio Bondi, eodem forsan jure ob comparticipationem simoniæ privandus esset Silvestrius facultate nominandi alium, cum pœna simoniæ utramque afficiat partem, *Redoan. part. 4. cap. 9. num. 26.*, ideoque pro hac saltem vice devoluta censeri posset nominatio ad Bernardinam Silvestri Bondi, aliasque sorores, vel ad Ordinarium.

Quo vero ad petitiones Capellani Bondi; æqua forsan esset Missarum compensatio, si nihil ante possessionem bonorum capellaniæ pro Missis tunc celebratis consequutus fuisset. De hoc tamen non constat; ac verisimile est, & bona, & redditus capellaniæ a die nominationis per actas lites vindicasse. Missas insuper ante possessionem in numero 80. Orator absque ulla probatione asserit celebratas; quot autem post eam omiserit, silen-

silentio præterit, & inæquales fortasse sunt numero. Æquior videri posset illarum reductio quoad futurum, quum annua pensio, novę parochialis taxa, & Oratoris manutentio in Seminario magnam redituum partem absumant. Potissima sane in capellaniis est manutentio Capellani, atque in eam principaliter assignata censetur eleemosyna, *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst.* 970., *Amost. de caus. piis lib.* 2. *cap.* 4. *de Mis., earumq. stipen. num.*31.. At de Capellania agitur satis pingui scutorum circiter 135., & factis etiam detractionibus pensionis, taxæ, & manutentionis, congrua superesset summa pro celebratione Missarum, & aliis oneribus ad formam fundationis. Pensio est scutor. 15., taxa ignoratur, & supponi potest in scutis quinque, aut sex ad rationem scutorum quatuor pro quolibet centenario; & Oratoris manutentio ad communem Seminarii mensam copiosa potius est, si in scutis constituatur 50.. In unum ergo detrahi deberent ex reditu scuta circiter 70., ideoque pro oneribus capellaniæ scuta superessent 65.. Notandum denique, quod Orator Capellaniam adeptus est mediante obligatione per contractum transactionis assumpta adimplendi per alium onera, & SSmus transactionem, ac nominationem approbavit, *adimpletis interim per Sacerdotem omnibus oneribus*.

Facultatem etiam postulat Orator celebrandi Missas ubique ob defectum Sacerdotum in oppido Treboniani; atque ex hac difficultate locus esse posset illarum translationi, *Nicol. lucubrat. canon. lib.* 3. *tit.* 31. *sub numer.* 15., *& Sacra Congregatio in Papien. Oneris Missarum* 12. *Decembris* 1733.. Facile tamen occurrere valet Orator asserto Sacerdotum defectui, si congruam Sacerdoti celebranti juxta vires eleemsynam subministret, vel si juxta Pontificium rescriptum anni 1793. se trasferat Trebonianum; nam annum agit vigesimum tertium, & proximus est Sacerdotio. Ubi porro celebrare valet Capellanus in designato loco, & Ecclesia, Missarum translatio denegatur, ut *in Uxentina Celebrationis Missarum* 14. *Januarii* 1748.

Remissam postremo censet arbitrio Capellani administrationem Sacramenti pœnitentiæ, ideoque moderato Pontificio rescripto, ab hoc ipsum levandum onere. Quidquid EE. Vestris super hac instantia præscribere videbitur, notandum, quod apposita tantum fuit in di-

 cto

cto rescripto clausula = *dummodo facultatem excipiendi confessiones obtineat* = Quo vero ad obligationem excipiendi confessiones, ponderate dignentur Emi Patres verba illa Fundatoris = *purche questi abbiano l'autorità di confessare* = suaque prudentia judicent, num arbitrium præseferat dictio *purche*, quæ conditionem inducit, & facultatem excipiendi confessiones per modum conditionis requirit, per *leg. Thais* §. *Stichus ff. de manumiss. testam.*, *Cassan. in consuet. Burgun. rubr.* 8. §. 5., *Barbos. dict.* 80. *num.*4. Iterumque ad posteriora advertant verba = *ed avendo detti Cappellani la confessione, debbano confessare, ma a loro arbitrio* = & deliberent, num obligationem inducant, vel arbitrium Capellanis relinquant excipiendi confessiones, quod frustraneam quodammodo redderet obligationem obtinendi pagellam Confessarii, per modum conditionis præcedenter impositam.

Dubia sunt.

I. *An constet de simonia in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione a censuris in casu &c.*

III. *An sit irritanda nominatio Pauli Bondi, & cui concedenda facultas nominandi alium in casu &c.*

Et quatenus negative.

IV. *An sit locus compensationi Missarum quo ad præteritum in casu &c.*

V. *An & quomodo sit locus illarum reductioni, & translationi quo ad futurum in casu &c.*

VI. *An Capellani Ziani teneantur administrare Sacramentum pænitentiæ in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. & III. Provisum in primo.

Ad IV. Negative, & Episcopus curet celebrationem Missarum nondum celebratarum.

Ad V. Negative in omnibus.

Ad VI. Affirmative, nisi sit legitime impeditus.

CER-

CERVIEN. LEGATI MISSARUM. Heredes scripsit anno 1651. Baptista Guazzi Præpositum Antonium, Blasium, & Petrum Franciscum suos ex fratre nepotes, eisque præscripsit *fargli celebrare ogni anno in perpetuo Messe da morto cinquanta l' anno dove li parerà, e piacerà per l'anima di detto Testatore colla solita elemosina*. Anno 1661. fundarunt heredes sub titulo S. Laurentii Martyris publicum Oratorium in Villa Pisignani, ac ei anno 1669. assignarunt in dotem capitale scutorum 240. annui reditus scutorum 18. *ad effectum celebrare, vel celebrari facere singulo anno, & secundum eorum intentionem in dicta Ecclesia Missas quinquaginta una vel pluribus vicibus*: addiditque eorum alter, Præpositus nempe Antonius, sine ullo onere prædiolum valoris scutorum 85. De celebratione Missarum quinquaginta a testamento Baptistæ ad dotationem Oratorii, prioribus scilicet annis circiter 18., nulla est memoria: Ex privato tamen Præpositi Antonii commentario, vulgo *vacchetta*, ita inscripto = *In hoc libro continentur omnes Missæ celebratæ, & celebrandæ ad formam constitutionis dotis hujus Ecclesiæ Divi Laurentii Martyris* = in eo celebratæ apparent numero ad annum 1729. sub hac iterata declaratione = *Messe num. 50. celebrate a tutto, e per tutto l' anno corrente in detto Oratorio per Battista Guazzi* = ad annum nempe 1713. per ipsum Præpositum, deindeque per Archidiaconum Marcum, & Canonicum Jacobum Guazzi: ac post novissimam declarationem absolutorium legitur Sacræ Visitationis decretum. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Quid de eadem celebratione ab anno 1729., exponit Antonius jun. Guazzi. Ex hoc, quod Canonicus Jacobus celebraverit Missas 50. ab anno 1720. ad annum 1729. continuatam censet celebrationem ad totum annum 1740. ejus vitę penultimum. Ab anno 1740. ad annum 1767. celebratas supponit annuas dumtaxat Missas 25. rusticationis tempore, festisque diebus B. M. Virginis nuncupatæ *del Fuoco*, & S. Laurentii; aliasque in festis ipsis celebratas Missas 220. ab anno 1767. ad elapsum annum 1794., paullo scilicet supra annuum numerum octo. Missæ autem istæ celebratæ potius fuerunt in ejus commodum, & devotionis causa, quam in suffragium Baptistæ Guazzi. In hoc rerum statu Antonius ipse jun. quærit, num per annuam celebra-

tionem Missarum 50. in Oratorio adimpleta simul in futurum remaneant legatum Baptistæ, & obligatio per ejus heredes assumpta in fundatione Oratorii, seu potius sint celebrandæ Missæ 100., quinquaginta nempe pro legato, totidem ex fundatione; & supplicat insuper pro absolutione quoad præteritum. Suum vero cerviensis Vicarius Capitularis in hæc verba aperit votum = *Nepotes heredes Baptistæ ubicumque celebrare, vel celebrari facere poterant Missas 50. At prædicti quum Oratorium fundaverint, & dotaverint cum assignatione Dotis satis pinguis pro simplici manutentione, adscripserunt Missas 50. a Baptista relictas in eodem Oratorio celebrandas, non sine consilio forsan sic liberandi generalem hereditatem Baptistæ dicto onere gravatam. Sed quum hoc non appareat ex instrumento dotationis, videtur declaratum ab Antonio uni ex coheredibus Baptistæ, & Fundatoribus in expressione applicationis Missarum 50. in eodem Oratorio, ab ipso, & postea a successore Archidiacono Guazzi celebratarum.*

Duo quippe sunt Missarum legata, distinctamque habent originem; unum scilicet ex testamento Baptistæ Guazzi, alterum ex dispositione ejus heredum in dotatione Oratorii; neque ex instrumento hujusmodi dotationis liquet, adscriptas potius Oratorio fuisse Missas a Baptista legatas, quam totidem alias ex devotione Fundatorum. Uterque ergo celebrandus videretur Missarum numerus, quum duo ex distinctis dispositionibus in dubio debeantur legata per *Text. in leg. quinquaginta alias, quingenta ff. de probat.*, *ibique Fulgos. num.* 1. Fundatores contra Oratorii assumpserunt onus celebrandi eumdem Missarum numerum, quem legaverat Baptista, idque propterea fecisse præsumuntur in executionem legati ab eo relicti, ut notant *Imol. in leg. hujusmodi §. Cum pater sub num.*2. *vers. si vero legat quantitatem ff. de legat.*1., *Fulgos. in leg. filia num.*1. *vers. & est ratio Cod. de legat.* Potissimum quia præsumptioni accedit declaratio emissa ab uno ex Fundatoribus in prædicto commentario, seu *vacchetta* de celebratis Missis 50. ad formam fundationis Oratorii; sed *per Battista Guazzi*. Ex hac sane declaratione non obscure colligitur, immediatos heredes Baptistæ, qui ta-

facultatem habebant celebrandi Missas legatas *dove li parerà*, *e piacerà*, eas addicere voluisse Oratorio, dum parem in ejus fundatione præscripserunt numerum *secundum eorum intentionem*.

At quæri posset, num heredes Baptistæ cogere valuissent successores ad celebrandas in Oratorio Missas 50. ab illo relictas, eisque adimere libertatem celebrandi ubique. In id profecto expressa opus fuisset ipsorum declaratione, & aliqua successoribus ob novum impositum onus tribui debuisset compensatio. Dum neutrum ergo fecerunt, distinctum reliquisse videntur legatum. Hujusce etiam voluntatis argumentum esse potest, quod restrinxerint ad unum prædium generalem bonorum hereditariorum hypothecam, quam pro suo Baptista voluit legato; nam hoc ipsis ex jure licebat quoad proprium dumtaxat legatum. Eademque fortasse de causa ad suum respexerunt suffragium in enunciativa dotationis verbis illis = *ad effectum in eadem* (capella) *celebrandi facese PRO SE, vel aliis &c. Missas* 50. *quolibet anno* = iterumque in dispositiva = *ad effectum celebrandi, vel celebrari facere singulo anno SECUNDUM EORUM INTENTIONEM in dicta Ecclesia Missas* 50. Satis contra onus celebrandi Missas Baptistæ in Oratorio compensatum censeri valet cum hereditariis ipsius Baptistæ bonis, quæ Fundatores Oratorii libere quæsierant, & ad successores transmiserunt. Quamvis insuper implicita sit distincti legati demonstratio in fundatione per ea verba = *pro se, vel aliis* = & *secundum eorum intentionem*; contra tamen urget explicita in commentario Antonii alterius ex Fundatoribus de tempore proximo fundationi, ut prænotatum est. Et unius tantum prædii assignatio expleta potius censetur pro faciliori adimplemento, non ad generalem restringendam hypothecam.

Hæc quo ad futuram Missarum celebrationem. Quo vero ad preteritam; ad eam supplendam teneri videretur Orator, qui dives est, & utramque possidet hereditatem obligatam; Baptistæ videlicet, qui primum reliquit legatum; ejusque heredum, qui secundum in dotatione Oratorii addiderunt Missarum preceptum. Quæ autem fuerit omissio, habent Emi Patres ex enarra-

ratione facti. A condito per Baptistam testamento, seu anno 1651., ad dotationem Oratorii, seu annum 1669., non constat de celebratione. Ab anno 1729. ad annum 1740. celebratio est præsumpta. Ab anno 1740. ad 1767. annuæ tantum celebratæ asseruntur Missæ 25., & ab anno 1767. ad 1794. Missę circiter octo, fortasse absque applicatione. At nisi in omnibus, maxima saltem ex parte absolvi forsan debet Orator; nam prioribus legati Baptistæ annis Missarum celebratio est verisimilis ob religionem illius heredum, qui Oratorium fundarunt: verisimilis quoque ab anno 1729. ad 1740. ob accuratam Canonici Jacobi Guazzi celebrationem præcedentibus annis. Posterior vero, & ad hæc tempora partialis omissio tribuenda potius videtur oscitantiæ, quam culpæ Oratoris, qui adeo de sua conscientia per promotam instantiam est solicitus.

Deliberandum itaque proponitur.

I. *An legatum Baptistæ Guazzi, aliudque ejus heredum sint distincta, & distincte quoad futurum adimpleri debeant in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quo ad præteritum in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. Quoad Missas usque ad annum 1740. affirmative; in reliquis negative.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

SABINEN. CAPELLANIÆ. Lucia Mariotti Jucci heredes in stirpes instituit anno 1760. Joannem ejus fratrem, suosque ex altero prædefuncto fratre Angelo Antonio nepotes, Liberatum, Bernardinum, Franciscum, Octavium, Gasparem, perpetuo favore eorum descendentiæ ordinato fideicommisso. Præter dimissionem autem alieni æris in scutis 414. 50., fructiferi, & infructiferi, ac solutionem legatorum in scutis 571. 52., in unum 1686. 02.½, onus ipsis imposuit constituendi ex fructibus hereditatis congruam do-

dotem Catharinæ ejus nepti, quatenus in Domino, aut sæculo nuberet, vel eam alendi, si cælebs viveret domi, ut ad annum vixit 1794., nec non erigendi in parochiali Ecclesia S. Michaelis Archangeli Manliani perpetuam quotidiani Sacri capellaniam, pro qua deberent *costituirle un fondo di tanti Luoghi di Monti, che l'annuo fruttato arrivi a bajocchi 15. per Messa, e che siano anche tenuti di contribuire alla detta Chiesa quella somma, che sarà necessaria per gli utensili sagri*. Constituendum vero declaravit hujusmodi fundum ex fructibus hereditatis, voluitque, ut quotidiana interim celebraretur Missa quousque fieret. Hæc sunt ejus verba: *Siccome prima, che possa costituirsi il sudetto fondo colli frutti sudetti della mia eredità ci vorranno degli anni, perche prima voglio, che l' infrascritti miei Eredi colli frutti sudetti sodisfino tutti li debiti, da quali si troverà gravata la mia eredità, nulla di meno io voglio, che li detti miei eredi siano obbligati a far celebrare la detta Messa quotidiana in detta Chiesa parrocchiale con dargli la detta limosina di baj. 15. per ciascuna*.

Bonorum hereditariorum valor, juxta peritos a sabinensi Suffraganeo deputatos, scuta attingit 3076. 24., eorumque annuus reditus scuta 249. 17.½, detracto manutentionis sumptu. Annua onera, comprehensis Missis, legatis piis, fructibus passivorum capitalium, & alimentis Catharinæ Mariotti in scutis annuis 80., ante hujus obitum erant scutorum 213. 77. Introitus igitur superabat exitum in scutis 35. 40. ½, sed ex hoc superextante reditu dimittenda erant, juxta præceptum Testatricis, debita infructifera, & legata profana, quæ summam constituebant scutorum 571. 52. Et hac forsan de causa ait Suffraganeus, quod *nunquam ex hereditate tantum superfuit, unde initium creationi fundi Locorum Montium potuerit dari; quin immo Æconomus, decreto episcopalis Curiæ deputatus, ideo renunciavit, quia reditus satis non erant pro solvendis oneribus*. Quamvis autem nondum constitutus sit fundus capellaniæ, tamen onera adimpleta hactenus fuerunt. At nuper heredes Mariotti ad effectum liberandi fructus hereditatis ab onere acquirendi Loca Montium, in fundum assignarunt tria prædiola valoris scutorum 736. 87. ½, quæ secundum peritos annua reddere pos-

possunt scuta 54. 40. libera ab omni onere imposito & imponendo, quæ satis sunt ad eleemosynam obolorum 15. a Testatore præscriptam pro Missa quotidiana; & reservatum modo postulant Sacræ hujus Congregationis beneplacitum pro prædicta subrogatione, & liberatione hereditatis ab onere acquirendi præscripta Loca Montium.

Nedum Rector capellaniæ de expleta convenit assignatione, sed unus etiam est ex heredibus & Oratoribus. Suffraganeus vero inquit, quod *in præsenti statu necessaria & evidenter utilis Sacræ Congregationis approbatio existimatur*; nam *antequam* (adimpletis oneribus) *ex reliquis hereditatis fructibus veniri possit ad creationem tot Locorum MM.*, *quæ eleemosynam obolorum quindecim pro qualibet Missa reddant*, & *ex quibus etiam possit fieri solutio utensilium Ecclesiæ, innumeri deberent præterire anni*: & *e contra assignatis fundis, reditibusque determinatis, quisquis deinceps erit Capellanus, certus de fundo*, & *de fructibus erit, Missamque quotidianam celebrare poterit. Quod vero fructus terrenorum ut supra assignatorum certi omnino sint, non dubium est; quoniam agri sunt seminativi, plani, & aperti, ex quibus annui reditus certi habentur, nec ideo Capellanus aliud adnexum haberet onus, sicuti Testatrix vult, quum pro iis servandis nullas opus est facere expensas.*

Ex ore suffraganei habent Emi Patres, quæ Oratoribus favent. Si enim ob tenuem superextantem reditum sperari non potest constitutio fundi capellaniæ in Locis MM., quam plurimos post annos, jam utilis videri potest hujusce difficilis investimenti commutatio in præsentem prædiorum assignationem, ideoque permittenda, *Barbos. de potest. Episc. allegat.* 83. *num.*3. & 8., & Sac. Congregatio *in Romana Commutationis Voluntatis* 27. *Februarii* 1734., & *in Civitatis Plebis Legati* 28. *Augusti* 1756. Eo magis, quia ex iis non sunt prædia assignata capellaniæ, quæ subjecit Testatrix fideicommisso, ut liquet ex illorum diversitate a prædiis fideicommissariis descriptis per peritos ex officio deputatos; sed libera asseruntur Oratorum, & certum quotannis reddere possunt fructum scutor. 54. 40., qui ad præscriptam eleemosynam obolorum 15. par esset quotidiano Sacro, licet non etiam utensilibus

bus. Immunia siquidem essent a fideicommissariorum actione, & in præsentia haberent Capellani certum fundum, certosque reditus.

Animo contra advertit Testatrix, quod ad constituendum fundum capellaniæ in Locis MM. ex superextantibus hereditatis fructibus *ci vorranno degli anni*, & tamen illud potius voluit remotum investimentum, quam tot assignare hereditaria prædia, ob incertos fortasse eorum fructus, & probabilem deteriorationem. Ponderandum ergo, num permitti nunc debeat Oratoribus, quod illa noluit. Quæ de cetero Mariotti assignarunt prædia valoris scutorum 736. 87. $\frac{1}{2}$, non reddunt, sed annua peritorum judicio reddere possunt scuta 54. 40., ad rationem nempe scutorum octo circiter in singula centum, quæ etiamsi realiter perciperentur, nec pro quotidiana Missa cum eleemosyna obolorum 15., & utensilibus sufficerent. At si vires expendantur hereditatis, adeo remotum non esset præscriptum Locorum MM. investimentum, ut Mariotti opinantur. Ut enim notatum est in facto, ante obitum Catharinæ Mariotti alimentariæ superextabant ex reditibus hereditatis annua scuta 35. 40 $\frac{1}{2}$, quæ multiplicata per annos 34., a condito scilicet testamento ad annum 1794., quo decessit Catharina, dant summam scut. 1203. 77.

Hec autem summa exuberans fuit ad dimittendum alienum æs infructiferum, & legata in summa scutorum 571. 52., ideoque jam libera sunt scuta 35. 40 $\frac{1}{2}$, additisque scutis octoginta, quæ in alimenta erogabantur Catharinæ defunctæ, annua erogari poterunt scuta 115. 40 $\frac{1}{2}$ in dimissionem fructiferi æris alieni scutorum 1114. 50. Hoc infra decennium extincto alia supererunt scuta 42. 62 $\frac{1}{2}$, quæ modo in solutionem erogantur fructuum; & sic annua tunc habebitur summa scutorum 158. 03., cum quibus infra annos quindecim constitui poterit fundus capellaniæ in Locis MM. ad præscriptum Testatricis. Nisi haberi etiam velit ratio scutorum 632. 25., quę ex supradictis scutis 1203. 58. (dimisso alieno ære infructifero, solutisque legatis in scutis 571. 52.) per annos superfuit 34. in manibus Oratorum, qui neque legitimum exhibent bonorum hereditariorum inventarium, nec eorumdem bonorum peritiam omni exceptione majorem,

M nec

nec demonstrationem annui reditus ex decenni calculo.

Quæritur itaque.

An sit approbanda assignatio prædiorum, seu potius sit constituendus, & quomodo fundus capellaniæ in Locis MM. in casu &c.

Negative ad primam partem, affirmativè ad secundam ad formam testamenti.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

BONONIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Sodalitium Reginę Cœli nuncupatum *de' Poveri* Civitatis Bononiæ pluribus Missarum oneribus gravatur. Constat *primum* ex multis unitis legatis, quæ appellantur *della Riduzione*, utpote reducta anno 1630. a bononiensi Antistite Albergato, iterumque anno 1697. a clar. mem. Cardinali Buoncompagni, pro viribus nempe fundi ad manualem; & pro quibus tandem Franciscus Cotogni bononiensis Vicarius Generalis, & judex a san. mem. Benedicto XIV. delegatus, taxavit anno 1749. eleemosynam solidorum 14. in singulas Missas. *Secundum* est quotidianæ Missæ, *e più secondo le forze dell' eredità* ex legato Flaminii Mezzavacca anni 1714. *Tertium* tot Missarum, quot hereditas capit Herculis Dainesi, ex testamento anni 1743. *Quartum* ex legato Francisci Natali reducto de anno 1749. a Vicario Cotogni ad annuas Missas quindecim. *Quintum* ex legato Jo. Baptistæ Natali reducto ad annuas Missas 18. Et *sextum* ex legato Pauli Lucchini reducto pariter a præfato Vicario ad annuas Missas decem.

Pro legatis Reductionis possidet Sodalitium bona valoris scutorum 3199., eaque majori ex parte in parvis consistunt domibus, & annua deductis expensis reddunt scuta 101., quæ erogata semper fuerunt in celebrationem Missarum ad taxam Cotogni, exceptis scutis 21. inexactis. Pro legato Mezzavacca alia sunt bona valoris scutorum 1441., annuique reditus scutor. 63., pro quo *remanet in Confraternitate debitum Missarum*

respondentium summæ scutorum 62., partim non exactorum, partim in alios urgentioris necessitatis usus expensorum, quæ nihilominus Oratores promittunt, se se non dilaturos erogare in Missarum celebrationem quando exigi poterunt, ut in hæc verba refert Emus bononiensis Archiepiscopus. Legatum Dainesi habet fundum scutor. 180. annui fructus scutorum 6. 28. Ex legato Francisci Natali annua sunt scuta 2. 28.4. Ex altero Jo. Baptistæ Natali scuta 2. 22. Et ex illo Lucchini scutum unum, & oboli 11.

Ut sacræ consulant supellectili, ceterisque ad celebrationem Missarum necessariis, EE. Vestris supplicant Sodales pro ulteriori reductione legatorum *della Riduzione*, *Mezzavacca*, *& Dainesi* ad taxam, quam vocant urbanam, obolorum 16., & denariorum 5., ex quibus remanerent in beneficium Sacrarii oboli 4. denaria 5., nec non pro reductione Legatorum Francisci, & Jo. Baptistæ Natali ad Missas 10. pro quolibet, & legati Lucchini ad Missas sex. Emus Archiepiscopus testatur, *Oratorum Sodalitatem non nomine solum, sed vere pauperem esse, & nomen sibi conveniens obtinere: nam testimonio ejus, qui a rationibus est prædictæ Confraternitatis compertum habeo, quod totus Sodalitatis proventus annuus summam non excedit scutorum 251. 40.; cum è converso annuæ ipsius expensæ ad summam scutorum 299. 40. ascendant; quo fit, ut ratio dati rationem accepti superet in scutis 48.*

Idque tribuendum non esse ait malæ Sodalium administrationi; *quoniam certo scio, hujus Loci pii rationes summa diligentia, & exactissima cura regi, & administrari; & video præterea ejusdem Loci Templum optime Divino cultui consecratum esse, tum quotidiana in eo Missarum celebratione. tum etiam Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ administratione, tum denique pietatis, & devotionis exercitiorum frequentatione*: sed tribuendum potius decremento Missarum adventitiarum, quæ prius quotannis erant circiter 3000., nunc sunt mille, & ex quibus singulis retinet Sodalitium pro utensilibus solidos duos; ac tribuendum etiam aucto pretio olei, & ceræ. Qua de re in omnibus Oratoribus favet.

Quo ad legata enim *Reductionis*, *Mezzavacca*, *& Dainesi* hęc habet: *Quum autem & de paupertate Sodalitatis constet, & de Ecclesia præterea agatur, in qua*

non sine magna Fidelium ædificatione tot Sacra quotidie celebrantur, totque aliæ exercitationes frequentantur, quumque Testatores ipsi determinatam eleemosynam non præscripserint, pro unaquaque Missarum eroganda, & consequens inde sit, defraudatos minime remanere eosdem concupitis suffragiis, censerem quidem, posse benigne Sacram istam Congregationem taxam memoratam [urbanam] *concedere*. Et hæc habet quo ad legata *Natali, & Lucchini: Quum de proventuum ex dictis oneribus a Sodalitate perceptorum exiguitate dubitare non possimus, & aliunde Ecclesia ipsa non modo sit pauperum, sed vere inops, & pauperrima, videtur mihi, non esse ad æquitate alienum, ut hæc etiam tenuis Missarum reductio pari benignitate a Sacra ista Congregatione concedatur*.

Non semel profecto, sed bis, & tertio reducta fuerunt legata Reductionis, Mezzavacca, & Dainesi ad non tenuem eleemosynam solidorum 14. pro qualibet Missa; ac semel reducta etiam sunt legata Natali, & Lucchini. Absurda ergo videri posset ulterior reductio, juxta decreta Sacræ Congregationis *in Neapolitana Reductionis Missarum* 19. *Novembris* 1729., & *in Interamnen. Reductionis Missarum* 30. *Augusti* 1788. Absurdior vero ex quo cujusque legati reditus pares sunt oneribus, ut notatum est in facto, & eadem censuit Sacra Congregatio *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734., & *in Apuana Reductionis Missarum* 15. *Decembris* 1792. Sua hinc prudentia judicent Emi Patres, num quid amplius minui debeat de justo Missarum numero, non ob imminutos fundos, sed in commodum Sodalitii, cujus indigentiæ provideri forsan poterit parcendo superfluis sumptibus. Haud enim constat, in quam causam, prçter Missas, annua cedat impensa scutor. 299. 40.

Advertere contra dignentur EE. VV. ad aucta rerum pretia, olei præsertim, & ceræ, ad tot Missarum celebrationem necessariç; atque etiam ad paupertatem Sodalitii, de cujus utilitate multa refert Emus Archiepiscopus. Non raro enim ob aucta rerum pretia concessa est Missarum reductio, ut *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778., & *in Anconitana Missarum* 20. *Aprilis* 1782. Quandoque etiam per similem reductionem consultum indigentiæ Loci pii, ut *in Faventina Reductionis Servitii Chori, & Missarum* 7. *Februarii* 1784. De te-

tenui insuper agitur reductione legatorum *della Riduzione*, *Mezzavacca*, & *Dainesi*, a taxa nempe solidorum 14. ad alteram obolorum 16. & denariorum 5., & de tenui Missarum imminutione quoad reliqua legata. Non multum sane per hujusmodi reductionem de suffragio Fundatorum detraheretur, alteraque ex parte restitueretur æquilibrium Sodalitii, cujus in Ecclesia tot pietatis actus exercentur.

Deliberandum itaque proponitur.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Negativè.

HIPOREGIEN., SEU EPOREDIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Suos heredes, & successores gravavit Ioannes Stephanus Ferreri anno 1602. *ad faciendam celebrare punctualiter Missam unam in Ecclesia Societatis S. Michaelis loci Verolenghi singula hebdomada, pro qua Missa celebranda obligavit, & obligat Massaritium per eumdem in fideicommissum constitutum.* Et Joseph Joachim Ferreri legavit anno 1665. Gaspari Ferreri *il campo, prato, e moya nella regione di Veuchio fini . . mediante detto Signor Gaspare faccia soddisfare al legato fatto dal fù M. Rev. Signore Lovanzito del medesimo luogo di due Messe la settimana, e perpetuamente all' Altare, e Cappella di S. Rocco.* Utriusque legati onus transiit cum bonis per Annam Ferrero ad familiam de Reinero, ex qua Laurentius, & Mauritius in summa decesserunt inopia, *relictis tantummodo perpaucis jugeribus, a flumine Pado defluente modo absumptis, ac penes quemdam medicum Doria eorum patrimonii emptorem libellis ter mille* [Pedemontium, seu scutis 600. romanis] *pro satisfactione Missarum uti supra legatarum, quibus eorum bona hypothecæ titulo adstringebantur*; ut in hæc refert verba eporediensis Episcopus. *Sess.25.cap.4. & Reform.*

Quæ ex Raineriis supersunt Angela Maria Avenati, & Maria Catharina Galeazzo, accurate ad annum 1789. adimpleverunt legata ex fructibus libellarum 3000.solutis

tis a medico Doria. Eo autem tempore quum propter longævam ætatem, liberorum copiam, angustamque rem familiarem miseriis premerentur, ut nunc etiam premuntur, ad tempus idcirco reduxit Episcopus hebdomadales Missas tres ad annuas duodecim [qua auctoritate, non constat] ut earum inopiam levaret. Duplicem modo præfatæ mulieres ab EE. Vestris implorant gratiam, ut reductionem nempe illam reddant perpetuam, ac ipsis insuper tribuant facultatem erogandi in proprios usus maximam prædicti capitalis partem, relictis pro fundo Missarum 12. libellis 300.

Hæc vero habet Episcopus: *Auditis necesse habentibus, & Ecclesiarum Rectoribus, nihil omnino contra postulata dictarum Oratricum objectum fuisse. II. ob temporis diuturnitatem non constare, quo consanguinitatis gradu Oratrices sint conjunctæ cum Joanne Stephano Ferreri; constitisse vero, a Joachino pariter Ferreri tertio, & quinto distare gradu. III. eleemosynam Missarum manualium in hac Diœcesi esse julium unum, duos vero quando agitur de Missis perpetuis in certa Ecclesia, vel ad certum Altare celebrandis. IV. habita ratione admodum provectæ ætatis, civilis conditionis, gravis inopiæ Oratricum, nec non cæterorum adjunctorum, in ea me esse sententia, ut facta a Sacra Congregatione Oratricibus facultate exigendi, & in proprios usus convertendi medietatem dictæ sortis, inter ipsas ex æquis portionibus dividendam, altera medietas alicui Loco pio, seu Ecclesiæ parochiali loci Verolenchi ab ipsis cedatur cum onere celebrandi in perpetuum Missam unam in qualibet hebdomada.*

Utraque profecto Testatorum hereditas absque culpa abiit Oratricum, quę nil aliud ex illa, Episcopo teste, ob Raineriorum dissipationes possident, quam capitale libellarum 3000.; seu scutorum 600. penes medicum Doria. Annui hujusce capitalis reditus, [quorum ignoratur quantitas] constitui valent ad taxam legalem in scutis 24., quę ad eleemosynam obolorum viginti currentem in eporediensi Diœcesi pro Missis perpetuis ad certam Ecclesiam, & Altare, pares non sunt hebdomadalibus Missis tribus, de quibus agitur, ad certas Ecclesias, & Altare Verolenghi. Ideoque locus esse posset earumdem Missarum reductioni, quæ imminutis absque culpa obligati reditibus, concedi solet, *Monacell. form. legal. 19. tit. 20. part. 1. num. 25.*, &

Sa-

Sacra hæc Congregatio *in Novarien. Reductionis Missarum* 23. *Novembris* 1793.

Satis contra fuerunt ad annum 1789. fructus libellarum 3000. pro celebratione trium hebdomadalium Missarum, sive quia majores sunt taxa legali, sive quia sunt in eporediensi Diæcesi Sacerdotes, qui minori celebrant eleemosyna; idque impedimento esse videtur reductioni, quæ ubi sufficiunt reditus, denegatur, ut *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734., *& in Derthonen. Absolutionis, & Reductionis Missarum* 7. *Junii* 1787. *ad* 1. *Dubium*. At nisi prodesse valet redituum tenuitas, Missarum reductionem suadere poterit Oratricum paupertas; pluraque in id sunt exempla, ac præsertim *in Isernien.* 26. *Novembris* 1723., *in S. Severinæ* 13. *Junii* 1725., *& in Tranen.* 22. *Novembris* 1738. Maxime quia, licet ob diuturnitatem temporis non constet de illarum consanguinitate cum Joanne Stephano Ferreri altero ex Testatoribus, certo tamen, juxta Episcopum, sunt consanguineæ Ioachimi pariter Ferreri in tertio, & quinto respective gradu. Eis porro favet etiam præsumpta voluntas alterius saltem Testatoris, qui æque pium, si viveret, ac Missas censeret, miseras consanguineas ex reliqua alere hereditate, *cap. pervenit de jurepatr. Amost. de caus. piis lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 12.

Quatenus autem EE. Vestræ indulgere velint Oratricibus pro reductione, deliberare etiam dignentur de modo. Eam illæ ad annuas postulant Missas 12. Episcopus concedendam censet ad unam Missam hebdomadalem: Fructus vero libellarum 3000. duplicem patiuntur cum eleemosyna etiam perpetuæ, si ad taxam dumtaxat dimetiantur legalem, & superesset adhuc scuta 2. & oboli 40. Si erit reductio juxta vires capitalis, secunda corruet Oratricum instantia de eroganda in proprios usus ejusdem capitalis parte. Si amplior, vel juxta illarum preces, vel juxta votum Episcopi, locum habere poterit aliqua capitalis applicatio. Per hanc sane levarentur Oratrices miseriis, & congruo penes Locum pium, vel parochialem Ecclesiam, pro reducendis Missis reservato capitali, perpetue consuleretur illarum celebrationi. Notandum vero, quod patronorum instar, succurri debet pauperibus Fundatorum consanguineis ex fructibus Beneficiorum, non item ex capitalibus *Barbos. in collect. de jurepatr. tom.* 2. *pagina* 366.

na 366. n. 7., *Lambertin. de jurepatr. lib. 3. art. 6. n. 1.*; quodque Laurentius, & Mauritius Reinero, a quibus causam habent Oratrices, licet in summa inopia defuncti, salvum tamen voluerunt capitale illud libellarum 3000.

I. An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

II. An, & in qua summa sit locus applicationi libellarum 3000. in casu &c.

Non propria cum sequenti,

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

SIGNINA JUBILATIONIS. Sacerdos Philippus Galeotti post quadragenariam possessionem canonicatus Collegiatę S. Mariæ Majoris Labicorum indultum ab EE. Vestris postulavit jubilationis; & in prima informatione hæc habuit signinus Episcopus: *Galeotti oratoris instantiam quadragenarię siquidem possessioni, commendabili haud quidem servitio innixam esse constat. Ipse enim in majori annorum curriculo a chori ministerio abfuit, adeo ut ejus fallentiæ, utpote innumeræ, percenseri a Capitulo ne quidem possint, quod eam ob causam uno ore penitus dissentit, & ego pariter. Improbum propterea est, ipsum ab Ecclesia sua quotannis dissitum, & in chori famulatu maxime oscitantem, eo jubilationis beneficio dein frui, quod solummodo Canonicis indulgetur, qui jugiter in servitio laudantur.*

Hac Oratori ostensa informatione, frequenter a choro abfuisse exposuit ob commissariatum Rev. Fabricę S. Petri, allegavitque privilegium Pauli III., quod *Commissarii Rev. Fabricæ non possunt compelli ad residendum, sed fructus beneficiorum integre, ac si personaliter residerent, percipere possunt (quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis)* ut in Constit. *si cunctarum* anni 1535., apud *Vespignan. de privileg. Rev. Fabricæ*. Testimonio insuper medici Benignetti laborare dixit hernia, sibique propterea nocuum esse cantum chori.

At

At iterum super novis precibus audito Capitulo, *omnes unanimi voce dixerunt, prædictum Canonicum Galeotti tali gratia dignum non esse, tum propter servitium ab eo non præstitum eidem nostræ Ecclesiæ, a qua vacavit ipse non solum uti Commissarius Archiviorum, & Rev. Fabricæ S. Petri per annos triginta, tum etiam ob alias permultas fallentias diversis anni temporibus per notabilem in Urbe moram ob sui solatium; immo dum hic morabatur, vel se abstinebat quam sæpe a servitio, vel dum serviebat, personalem tantummodo præsentiam præstabat*. Hinc contrarium Canonici omnes tulerunt votum. Episcopus autem utramque absentiæ causam negligendam censuit; neque prodesse ait Oratori superventam infirmitatem absque laudabili servitio: Constitutionem vero Pauli III. unam respicere canonicalium fructuum perceptionem tuta conscientia, non item laudabile servitium chori, quod jubilationis indultum mereatur. Addiditque, quod *mihi modo novum subit Commissarii etiam Archiviorum munus ab ipso peractum. Vere Sacerdotis honor, & decus! Consurgunt idcirco aliæ quoque fallentiæ, quæ ex hac altera ipsius absentia ad hujusmodi officium peragendum certo promanarunt. Quapropter unanimi consensu votoque Capitulum ipsum obstare jam credidit*.

Jubilationis siquidem indultum, quod post quadragenarium concedi solet continuum, & laudabile servitium chori, *ut in Calaguritana Jubilationis* 2. *Maii* 1733., *&* *in Spoletana*, *& Reatina Jubilationis* 7. *Augusti* 1779., competere forsan posset Oratori, qui licet servitium non præstiterit, perinde tamen, ut Commissarius Rev. Fabricæ, ex Paulina Constitutione fuit, *ac si personaliter resideret*. Eoque magis illud consequi deberet, quia gravem patitur herniam, cui medicus Benignetti perniciosum dicit cantum chorale. At ab eo præstatur jubilatio, qui per longissimum tempus servitium accepit laudabile, & continuum, ut quo ad militares statuit *Constantinus in leg.* 1. *lib.* 12. *Cod. de veteran.*, & quo ad Ecclesiasticos Sacra hæc Congregatio in citatis resolutionibus, aliisque. Orator vero, nec continuum nec laudabile præstavit servitium chori. Non continuum, quia fere semper abfuit, & in toto unius anni decursu *non prestò altro servizio che di soli giorni ventotto*, teste Canonico punctatore. Non laudabile, nam juxta testimonium ejusdem punctatoris *lo hà strapaz-*

zato non poco; itaut de eo loquens, non irridicule unus ex antiquioribus Canonicis dictitaret = *costui puntatelo quando viene in coro, e non quando manca* = Ficta autem residentia, de qua loquitur Paulina, perceptionem tantum respicit canonicalium fructuum, ideoque ad alios forsan trahi non debet effectus, ut censet Episcopus, & disponit *Bonifacius VIII. in cap.* 1. *in fin. de fil. presbyter.*, quem sequuntur *Pax Jordan. var. lucubrat. tom.*2. *lib.*9. *tit. de dispensat. num.* 34., *Pignatell. consult. canon.* 19. *num.* 1. *tom.* 3. Ob infirmitatem autem temporarium abessendi indultum concedere solet S. Congregatio, non jubilationem. Infirmitas deducta ab Oratore fuit anno 1792., at in novo supplici libello anni 1794. silentio præterita est, ex quo præsumi potest sanatio.

Vestræ igitur proponitur deliberationi.

An sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 16. Maii 1795. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

HIPOREGIEN. SEU EPOREDIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An, & in qua summa sit locus applicationi libellarum 3000. in casu &c.*

Affirmative ad utrumque juxta votum Episcopi.

SIGNINA JUBILATIONIS. *Sess. 24. cap. 12 de Reform.*

An sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.

Negative.

FERETRANA CAPELLANIÆ. *Sess. 22. cap. 9. de Reform.* Duo in hac Causa sub die 28. elapsi Februarii proposita fuerunt Dubia; I. *An, a quo, pro qua summa, & quomodo redintegrari debeant capitalia capellaniæ Filippini in casu &c.* II. *An, & à quo suppleri debeant Missæ non celebra-*

lebratæ, & *præstari eleemosyna nondum soluta pro Missis celebratis in casu &c.*; & ad primum EE. Vestræ rescripserunt, *Affirmative ad heredibus Philippi, & Jo. Baptistæ Laurentini in scutis* 473. 50. *moneta ducalis juxta votum Episcopi*; ad secundum, *Affirmative ab iisdem heredibus quo ad Missas non celebratas; in reliquis Sacerdos Fabrini utatur jure suo contra eosdes heredes*. Adversus hujusmodi resolutiones novam impetravit audientiam Franciscus Maria Begni, qui contumax fuerat: sed in eadem deinde perseverans contumacia, hanc urgent repropositionem Antonius, & Marianus Begni, qui novum cum *Memoriali* addunt *Summarium*, ut condemnationem augeant Francisci Mariæ, aliorumque heredum Philippi, & Jo. Baptistæ Laurentini, a scutis nempe 473. 50. ad scuta 503. 50. monetę Urbini.

In calculo siquidem Archipresbyteri Muccioni, qui normam dedit condemnationi in scutis 473. 50., relatus fuit inter capitalia existentia capellaniæ census scutorum 20. monatæ romanæ, seu 30. Urbini, impositus olim a Petro Tomei. Probant nunc Actores illius extinctionem in manibus Joannis Baptistæ Laurentini, reosque conventos de hac etiam summa debitores constituunt. Novis itaque perpensis juribus, resumptoque Folio 28. Februarii, deliberare dignentur EE. Vestrę.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quo ad primum, & secundum Dubium in casu &c.

Dilata ad primam post proximam.

Sess. 21. cap. 3. & sess. 24. cap. 12. de Reform.

CIVITATIS CASTELLANÆ PUNCTATURARUM. Archipresbyteralis olim Ecclesia S. Michaelis Archangeli Caprarolæ erecta fuit anno 1578. in Collegiatam, & constitit initio ex Archipresbytero, & Canonicis tribus, qui illum in Animarum cura adjuvabant. Tres alios deinde circa annum 1637. addidit Canonicos Sodalitium S. Joannis ejusdem oppidi; aliosque diversis temporibus tres familia Marchi, qui in jurepa-

patronatus successit Communitas; familia Silvi, cui successit Sodalitium SS. Sacramenti; & Societas B. M. Virginis Gratiarum cum familia Cristofari. Novem autem isti Canonici integrum cum Archipresbytero constituunt Capitulum, & communem habent massam. Alii tandem novem accesserunt Canonici, qui ob distinctas præbendas vocantur extracapitulares.

Quæ fuerint antiquæ Capituli Constitutiones, non constat. Sunt tamen illæ anni 1731., quæ hoc memorant servitium: *Li Canonici, e Beneficiati della nostra Chiesa non hanno, come alcune Collegiate, il peso del coro quotidiano, ma solamente nelli primi vesperi delle Feste solenni del Signore, della SS. Vergine, di S. Michele Arcangelo, de' SS. Apostoli, dell'anniversario della Sagra della Chiesa, e della traslazione delli quattro SS. Martiri = Nelle ore canoniche, cominciando da prima, in tutte le sudette Feste, e Domeniche dell'anno, terminate le quali assistono alla Messa cantata = Per li secondi vesperi di tutte le sudette Feste, e Domeniche, dopo li quali si dice anche compieta, quando però non vi sia stata la musica = Nel mercordì delle Ceneri, in ogni sagro venerdì di marzo, in cui è esposto il SS. Sagramento si canta compieta, e terminata tal funzione si fà la processione, e nella visita, che si fà nella Chiesa de' PP. Minori Osservanti, chi và con stola entra nella Cappella del SS. Crocifisso con lumi accesi, dove da detti PP. scopresi secondo l'antica consuetudine = Nelli Divini officj, e funzioni della Settimana Santa, ed in tutta l'ottava del Corpus Domini = Nella notte del SS. Natale = La mattina della commemorazione di tutti li Defonti per il matutino, e Messa cantata.*

Cautum autem in hisce Constitutionibus fuit, quod = *A chi manca non si fà appuntatura veruna; ma ognuno deve ricordarsi dell'obbligo di servire alla Chiesa, a cui è stato ascritto, ed ha contratto nel possesso del suo canonicato, per non averne a rendere conto al tremendo Tribunale di Dio* = probavitque sequenti anno 1732. Ven. Servus Dei, & Civitatis Castellanæ Episcopus Tenderini *Constitutiones suprascriptas, a Capitulo, & Clero Caprarolæ exaratas, receptas, nobisque exhibitas*. Ab eo igitur tempore immunes fuerunt Canonici omnes a punctaturis, ut ab instituta etiam Collegiata fuisse asserunt. Ut eos vero in officio contineret, mandavit hodiernus Episcopus in prima pastorali visi-

sita-

sitatione anni 1787., ut inducerentur punctaturæ, & eligeretur punctator; congregatisque coram ipso Canonicis, propositum fuit primo, *se vogliono unire le appuntature dei Capitolari, ed Extracapitolari. e poi dividere tutta la somma depositata fra tutti*; & pro affirmativa fuerunt suffragia 14., pro negativa quinque. *Deinde ab Extracapitularibus propositus fuit Canonicus Brunocchi, & cunctis suffragiis electus fuit, qui cum Camerario capitulari jurarunt tacto pectore de recto adimplendo munere.*

Defecerunt tamen Canonici in executione; ideoque post inutiles monitiones, decrevit Episcopus die 29. Augusti 1793. in tertia visitatione, ne Capitularibus traderet Camerarius ratas massæ communis, nisi solutis prius punctaturis, sub pœna solvendi de proprio, & in subsidium, suspensionis a Divinis; utque singuli Canonici extracapitulares deponerent in eamdem punctaturarum causam scutum unum pro reliquis quatuor illius anni mensibus, deindeque scuta duo in fine cujusque semestris, sub pœna suspensionis quousque decretum non adimplerent. Paruerunt Capitulares; atque Extracapitulares etiam deposuerunt mense Octobri scutum unum pro reliquis mensibus anni 1793. Supplicarunt deinde Sacræ huic Congregationi Extracapitulares, falso etiam Capitularium nomine, pro revocatione decreti visitationis: sed rescripto pro informatione diei 14. Decembris addita fuit clausula = *firma interim executione ejusdem*. Hoc tamen non obstante resumpserunt Oratores mense Januario sequentis anni è manibus Camerarii depositum.

Retulit hinc ad EE. Vestras Episcopus, reipsa in Extracapitularium precibus ementitum fuisse obsequentium Capitularium nomen. Admissa verò confirmatione Constitutionum capitularium anni 1731., nil mirum dixit, quod Ven. Tenderini non subjecerit Canonicos punctaturis, quum *eo tempore præbendarum reditus exigui essent, & forsan Canonici illius ætatis in præstando Ecclesiæ servitio solliciti magis sese ostenderent*. Causam suo decreto dedisse ait *Canonicorum capitularium, & extracapitularium oscitantiam, negligentiamque in peragendis sacris functionibus, & horis canonicis persolvendis*. Inobedientiæ incusavit extracapitulares Canonicos *Laurenti*, *Porcaroli*, *Petrantoni*, & *Bargna*, ob quam eos citari curaverat *ad dicen-*

sendum causam quare &c.; Sufficientes asseveravit canonicales præbendas ad tertiam pro distributionibus dimittendam redituum partem juxta *Tridentinum Concilium*, multoque magis ad tenuem quotannis deponendam summam scutorum quatuor, una excepta præbenda Canonici Borgna, annui reditus scutor. 7. 50. Collegiatam nuncupavit insignem, ejusque Canonicos condecoratos esse inquit linea tunica, & palliolo violaceo. Atque ex his omnibus confirmandum censuit decretum.

Quamvis autem mense Martio 1794., nondum scilicet elapso illius anni primo semestre, jactarentur Canonici de non explendo deposito, ut testatur Canonicus Orioli, qui tunc capitularis Camerarii munus exercebat, eodem tamen Camerario teste, depositum expleverunt labente Junio. At sive quia præfati Canonici *Laurenti*, *Porcaroli*, *Petrantonj*, & *Borgna* depositum, ut antea fecerant, resumpsissent, sive quia illud finxissent, die 21. sequentis Julii declaravit Episcopus, *Canonicos citatos incursos fore & esse in pænam suspensionis a Divinis, ac in pænam irregularitatis*, ob Sacros etiam ministratos Ordines. Hac percitus declaratoria sententia, impetravit Canonicus *Borgna* die 24. Septembris per organum Secretarii Sacræ Congregationis ex audientia SSmi, absolutionis & dispensationis gratiam, *peractis exercitiis spiritualibus ab Episcopo demandatis.* Reliqui autem tres eum sequi noluerunt in obedientia, de qua testabatur Episcopus, sed usurpato Extracapitularium omnium nomine, pro provisionali supplicarunt absolutoria usque ad exitum litis. Eumdem tamen non habuit exitum ipsorum petitio, resque, quatuor concordatis Dubiis, deducta est in contentionem.

Quæritur primo, num teneantur Extracapitulares ad servitium chori, & subiici debeant punctaturis; & Promotor fiscalis Curiæ episcopalis *Tridentinam* memorat Legem, quæ Canonicos omnes sive Cathedralium, sive Collegiatarum, ad servitium obligat chori, ut *in Sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.*, cum qua concinit *Benedict. XIV.* in notissima Constitutione *cum semper oblatas*, quæ *in tom.* 1. *ejus Bullarii est* 103. Neque in nostro themate prodesse contendit Extracapitularibus Caprarole, sive asserta qualitas eorum simplicis Collegiatæ, sive libertas inserviendi choro ex Constitutio-

tionibus anni 1731., sive consentanea, & inveterata consuetudo. Dum *Sacrum profecto Concilium* Canonicos obligat Collegiatarum ad inserviendum choro, non distinguit inter Collegiatas simplices, & insignes; & ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, *cap. solitæ circ. fin. de majorit. & obedient.*, *& leg. 1. §. generaliter ff. de legat. præstan.*, *& ad rem Benedict. XIV. Instit. eccles.* 107. *num.* 2. Ex pluribus de cetero enunciativis, & signis probat Promotor fiscalis insignem prędictæ Collegiatæ qualitatem. Libertas vero non inserviendi choro ex capitularibus Constitutionibus, & consentanea consuetudo, justum fortasse non præbent abessendi titulum, quum expresse *Tridentina Synodus loco cit.* inhibeat, ut *non liceat vigore cujuslibet statuti &c. aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse*.

Posita choralis servitii obligatione, pernecesse Promotor fiscalis subiiciendos contendit Extracapitulares punctaturis, ut adimpleatur nempe ejusdem *Concilii* dispositio *sess.* 21. *cap.* 3. *de reform.*, de constituendis ex tertia parte fructuum cuiusque præbendæ distributionibus ad servandum servitium chori. Eoque magis, quia per resolutionem capitularem anni 1787. in id Extracapitulares ipsi convenerunt. Quod semel enim placuit amplius displicere non potest, ex *reg. quod semel* 21. *de reg. jur. in sexto*.

Suam altera ex parte Extracapitulares tuentur immunitatem a chorali servitio ob defectum distributionum (quas tamen constituere decrevit Episcopus) ex doctrina *Pitonii discept. eccles.* 67. *num.* 20.. Eam vero ab ipsa jactant fundatione Collegiatæ, ideoque sublatam non esse a Tridentina Synodo, quæ novum onus contra fundationes non imposuit, ut censent *Pignatell. cons.* 52. *num.* 2., *& Rot. cor. Riminald. decis.* 321. *nu.* 13. Et immemorabilem denique urgent liberæ interessentiæ consuetudinem, per Constitutiones anni 1731. confirmatam; nam conciliaris lex non procedit quoad Collegiatas, *in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere*, ut pluries ab hac Sacra Congregatione declaratum refert *Fagnan. in cap. cum omnes num.* 3. *de Constit.*, & *Benedict. XIV. cit. Instit. eccles.* 107. *num.* 2.

Multoque minus subiici posse arbitrantur punctaturis, a quibus eos Constitutiones ipsæ capitulares, a Ven. Ser-

vo Dei Tenderini confirmatæ, declarant immunes, & quibus nunquam ex inveterata consuetudine subjecti fuerunt. In iis enim, quæ non sunt a *Tridentina Synodo* expresse prohibita, ut prohibitam non dicunt exemptionem a punctaturis, quadragenaria etiam servanda est consuetudo, ex sententia *Monetæ de distrib. part. 2. quæst. 2. numer.* 52., *Garz. de Benefic. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 199. Tenuitatem addunt suarum præbendarum, quarum duæ tantum ad scuta ascendunt 60.50., & 44. 50., illæ nempe Canonicorum *Laurenti*, & *Porcaroli*, reliquæ in scutis consistunt 25. 25. 36., & una etiam in scutis 7. 50., quasi hujusmodi præbendæ ferre nequeant onus deponendi annua ex qualibet scuta quatuor pro punctaturis.

De viribus secundo agitur hujusce demandati depositi; & sustinet Promotor fiscalis, longe minus illud esse tertia parte fructuum a Sacro Concilio præscript (si unam excipias præbendam scutorum 7. 50.) ideoque indulgens potius censeri debere decretum Episcopi, qui depositum scutorum tantum quatuor præscripsit, pollicitusque fuit in sua informatione illius moderationem quo ad præbendam scutorum 7. 50., cum ejus possessor de tali tenuitate constare fecisset, Impugnant contra Canonici arbitrarium illud depositum uti contrarium modo a *Sacro Concilio* præscripto. Et impugnant rursus dimissionem tertiæ partis fructuum ad formam ejusdem Concilii, quia *in cit. sess.* 21. *cap.* 3. *de reform.*, eos Sancta Synodus excipit, qui tenues habent fructus; ut plerique ex ipsis, quibus detracta tertia præbendarum parte, non superesset, unde viverent.

Ad tertium de declarata suspensione, & irregularitate; episcopalem Promotor fiscalis defendit potestatem indicendi suspensionem a Divinis, & ferendi censuras ex *cap. contingit de sent. excomm.*, & attenta Extracapitularium inobedientia, tum ob resumptum primum depositum Octobris 1793., cum ob declaratum mense Martio sequentis anni animum ab ulterioribus depositis alienum, eos incidisse sustinet in comminatam suspensionem; & ob Sacros deinde ministratos Ordines, etiam in irregularitatem, *cap. tuæ literæ de Cleric. per salt. promot.* At vero queruntur Canonici, quod gravissimum Episcopus adhibuerit suspensionis remedium, quum posset & deberet mitiores alias adhibere pecuniarias pœnas, ut alias ab hac Sacra Congregatione

ne decisum refert *Pignatell. consult.* 78. *a num.* 1. *ad* 7. *tom.* 1. Negant tamen, in suspensionem, deindeque in irregularitatem se incidisse, eo quod reipsa paruerunt decreto ob factum in tempore primum depositum anni 1793., licet illud ob diligens servitium chori resumpserint; & ob expletum secundum in fine primi semestris anni 1794. ad formam decreti, per mensem scilicet ante declaratoriam.

Pauca tandem hinc inde de dispensatione ab irregularitate. Ea siquidem non indigere arbitrantur Canonici, quum incidere non potuerint in irregularitatem ob administratos Ordines in statu suspensionis, quam ex notatis non contraxerunt. Contrarium ex contrariis contractæ irregularitatis argumentis sustinet Promotor fiscalis, ac dispensationi Episcopum non obsistere profitetur, dummodo Canonici ad bonam revertantur frugem.

Dubia sunt.

I. *An Canonici extracapitulares Collegiatæ S. Michaelis Archangeli terræ Caprarolæ teneantur ad servitium chori, ita ut absentes absque legitima causa subiici debeant punctaturis in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit locus deposito pro fundo punctaturarum in casu &c.*

III. *An sustineatur suspensio a Divinis, & in eam, ac irregularitatem inciderint prædicti Canonici in casu &c.*

Et quatenus affirmative ad secundam partem.

IV. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Ad I. Affirmative in omnibus, & amplius.

Ad II. Affirmative, & amplius.

Ad III. Affirmative ad primam partem; in reliquis etiam quoad IV. Dubium consulendum Sanctissimo pro absolutione, & dispensatione ad cauthelam, & amplius.

Sess. 24. cap. 3. de Reform.

FIRMANA PROCURATIONIS. Ad moderandam administrationem Locorum piorum Montis Granarii, de qua contrariæ erant voces, misit ibi Firmanus Archi-

chiepiscopus anno 1791. Vicarium suum Generalem in Visitatorem. Demandatum hic adimplevit munus spatio dierum 52., pluribus testimonio ipsius Archiepiscopi editis decretis. Discedens tandem ab oppido, taxavit sibi, Secretario, Notario, & Famulo cibaria, honoraria, stipendia in scutis 200. 51., cibaria nempe, & vecturas in scutis 118. 51., proprium honorarium in scutis 45. *per mera condiscendenza*, stipendium Secretarii in scutis 18., Notarii in scutis 10., & Famuli in scutis 9., integramque partitus fuit summam inter Loca pia, a quibus in computum accepit scuta 167. 51. At urgente pro residuo, delata res fuit ad Archiepiscopum, qui ad Vicarium Foraneum Montis Granarii rescripsit, quod *non ho inteso, ne intendo, che si abbia a pagare, se non ciò che è coerente alla tassa Innocenziana, ed allo stile di questo Tribunale.*

Dubitans hinc Vicarius Generalis de justitia taxationis, declarandum ab hac Sacra Congregatione postulat, num in suo extraordinariæ visitationis casu procedat *Innocentiana*, quæ inter Constitutiones Innocentii XI. est *quadragesima tertia*; eaque omnia in sua relatione exponit Archiepiscopus, ex quibus ille proprium tuetur factum. Ait enim, quod suis votis *re-ipsa respondit egregie ipse Vicarius Generalis, qui incredibili diligentia omnia lustravit, decreta plurima edidit, pluresque sententias obsignavit. Et quamvis irrequieto animo huic rei operam dedisset, nihilominus adeo erant implicata Locorum piorum negotia, ut inquisitionem ad 52. dies protrahere eidem Vicario Generali oportuerit*. Oppugnationem taxæ unis tribuit Moderatoribus Montis pecuniarii, & Societatis SS. Sacramenti, quam ab Institutore vocant *Nicolelli*, iis nimirum, *quorum licentiæ in administrando fuit potissimum consultum*; nam reliqui *ultro libenterque pecunias sibi ipsis taxatas solverunt, immo pro renuentibus aliquid mutuo dederunt*. Remque definiri non posse monet ab observantia. *Nunquam enim contigit, ut Vicarii Generales hujus Curiæ ad hujusmodi negotia peragenda fuerint ab Archiepiscopo missi. Illud tantum certum est, julios quindecim (non comprehenso victu, & impendio pro accessu recessuque) Vicario ipsi, & julios tres ejus famulo per singulos dies rependi, si forte pro judiciali, vel extrajudiciali negotio agendo ab hac Urbe discedat.*

Si hæc ipsa in nostro themate servanda sit extraordinarii accessus praxis, moderatam Antistes ipse autumat taxationem Vicarii Generalis. Si aliter EE. Vestræ sentiant, neque rem Vicarius accommodandam censet cum *Innocentiana*; hac per Archiepiscopum reddita ratione, quod *in casu agitur de speciali super rebus œconomicis, ac politicis tantum reformandis commissione, quæ nil commune habet cum iis, de quibus Innocentiana loquitur*. Refert tamen Archiepiscopus, quod quum in eo *singularis sit abstinentia, nil aliud habet in votis, quam quod sibi suisque solvatur, quod jure est solvendum*. Atque in hæc concludit verba: *Iterum repetam, maximos subiisse labores in rebus omnibus explanandis, opportunisque remediis præstandis ipsum meum Vicarium Generalem, cui ipsi Moderatores sese opponunt, non animo justitiæ tuendæ, sed potius ultionis causa. Etenim, ut dixi, eorum in administrando licentiam refrænavit, ac exemptionem, quam jactabant ab ordinaria jurisdictione in iis, quæ dictam Congregationem Nicolellam respiciunt, conquisitis documentis nitido vindicavit*. Præfixo autem Vicario Generali termino ad ducendum jura sua in Sac. Congreg., Vestrum absque formali defensione accipere profitetur judicium, Moderatoribus tantum *Nicolella*, & litis &c. informantibus.

Œconomica siquidem Locorum piorum Montis Granarii visitatio diversa videri posset ab illa, de qua loquuntur *Canones*, *Concilium Tridentinum*, *Innocentiana*. Præcipuus utique Sacræ Visitatiònis finis est, *sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus inducere; bonos mores tueri, pravos corrigere; populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere*; ut post *can. placuit* 11. *quæst.* 1., *cap. in singulis, de stat. Monach.*, & *cap. romana* §. *sane de cens. in* 6., docet *Tridentina Synodus in sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.*. Œconomicum idcirco negotium, quod Vicarius Generalis firmanus in Monte Granario gessit, simplicem fortasse non meretur victum, ut Sacra ipsa *Synodus*, & *Innocentiana* præscribunt, sed emolumenta etiam illa, quæ sibi suisque Vicarius taxavit; judicialis instar, vel extrajudicialis accessus, ut arbitratur Archiepiscopus.

Licet opus contra, quod Vicarius fecit, in dispungendis constiterit Locorum piorum rationibus, præcipuus tamen

men illius finis dici valet Moderatorum correctio, quæ bonos respicit mores, unum nempe ex iis, quibus consulendum est per visitationem; & hac forsan de causa suam Vicarius missionem appellavit *visita*, imposito taxationi titulo = *Tassa fatta da Monsignor Vicario Generale per le spese, ed emolumenti occorsi nella visita delegata &c.* = eademque forsan ratione per epistolam declaravit Archiepiscopus, quod procurationem ille consequi deberet ad taxam *Innocentianam*. Si delegatio autem Vicarii vera censeri debet visitatio, jam præter purum, & simplicem victum, & quidem *frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra*, ut præcipit *Tridentina Synodus in cit. sess.* 24. *cap.*3. *de reform.*, indebita essent taxata honoraria, & stipendia; nam juxta *Innocentianam* exigere nequit Visitator = *emolumento alcuno per gli atti della visita, decreti, e presentate di scritture, o vero per la revisione dei decreti delle visite antecedenti, e della loro osservanza; mentre da quelli i quali sono visitati si ricevono le spese del vitto*. Et ita *Ferrar. in Biblioth. verb. procuratio num.*27. pluries decisum refert ab hac Sacra Congregatione, & præsertim *in Amalphitana* 18. *Julii* 1699., in qua quærebatur, num liceret Archiepiscopo amalphitano exigere ducatos 4. pro Vicario, & 6. pro Cancellario, & Sac. Congregatio respondit = *deberi victualia tantum ad formam Concilii*.

Quoties igitur ad primum Dubium de viribus taxæ negativum dare placeat responsum, deliberandum est insuper, num aliquid Vicarius, & quid restituere debeat. Eum a restituendo excusare posset opinio, quod ageretur de accessu a visitatione diverso, ac bona fides, qua exactam consumpsisse censetur summam. An hæ vero admittendæ sint excusationes in Vicario Generali, qui ignorare non poterat visitationis Leges, suamque moram in Monte Granario nuncupavit *visita*, EE. Vestræ decernent; & deliberabunt etiam de summa restituenda. Diuturniorem, quam opus esset, dicunt Moderatores *Nicolella* moram dierum 52., ex quo Archiepiscopus ipse sacram in eodem oppido explere consuevit visitationem decendio. At eodem Archiepiscopo teste, explicare debuit Vicarius *implicata Locorum piorum negotia*, quæ longius requirebant tempus. Attamen victus nomine non aliam deberi conten-

ten-

tendunt summam, quam quæ in sacris præstari consuevit visitationibus, obolorum nempe 30. in singulos dies Vicario, & obolorum 15. singulis ejus Familiaribus; & sic Vicario pro diebus 52. scuta 15. 60., Familiaribus scuta 23. 40., quæ in unum constituunt summam scutorum 39.

Addenda esset impensa vecturarum, quæ licet non debeatur Episcopo visitanti, seu Visitatori ordinario, ut definivit Sacra hæc Congregatio *in Policastren. Procurationis* 5. *Julii* 1737. *ad II. Dub.*, competere forsan potest Visitatori extraordinario, qualis fuit Vicarius firmanus, ut de Visitatore delegato Apostolico censet *Ferrar. verb. procuratio num.*5., eaque impensa pro accessu, & recessu a diœcesano oppido congrua videretur in scutis 15.; Ideoque integra summa debita ad scuta ascenderet circiter 54., quibus detractis a scutis 167.51. exactis, reddenda essent scuta 113.51., nisi exequi velit Tridentinorum Patrum condemnatio ad restitutionem dupli, ut *in cit. sess.* 24. *cap.*3. *de reform.*, ibi = *Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit, is præter DUPLI restitutionem, intra mensem faciendam, aliis insuper pœnis &c. multetur*.

In quæstionem igitur venit.

I. *An sustineatur taxa Vicarii Generalis firmani in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quæ summa sit ab eo restituenda in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative, demptis victualibus tantum ab Archiepiscopo taxandis pro medietate Procurationis ad formam ultimæ Sacræ Visitationis archiepiscopalis.

*Sess.*21. *cap.*7. *de Reform.*

IMOLEN. RESTAURATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS SUPER TAXATIONE. Quum Rector parochialis Ecclesiæ S. Michaelis de Puteo imolensis diœcesis impar esset illius reparationi, hinc die 18. Julii

lii 1778. facultatem ab hac Sac. Congregatione impetravit imponendi super bonis Parochiæ censum in sorte scutorum 120. Ablegata vero fuit ad Folium quæstio de obligatis ad contributionem, ac die tandem 6. Septembris 1783. vicit Parochus, contradicentibus Populo, & Possidentibus in districtu Parochiæ. Ad Dubium enim = *an & quis teneatur ad reparationem Ecclesiæ parochialis, & respective ad extinctionem census, ejusque fructuum solutionem* = respondit Sacra Congregatio = *Teneri Populum, & Possidentes in districtu Parochiæ per æs & libram* = confirmavitque rescriptum die 10. Januarii sequentis anni 1784. per alterum = *in decisis, & amplius*. Atque in executionem hujusmodi rescriptorum distributa fuit inter possidentes collecta pro sorte census, ejusque fructibus decursis ad mensem Augusti 1785. in summa scutorum 33.

Ægre distributionem hanc tulerunt possidentes exteri; ideoque supplicarunt anno 1786. Sacræ Congregationi pro æquiori distributione inter omnes sive forenses, sive incolas pro portione colonica, & dominical; pro taxatione ceterorum omnium Parochianorum; & pro recognitione operis, quod inconcinne expletum asserebant. Diu post hæc siluerunt, resque ob deficientem, vel amissam Emi Episcopi imolensis informationem, sub judice remansit. Abutentes tamen recursu, solvere detrectarunt taxam; ideoque adversus eos relaxavit imolensis Curia anno 1790. mandatum executivum. Hoc tandem excitati primævas Sacræ Congregationi renovarunt preces; eisque Emus favit Episcopus quo ad distributionem collectæ inter forenses, & incolas possidentes, eorumque colonos; non item pro illius impositione in capita, neque pro recognitione operis.

De comprehensione siquidem agens colonorum, hæc habuit: *Parochialis Ecclesiæ reparationem inter onera realia censendam esse, nemo sanæ mentis in dubium revocare audet, quum ad eam teneamur vel locupletes Parochi ex decimis, aut aliis reditibus eorum Parochiæ, vel Beneficiati ex fructibus beneficiorum, vel universitas Populi, imposito æstimo super proventibus universi agri ad instar cujuscumque alterius publicæ collectæ. Prono hinc descendit alveo ineluctabilis consequentia, ut sicuti ceteris subsunt coloni impositis gravaminibus in causam pu-*

publicam, *ita etiam ratione fructuum*, *quos ex agro percipiunt*, *vectigalis indictionem sustinere debeant*, *reparationi parochialis Templi apprime debitam*. Neque obesse ait, quod coloni possidere censeantur dominis, quum hoc intelligatur de dominio fundiario, non item de utili, seu perceptione fructuum, *quorum intuitu ad decimas coloni quoque tenentur*, *aliaque onera mere realia*. Ex ipsa vero reali qualitate collectæ inferebat, eam non deberi a reliquis non possidentibus, seu ratione Sacramentorum. Ac de recognitione tandem operis ita conclusit: *Quod spectat ad accusatam lateritii operis qualitatem*, *utpote ineptam*, *& inconcinnam*, *sumptusque in ipsa profusos*, *quemadmodum recte novit prædecessor Antistes*, *e conspectu hujusce objectionis tanquam illiquidæ haud retardandam esse Parocho consignationem pecuniæ ad æs alienum liberandum recollectæ*, *& Cancellario concreditæ*, *ita in præsentiarum Partibus nec denegandum existimo experimentum jurium suorum in congruo & separato judicio*. *non retardata interim opportuna collectatione universi Territorii*.

Hac accepta informatione demandata fuit præfixio termini omnibus interesse habentibus ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione, retulitque Emus Epicopus, quod *in irritum hactenus cessit terminus jamdiu elapsus*, *atque interim Parochus judicialibus molestiis vexatur ex parte creditoris censuum decursorum*. Primam insuper informationem quo ad impositionem taxæ confirmavit, aliasque addidit rationes, ut exceptiones inconcinni operis, & immoderati sumptus omnino reiiciantur. *Agitur enim* (sunt ejus verba) *de exigua quantitate*, *scutatorum* 120. *in reparationem Ecclesiæ tunc proximam minantis ruinam*, *utpote senio confectæ*, *adeoque nonnisi perperam expensa hujusmodi objurgatur tanquam immodica*; *multoque minus reprehendi merentur expleta reaptamenta veluti insufficientia*, *aut arti adversantia*, *quoniam sexdecim abhinc annis*, *& ultra firmitatem propriam patefaciunt*. *Quapropter inutilem conspicio deputationem periti ad ipsa nunc temporis recognoscenda*.

Peculiares sane deficiebant parochialis Ecclesiæ reditus: impares erant Parochus, & Beneficiati illius reparationi; & nulli existebant Patroni, Emo Episcopo teste. In eorum igitur defectum factus fuit locus Parochiano-

rum

rum taxationi ex verbis illis *Sacri Concilii Tridentini sess. 21. cap. 7. de reform.*, nempe = *in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant* = nec immerito propterea sustinere videntur exteri possidentes, ad extinctionem census impositi pro reparatione, fructuumque solutionem, omnes indistincte teneri Parochianos, sive possidentes, sive non possidentes; quum indefinita Parochianorum appellatio neminem excipiat, *Fagnan. in lib. 1. Decretal. cap. consuetudines, de consuet. num.* 24. Atque ita decrevisse videtur Sac. hæc Congregatio per rescriptum anni 1783. = *teneri Populum, & possidentes in districtu Parochiæ per æs & libram* = nam adhibuit fortasse nomen Populi ad distinguendos posidentes a non possidentibus, omnesque teneri jussit *per æs & libram*, per æquam nempe distributionem collectæ super possidentia, & super personis, sive super generibus consumationis. Aliter vero nonnulli conciliarem interpretantur dispositionem, ut intelligatur nempe de Parochianis possidentibus, non item de miseris, qui ex industria, & labore vivunt, *Thesaur. for. Eccles. cap. 16. num. 73. & seq.*, *Bellet. disquisit. cleric. part. 10. §. 14. num.* 11.

Difficultas autem est, num possidentium nomine veniant coloni. Pro negativa urgere posset, quod collecta *per æs, & libram* est onus reale infixum bonis, eosque afficit, qui illa possident jure suo, *Rot. apud de Vecch. ad mater Bon. Regim. decis.* 192. *num.* 4., quodque colonorum possessio est precaria, & retineri censetur domino, *leg.* 3. §. *si servus, & leg. si colonus ff. de acquiren. possess.* Licet ea vero collecta imponatur bonis, debetur tamen ratione fructuum, per *Text. in leg.* 4. *Cod. de cens.*, *Kloch. de ærar. lib.* 2. *cap.* 2. *cap.* 53. *num.* 46., ideoque a colonis etiam, qui fructus participant.

Quæruntur præterea exteri possidentes de mala operis constructione, nimioque sumptu; & utrumque tribuunt Parocho ob adhibitam operam ejus fratris, & nepotis inopportuno hiemis tempore, ut injustum ipsis pararet lucrum. Valde autem sibi interesse ajunt, ut id per peritos cognoscatur, ne plus æquo scilicet, & pro inconcinno opere contribuere adigantur. Ponderare tamen dignentur EE̅mi Patres cum EE̅mo Episcopo, quod *agitur de exigua quantitate scutorum* 120. *in repa-*

rationem Ecclesiæ nunc proximam minantis ruinam, & reaptamenta . . . sexdecim abhinc annis, & ultra firmitatem propriam patefaciunt. Hæc sane facta prævalere forsan debent assertionibus Oratorum; & impedimento esse possunt, ne in re non magni momenti sumptuosa permittatur peritia.

Deliberandum itaque.

I. *An, & quibus sit imponeda collecta in casu &c.*

II. *An sit locus deputationi periti pro recognitione operis in casu &c.*

Ad I., & II. Affirmative in omnibus juxta votum Emi Episcopi.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

FERETRANA REDUCTIONIS ONERUM. Inter Canonicos tresdecim, tresque Dignitates, ex quibus feretranæ Cathedralis Capitulum constituitur, duo sunt de jurepatronatus laicali, Franciscus nempe Bonajuti, & Aloysius Ambrosini, qui ab institutore Mario Savallio, ejusdem Cathedralis olim Præposito, savallienses nuncupantur Canonici. In fundum utriusque canonicatus assignavit Savallius anno 1663. plures census, annui in unum reditus scutorum 88. 12. ad rationem scutorum octo in singula centum, & prædiola sex, quorum antiquus ignoratur fructus. Duo tamen ex his *etiam tempore primorum nominatorum a Testatore non aderant, ut eruitur ex veteri libro, in quo & capitalia censuum, & stabilium adnotata reperiuntur*, ut in hec verba feretranus refert Episcopus; ac de iis forsan disposuit Fundator in alium usum, apposito propterea in margine instrumenti fundationis signo Crucis. Onus uni, & alteri Canonico imposuit *inserviendi in choro sicut ceteri Canonici* (tribus nempe cujusque mensis hebdomadis), & *ibidem qualibet hebdomada eorum singulis duas Missas in perpetuum pro suffragio, & salute animæ ipsius D. Fundantis, seu juxta piam illius intentionem*

tionem celebrandi , ac unum Anniversarium cum interventu omnium Canonicorum , & aliorum Sacerdotum de Capitulo cum solita eleemosyna . Et post Canonicos ab ipso nominatos , jus tribuit nominandi Com. Mario de Carpineo , ejusque descendentibus primogenitis; ultimoque loco Præposito Cathedralis , qui modo illud obtinet .

Ob imminutas censuum usuras , tenuesque terrularum fructus,imminuti etiam sunt canonicatuum reditus,vixque ex decenni calculo annua attingunt scuta 52. 32. . Omnibus vero detractis Missarum , Anniversarii , & cameralium contributionum oneribus in scutis 14. 68. , vix pro chorali savalliensium Canonicorum servitio scuta supersunt 10. 64. , seu scuta 5. 32. pro quolibet . Petita idcirco illorum nomine fuit ab hac Sacra Congregatione reductio Missarum , vel choralis servitii : sed ex ipsorum ore tribuit Episcopus feretranus alternativam servitii choralis errori Agentis , ac petitionem restringit ad Missas , quarum reductioni hoc etiam pacto consentire ait Capitulum , *ne liberentur* (Oratores) *a chori servitio* .

Sperandum insuper non esse refert redituum augmentum ; *nam si de censibus loquatur* (sunt ejus verba) *imminuentur forsitan , quam ut augeantur . Nostro etenim ævo ad summum occupatio fit ad rationem quinque pro centenario , raro ad sex , nisi urgens adsit necessitas , quæ legem non admittit . Si vero de terrulis, quum & paucæ sint , & pravi intrinseci valoris , & saxosis , nunquam major expectandus est fructus ; ut comprobatur experientia , quum Oratores illas meliorassent , & tamen nihil pluris recipiunt ex solitis fructibus . Ex his omnibus videtur , quod imminutio fructuum Oratorum culpa non cesserit , sed ex minori censuum interussurio, & prava terrarum qualitate , quæ in deterius semper abibunt . Continuo etenim hisce in montibus contigit ob slamationes , vulgo = rupine* . Atque ita concludit : *Quæ cum ita sint , & graviora reapse sint onera , merentur* (Oratores) *reductionem petitam , ut vivere possint , saltem eos liberando ab Anniversario celebrando in anno , & a duarum Missarum celebratione in hebdomada . Qui Altari inservit , de Altari vivere debet . Nullas acquirunt distributiones , quum sint separati ab aliis,*

 suam-

suamque massam ex se constituant. Servitium chori est quid magnum, & considerandum; ideoque posse EE. Vestras Oratoribus elargiri gratiam, sentirem ego.

Recens non est redituum imminutio, & cum præsenti reditu acceperunt Oratores canonicatus. Gravia ipsis propterea videri non debent adnexa onera, ut censuit Sacra hæc Congregatio *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii* 1790., & *in Viterbien. Reductionis Missarum* 6. *Decembris* 1794.. Præsertim cum ceteri etiam Canonici lucrentur pro servitio chorali scuta tantum novem ad quindecim, ut testatur Capitulum. Admodum contra cuique eorum tenue obtingit emolumentum scutorum 5.32. pro quotidiano servitio chori in Ecclesia Cathedrali; & locus idcirco esse posset illius reductioni ad æquitatem, ut *in Viterbien. Reductionis Onerum* 8. *Maii* 1784.. Ponderandum tamen, num id fieri debeat per imminutionem Missarum, & abolitionem Anniversarii, juxta votum Episcopi, seu potius per reductionem ipsius servitii choralis, ut pluries decrevit Sacra Congregatio, ac præsertim *in Montis Falisci Reductionis Missarum* 17. *Decembris* 1791.

Posteriori huic reductioni ceteri adversantur Canonici, quorum servitium tanto levius est, quanto amplior Choralium numerus; & adversatur etiam canonicatuum fundatio. Primum enim assignavit Fundator canonicalibus præbendis *annuos reditus ex fructibus bonorum suorum*, & imposuit Canonicis onus *inserviendi in choro sicut ceteri Canonici*; deinde Canonicos oneravit quatuor hebdomadalibus Missis. Principaliter ergo respexisse videtur ad servitium chorale; ideoque alia potius reducenda essent onera, *Fagnan. in lib.* 1.*Decretal. cap. ex parte de constit. num.* 34., & *Sacra Congregatio in Regien. Reductionis servitii chori*, & *Missarum* 17. *Aprilis* 1776.

Proponitur itaque deliberandum,

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi.

TO-

TOLENTINATEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Sodalitium S. Nicolai Tolentinatis, in ipso erectum Tolentino, quod modo ob ejus depauperationem ordinaria auctoritate suspensum est, & repræsentatur a Capellano, ad negotia, legata, & onera adimplenda deputato, duodecim gravatur Missarum legatis. *Sess.25. cap.4. de Reform.*

Primum Missarum undecim quotannis reliquit anno 1656. Sebastiana Luciani cum sorte census scutorum 25., ante annum 1729. deperdita.

Secundum annuarum Missarum quatuor Rodomontes Pauli anno 1603. cum capitali scutorum quinque.

Tertium Missarum viginti Ascanius Benadduce cum capitali scutorum 50. Utriusque legati non reperitur investimentum, sed commixta creditur sors cum aliis censibus Sodalitii. Hinc annuus reditus ad taxam scutorum quinque pro centenario juxta folium a Sodalitio exhibitum, obolorum 25. quoad secundum, & scutorum 2. 50. quoad tertium æstimatur.

Quartum unius hebdomadalis Missæ Sanctes Carducci anno 1632., quatuor assignatis censibus in tota sorte scutorum 156., quæ ob deperitionem primi, & secundi imminuta remanet ad scuta 97. 50.

Quintum Missarum viginti Bernardinus Vagniboni anno 1660. cum capitali scutorum 50., modo ad scuta 37.50. redacto ob census deperitionem. Hujus, ut præcedentis legati superextans capitale commixtum cum aliis Confraternitatis censibus est, & ad taxam suprarelatam, annuus *quarti* legati reditus ad scuta 4. 75. ascendit, *quinti* ad scutum 1. 87.

Sextum Missarum quindecim Honoratus Macci anno 1661. cum sorte census scutorum 50., eoque extincto, scuta 15. 50. erogata fuerunt in restaurationem Ecclesiæ, reliqua scut.34. 50. in partem prædii investita, annui reditus scut. 1. 40.

Septimum Hebdomadalium Missarum trium anno 1587. Nicolaus Pavoni cum capitali scutorum 263. 20., annui nunc reditus scutorum 6.09.

Octavum Missarum quindecim Marinus Vagniboni anno 1648., traditis scutis 50. investitis in prædio annui reditus scut. 1. 19.

Nonum Vannes Vagniboni anno 1636.

Decimum Franciscus Lazzarini anno 1643.

Undecimum Joannes Perinaldi anno 1648.

Et duodecimum Nicolaus Bernardi anno 1660. Posteriora hæc quatuor legata onus habent viginti Missarum, sortem scutorum 50. in prædio investitam annui reditus scut. 1. 19. pro unoquoque.

In unum ergo gravatur Sodalitium annuis Missis 373., quæ assignatis celebrationis diebus relatæ fuerunt anno 1729. in tabellam; & pro earum implemento percipit scuta 22. 87., seu potius scuta 14. 31., detractis scutis 8. 56. pro collectis, & sacris utensilibus, juxta Vicarii Generalis relationem. Qua de re tot hactenus celebratæ sunt Missæ, quot summa capit scutorum 14. 31. ad taxam perpetuæ obolorum 15., factam anno 1687. a clar. mem. Cardinali Paulutio Tolentinate olim Episcopo. Ad statuendum vero rei statum, EE. Vestris Sodalitii nomine supplicat Capellanus pro abolitione legati Luciani, cujus fundus per decoctionem debitoris census omnino periit, & pro aliorum reductione juxta respectivos reditus ad taxam Concilii Romani; seque Episcopus Tolentinates ad transmissum refert folium ejus Vicarii Generalis.

Hic igitur exponit, nullum alium, præter sodalitium ipsum, existere interesse habentem, qui audiri valeat: investigari non potuisse, num ante annum 1729. adhibitæ fuissent diligentiæ ad recuperandos deperditos census, una excepta inutili instantia anni 1674. contra debitorem census Carducci: liberum legatorum reditum in scutis consistere 14. 31., & ob emphyteuticam concessionem existentis prædii ad tertiam generationem masculinam, & ob investita reliqua capitalia in perpetuis censibus, augeri non posse: capitalia legatorum *Rodomontis Pauli*, *Benadduce*, *Carducci*, & *Bernardini Vagniboni*, quæ locum hic habent II. III. IV. V. confusa esse cum censibus Sodalitii: manualem Missarum eleæmosynam in Civitate Tolentini obolorum esse decem. Atque ex his æquam censet petitam abolitionem & reductionem, *ed il negargliela sarebbe lo stesso, che volerla obligare* (Societatem nempe) *a subire un peso di gran lunga maggiore delle sue forze*.

Per abolitionem sane legati Sebastianæ Luciani omni ejus anima privaretur suffragio, contra monitum *Pasqualig. de Sacrific. Miss. quæst.* 1119. *num.*2. At animadversionem meretur, quod jamdiu absque Sodalium culpa periit census taxative a legante relictus. Deficiente

enim

enim fundo, justam pii legati abolitionem reputat *Monacell. formul.* 19. *tit.*20. *part.*1. *num.*25., ut censuit etiam Sacra hæc Congregatio *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783.

Quoad II. III. IV. & V. legatum reductioni impedimento esse posset, quod arbitrio suo occupaverint Sodales in censibus pecuniam a plerisque Legantibus solutam, ac propriis capitalibus miscuerint. In his porro terminis arbitratur *Pasqualig. de Sacrif. Miss. quæst.* 1065. *numer.*2. & 3., adimplendam esse per Legatarium integram Missarum celebrationem, justo etiam deficiente fundo. Notandum contra, quod quamvis separatim esset investita, majorem forsan præbere non posset reditum scutorum quinque pro centenario, uti ab eodem Sodaltio taxatus fuit: quod agitur de tenuissima sorte habito respectu ad singula legata: & quod capitalia IV. & V. legati sunt imminuta ad scuta 97. 50., & 37. 50. absque Sodalitii culpa.

Quoad sextum reductionem mereri videtur tenuis annuus reditus scuti 1. 46., qui neque ad manualem sufficere potest. Reductioni vero obstat, quod Sodales scuta 15. 50. in Ecclesiæ restaurationem erogarunt, quæ si una cum scutis superextantibus 34. 50. investirentur, reditus ascenderet ad scuta 2. 50., quæ satis essent ad solvendam eleæmosynam etiam ad taxam Concilii Romani pro præfinitis quindecim Missis.

Reliqua demum Legata reducenda non videntur, utpote a Sodalitio cum designato onere accepta, & quia alios habet reditus ad supplendum eleemosynæ defectum. Ceterum taxativa sunt legata, unde de proprio supplere non tenetur Sodalitium; & legatorum reditus sufficiens nec est pro implenda celebratione ad simplicem manualem.

Quatenus idcirco EE. Vestræ indulgere velint Sodalitio Oratori, deliberare etiam dignentur, ad quam taxam sit concedenda reductio. Legata post acceptationem reducuntur ad manualem, ut pluribus aliis collectis resolutionibus, statuit Sacra hæc Congregatio *in Fanen. Reductionis Missarum* 14. *Februarii* 1761. Agitur contra de legatis, quæ per sæculum & ultra fuerunt adimpleta cum eleemosyna obolorum 15. juxta taxam perpetuæ factam anno 1687. a clar. mem. Cardinali Paulu-

lutio. Unde ad eamdem taxam celebrari etiam possent quoad futurum; nisi potius ob perpetuam eorumdem qualitatem & Sodalitii paupertatem, ob quam suspensum fuit, reducenda videantur ad taxam Concilii Romani.

Quæritur itaque.

An, quæ legata, & quomodo sint abolenda, & respective reducenda in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 24. cap. 12. de Reformat.

PERUSINA JUBILATIONIS. Ex fundatione capellaniæ Donati addictus est Capellanus Philippus Naldini ab anno 1754. chorali servitio perusinę Cathedralis. Ob podagricum vero, aliosque habituales morbos deserere cepit chorum ab anno 1758., ac raro ei hactenus interfuit. Sæpe hac de re punctaturis multatus, pœnam sanatoriis, aliisque modis evasit. Sacram hanc idcirco Congregationem adierunt Canonici, editoque sub die 17. Augusti 1793. rescripto = *utantur jure suo coram Episcopo ad formam Sacrorum Canonum* = sequestrationem meditabantur fructuum capellaniæ. Huic etiam periculo Naldinius occurrit, petiitque ab EE. Vestris jubilationis indultum: atque viriliter contradicente Capitulo, hæc perusinus habuit Episcopus = *Omnia, quæ respiciunt instantiam pro jubilatione Sacerdotis, & Capellani choralis hujus meæ Cathedralis Philippi Naldini prostant in foliis humiliter adnexis* (de quibus infra) *Ad ea per Capitulum exposita non est profecto quod per me in contrarium adducantur. Orator exadverso jura sua protueri contendit in folio insertis roborato documentis.*

Posita habituali infirmitate Naldinii, res pro ejus jubilatione dici posset explorata; nam absentes ex causa infirmitatis, qui Ecclesiæ per annos 40., ut ille, inservie-

vierunt, jubilationem consequi debent, ex declaratione Sac. Congregationis ad *Dubia jubilationum* 17. *Decembris* 1718. *super I. Dubio*. Sed quæstio est facti. Talem Canonici non fuisse asserunt Oratoris morbum, ut sine gravi incommodo interesse non potuerit choro. Notorium enim dicunt, quolibet eum anni tempore egredi consuevisse domo ad celebrandum in alia Ecclesia Sacrum, aliaque per frequentiores Civitatis regiones agenda negotia; plura in Anconam, Romam, Hetruriam habuisse itinera; sæpe ad voluptatis ædes pedibus ivisse, pedibusque Perusiam rediisse.

Plures Naldinius opponit juratas depositiones Medicorum, qui eum ab anno 1758., sub quo fallentiarum epocam statuunt Capitulares, habituali morbo affectum fuisse affirmant ad annum 1793. Qua sane de causa jubilationem obtinuit anno 1774. a Collegio Doctorum Phisicæ, & Medicinæ, & anno 1781. a Collegio DD. Theologiæ & Philosophiæ. Anno rursus 1776. de consensu Capituli choralem ab ordinario impetravit exemptionem = *durante mala valetudine*; & anno tandem 1782. indultum celebrandi in Oratorio privato, & una hora post meridiem; quoniam, ipso testante Vicario Generali, *corporalibus* ita vexabatur *indispositionibus*, *& podagra præsertim*, *ut e domo exire nequeat*. Tunc vero cum Romam venisset, tres Medici, nempe Saliceti, Bonelli, & Mora, de eo ita sub juramento testati sunt, *di aver rilevato ad evidenza*, *che fieri attacchi nervini nefritici*, *e podagrosi con sputi di sangue lo hanno tormentato costantemente fin dalla prima sua gioventù*, atque idcirco præscribendum putarunt = *che debba prevalersi delle benigne concessioni accordategli di non intervenire al sagro impiego del Coro*, *col far poi soggiorno in un clima il più confacente al suo cagionevole*, *e sensibilissimo temperamento*. Eodemque tandem anno 1783. hac ipsa de causa facultatem vescendi cibis paschalibus in Quadragesima, aliisque diebus ab Ecclesia vetitis Naldinius impetravit a S. Pænitentiaria, atque reductionem quinque Missarum ad duas hebdomadales, ut in casu infirmitatis Fundator ipse permiserat. Hæc omnia Orator legitimis probat documentis & irrationabilem dicit Capituli contradictionem, quam in consimili instantia justis de causis des-

pexerunt EE. VV. *in Spoletana relat. inter supplices Libellos die* 25. *Januarii* 1794. Deliberandum igitur.

An sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 13. Junii 1795. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TOLENTINATEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*
An, quæ legata, & quomodo sint abolenda, & respective reducenda in casu &c.

Legatum Luciani esse abolendum, & reliqua esse reducenda ad taxam manualis, redintegrato tamen per Sodalitium sexto legato Mucci in scutis quindecim, & ob. 50., favore ejusdem legati investiendis.

PERUSINA JUBILATIONIS. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*
An sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.

Affirmative.

FIRMANA. Tres olim in suburbiis Phaleronis existebant parochiales Ecclesiæ, nimirum S. Stephani, S. Paulini, & S. Margaritæ; una sub titulo S. Joannis Baptistæ intra mœnia Castri: earumque Matrix S. Stephani commendata erat, ut modo est, Capitulo firmanæ Cathedralis, & administratur ab illius Vicario perpetuo. Distinguebantur Parochiæ per familias decimationi subjectas; sed familiæ adventitiæ, sive in suburbiis, sive in Oppido consisterent, pertinebant *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

 ad

ad Matricem. Suburbanis tandem collapsis Ecclesiis, decrevit anno 1573. uticensis Episcopus, & Visitator Apostolicus Maramontes, illarum translationem ad urbanam S. Joannis Baptistæ; jussitque, ut hæc communi ampliaretur Parochorum sumptu, & singuli in ea, pristinis retentis titulis, Animarum curam exercerent. Ad rem vero statuit, *Parochianos adventitios illi Parochiæ subjectos censeri, sub cujus decimatione habent domicilium quo ad habitantes in districtu dictæ Terræ. Quod si domicilium intus Terram elegerint, sint & censeantur Plebi S. Stephani parochiali jure subjecti. Et ita ab omnibus Parochis perpetuo observari debere sub suspensionis & arbitrii pœna, quacunque consuetudine etiam immemorabili non obstante.*

Observatum fuit Visitatoris decretum quo ad unionem Parochorum in Ecclesia S. Joannis Baptistæ; non item quo ad Parochianos adventitios. Licet namque ab anno 1595., spatio scilicet annorum biscentum, quater adstiterint Parochi S. Joannis Baptistæ matrimoniis advenarum; toties baptizaverint eorum filios; & unum omnino ex ipsis tumulaverint, juxta parochiales illorum libros: nedum tamen ab edito decreto, sed ab anno etiam 1522. nulla in iisdem libris, aliisque S. Paulini, & S. Margaritę invenitur particula, *in qua exprimatur, supradictis Parochiis adscriptam fuisse aliquam familiam exteram, aut Animas adventitias*, ut iis omnibus diligenter perlustratis, publicus testatur Notarius. Valdeque dubitandum, quin cognita forsan difficultate exequendi in hac parte decretum, aliter Visitator ipse eodem anno 1573. levare decreverit Vicarium S. Stephani a gravi multarum Animarum cura, seu familiarum 190. *intus, & extra dictam Terram*, nempe *quod si minime sufficeret ob Animarum amplitudinem, adjungatur eidem & alius Sacerdos, ne Animæ dictæ Plebi, & suis adnexis commissæ detrimentum aliquod patiantur.*

Adeo paullatim excreverunt Parochiani S. Stephani, ut anno 1785. numerum attingerent 1837. Tali igitur pressus onere, *Sanctissimo* supplicavit anno 1786. decessor Vicarius Dominicus Fiorentini pro augmento congruæ, ut alterum stipendio conducere posset Sacerdotem in adjutorem. Consistebat congrua in annuo canone scutorum 15., quorumdam prædiorum decimatione, incertisque parochialibus, quæ omnia sum-

summam constituebant scutorum circiter 90. Reliquos enim Parochiæ reditus percipiebat, ut percipit Capitulum. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem remissis, diu res ob non acceptam informationem firmani Archiepiscopi, ad obitum Vicarii Fiorentini sub judice fuit. Electo hinc Sacerdote Joanne Baptista Manili in novum Vicarium, EE. Vestris pro eodem congruæ augmento supplicavit anno 1788. Communitas Phaleronis; iterumque res ob defectum informationis siluit. Anno tandem 1791. Pontificium adiit Solium Vicarius ipse Manili, ejusque preces dimissæ fuerunt per decretum Auditoris *Sanctissimi* = *Utatur jure suo coram Judicibus competentibus*.

Pendebat igitur Sacræ Congregationis resolutio ab informatione Archiepiscopi. Hic tamen sequenti anno 1792., utens facultatibus sibi in actu Sacræ Visitationis reservatis, *decretum editum a memorato Episcopo uticensi, & per extensum ut supra relatum, instauravit, renovavit, illudque in omnibus & per omnia adamussim servari mandavit; ac pro hujusmodi effectu jussit, ut quo ad familias, quæ intus Terram actu existunt, sint respectivis Parochiis subjectæ, prout modo sunt, & quæ in posterum intus ipsam Terram de novo advenient, omnes Parochiæ S. Stephani adscribantur ad formam prælaudati decreti; & quo ad familias, quæ actu, & in posterum erunt in agro Phaleronis, unaquæque Parochia eas familias tanquam sui proprias recognoscat, quæ in districtu respectivæ decimationis commorantur*. Huic autem decreto per citationem specialem coram Auditore *Sanctissimi* reclamarunt Parochi S. Joannis Baptistæ, S. Paulini, & S. Margaritæ; & remissa ad Sacram Congregationem Causa, infrascriptum modo disputant Dubium cum Capitulo & Canonicis Cathedralis, quorum interest, ut Parocho S. Stephani per divisionem potius familiarum adventitiarum, quam per augmentum congruæ succurratur.

Tuentur sane Canonici decretum Archiepiscopi ex antiquissimo altero Visitatoris Apostolici, cujus maxima est auctoritas, quasi ab ipso Pontifice delegante prodiisset, per *Text. in leg. disputare Cod. de crimin. sacrileg.* Consuetudinem Pontificio decreto contrariam, abusum appellant, & corruptelam, eamque ad intervertendos Paræciarum fines, suprema Auctoritate statutos, ineptam, ex *cap.* 4. *de Parochiis in sexto*, *Reiffenst.*

feust. in lib. 2. Decretal. tit. 26. de præscript. §. 2. *de reb. quæ præscr. poss. num.* 40., *Barbos. de offic.* & *potest. Episc. allegat.* 131. *num.*3. & *seqq.* Attenta potissimum clausula cujuscumque consuetudinis derogatoria, qua munitum fuit decretum Visitatoris, *Card. Petr. ad Constit. 6. Urban. IV. tom.* 3. *pag.* 335. *num.* 49.

Variam de cetero dicunt observantiam ob parochiales illos, licet paucos actus Rectorum S. Joannis Baptistæ; assistentiæ scilicet matrimoniis advenarum, collati eorum filiis baptismatis, & sepulturæ. Adduntque quorumdam Sacerdotum testimonium de benedictis in Hebdomada Sancta tum per dictos Rectores, cum per alios S. Antonini, & S. Margaritæ, advenarum domibus. Per hanc sane benedictionem in suos a quolibet Parocho agnitos contendunt advenas, in respectivis decimationis locis commorantes, quum eam explere nequeant, nisi proprii Parochi, *Barbos. de offic.* & *potest. Paroch. cap.* 12. *de funct. paroch. n.*11., & 12. Et ad suadendam postremo controversi decreti æquitatem ponderandum rogant, quod (unius & alterius Notarii testimonio) ambitum habent Parochiæ milliariorum duodecim, & in quolibet illius angulo sunt advenæ, quibus unus Parochus S. Stephani vel præsto esse nequit, vel ob difficiles vias, maximo cum incommodo.

Parochi contra S. Joannis Baptistæ, S. Antonini, & Sanctæ Margaritæ, nullitatem, & injustitiam urgent archiepiscopalis decreti. Nullitatem desumunt ex defectu jurisdictionis. Ad levandum sane Parochum Sancti Stephani, advenarum divisionem decrevit Archiepiscopus anno 1792., postquam nempe ad illius onus compensandum promota fuerat anno 1786., iterumque anno 1788., & 1791. coram *Sanctissimo*, & Sacra Congregatione instantia pro augmento congruæ. Apponere ergo non potuisse videtur manus in re ad Superiores delata, per *Text. in cap. cum inferior de majorit.* & *obedient.*, eoque minus absque citatione, & consensu Parochorum, quibus plerasque advenarum familias, a Parochia S. Stephani dismembratas, addixit, *Barbos. ad Concil. Trident. sess.*7. *cap.*6. *num.*19. & *seq.*, *Rot. coram Emer. jun. decis.* 1048. *num.* 6., & *seq.*

Injustitiam vero a *Sacro* deducunt *Concilio Tridentino*

sess.21.

sess. 21. *cap.*4. *de reform.* Quin enim permittat Sancta Synodus dismembrationem numerosi Populi ab una Parochia in gravamen aliarum, Episcopis præcipit, *ut cogant Rectores, & alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiunt ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum.* Hisce autem adjunctis Sacerdotibus præstare debent ratione spiritualis conjugii congruum stipendium, qui curam habent habitualem, & participant fructus Parochiæ, ut in nostro themate Canonici Cathedralis Firmi, *Reclus. de re paroch. part.*1. *tit.*9.*num.*2., & *Sacra hæc Congregatio in Constantien.* 30.*Maii* 1761.

Suam addunt inveteratam immunitatem a cura advenarum; nam si pauci illi excipiantur voluntarii actus Parochi S. Joannis Baptistę, ac voluntariæ etiam domorum benedictiones, addicti fuerunt advenæ omnes Parochiæ S. Stephani per annos biscentum, ut probant aliarum Parochiarum codices, & decretum ipsum dismembrationis. Hujusmodi profecto consuetudinem plurimi ad rem faciunt *Barbos. de offic. & potest. Episc. part.*3. *alleg.* 64. *num.* 4., & *Rot. in Leodien. Jurisdictionis super primo Dubio* 3. *Martii* 1766. §.10. *cor. de Comitibus*. Maxime quia in pluribus aliis etiam servatur Piceni locis, in quibus disterminantur Parochiæ per familias, & addictæ sunt adventitiæ Matrici, ut respectivi testantur Parochi.

Negligendum postremo arbitrantur Decretum Visitatosis Maramontes, cui innititur alterum Archiepiscopi, utpote usu non receptum. *Illud sane expeditum arbitror, legis nunquam receptæ, nunquam observatæ nullam esse vim, si ab ejus promulgatione longum fuerit lapsum tempus*, ut inquit *Voet in Pandect. lib.* 1. *tit.*3.*num.*41.*de legib.*, *Leon. thesaur. for.eccles. part.*4. *cap.*2. *num.*166. §. *primum*, *Guttier. de juram. confirmat. part.*1. *cap.*38. *num.*14.

In quæstionem igitur venit.

An decretum Archiepiscopi firmani sit exequendum in casu &c.

Affirmative, & amplius.

TUR-

Sess. 24. cap. 1. de Reform. matrim.

TURRITANA MATRIMONII. Eustachius miles matrimonium cum Hedvvige, omissis denunciationibus, celebravit coram uno ex Pro-Parochis turritanę Diœcesis, dum SS. Eucharistiæ Sacramento frequenti Populo benedicebat. Tria hinc Archiepiscopus proponit Dubia; I. *an prudenter, ac salubriter legem ferat Episcopus in Synodo, vel extra Synodum, qua vetentur Parochi illimitatam facultatem matrimonio assistendi Sacerdotibus coadjutoribus, seu Pro-Parochis concedere*; II. *an matrimonia coram ejusmodi Pro-Parochis celebrata, non modo illicita, verum etiam invalida censenda sint*; III. *an validum sit matrimonium nostri casus*.

Similia resoluta fuerunt Dubia *die* 28. *Novembris* 1789. *in Bosanen. Visitationis Sacrorum Liminum*. Quærebatur, I. *an, & quomodo sustineatur synodale decretum in casu &c.*. decretum scilicet adimens Pro-Parochis potestatem assistendi matrimoniis absque facultate Parochorum in scriptis pro casibus particularibus; II. *an per idem decretum adempta sit Pro-Parochis potestas assistendi matrimoniis, ita ut irrita sint matrimonia coram ipsis celebrata*; III. *an iterari debeat matrimonium coram Pro-Parocho celebratum contra formam ejusdem*. Et ad I. EE. Vestræ rescripserunt *affirmative*; ad II. *affirmative ad primam partem, negative ad secundam; & matrimonia inita cum assistentia Pro-Parochi contra formam decreti synodalis esse valida, sed illicita*; ad III. *negative*.

Hujusmodi autem resolutiones editas dicit Archiepiscopus ob factum *non rite, ac sincere* in informatione bosanensis Antistitis expositum; illudque præsertim a veritate alienum affirmat, quod mos esset in Sardinia, ut ad præsentationem Parochorum instituerent Episcopi Pro-Parochos absque ulla ministerii parochialis restrictione. Oppositam enim vigere refert consuetudinem, in sua præcipue Diœcesi, in qua propterea *nemo vel e rudi Populo invenitur* (sunt ejus verba) *qui existimet, matrimonia coram ejusmodi Pro-Parochis inita, aliquid roboris, ac firmitatis habere. Sunt nempe Pro-Parochi Sacerdotes, quos Parochi, seu Rectores in partem laboris sibi pro tempore adsciscunt, prævia tamen Episcoporum approbatione, nimirum ut eligantur viri, qui morum integritate, & sufficienti doctri-*

ctrina pro locorum ratione, & Populorum necessitate, prædidi sint, eorumque Parochis in explendo pastorali munere, subsidio, atque adjumento esse valeant. Horum itaque facultas a Parochorum voluntate tota pendet, qui pro diversis locorum, personarum, ac temporum adjunctis, juxta leges, ac peculiaria statuta, restringere, aut ampliare pro arbitrio solent.

Hanc ipsam generalem consuetudinem, a qua forsan alicubi in bosana Diæcesi descitum erat, confirmatam censet per synodalem illam ejusdem Diæcesis legem, *Pro - Parochos, nisi specialem a Parocho pro casu particulari facultatem in scriptis acceperint, adsistere matrimonio minime posse*; ut nempe *cautiores redderentur Parochi in deleganda suis Pro-Parochis facultate matrimonio assistendi; ut Fideles admonerentur de illorum connubiorum invaliditate; ut in peculiari casu nullum prorsus dubium oriri posset de validitate matrimonii, quod coram ejusmodi Pro - Parochis deinceps celebraretur; atque demum claudestina hæc conjugia, quæ in Sardis regionibus frequenter iniri solent, magno cum Animarum detrimento, pro virili parte impedirentur*. Qua de re haud intelligere concludit, *qua ratione matrimonium in illa Diæcesi contractum, firmum validumque censeatur, cum initum fuerit coram Pro-Parocho, qui neque ab Episcopo, cum ad id officium eligeretur*, ab Episcopo, *inquam, qui legem ipse tulerat, amplissimam illam facultatem acceperat, neque a Parocho loci, qui Episcopo suo addictissimus erat, qui legem expostulaverat, quique post tentatum matrimonium, non solum sceleris gravitatem conjugibus exprobavit, sed etiam illos de matrimonii sic contracti nullitate statim admonuit*. Parum tamen suę sententiæ fidens, Vestrum pro securitate consciéntiæ, suique Gregis utilitate postulat oraculum.

Eadem super primo hujus Causæ Dubio, ac *in Bosanen.* militat affirmativæ ratio. Quamvis enim *ex Sacro Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* indefinitam Parochi habeant facultatem concedendi licentiam assistendi matrimoniis; eam tamen ex justa, multoque magis publica causa, ut est illa impediendi matrimonia clandestina, moderare valent Episcopi, secundum *Piasec. in prax. Episcop. cap. 2. numer. 7.*, &

Barb. de offic., & *potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 63. *numer.* 32. . Nilque in substantia unus casus differt ab altero; quum ad dimetiendam moderandi potestatem, unum, idemque sit, jam Archiepiscopum promulgasse moderationis legem, ut *in Bosanen.*, ac eam promulgaturum esse, ut modo quæritur.

Secundum, & tertium Dubium ab una pendet indagine, num valide Pro-Parochi absque expressa licentia Parochi assistere valeant matrimoniis. Pro negativa sunt rationes a turritano Archiepiscopo allatæ. Pro affirmativa est *Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap.* 23. §. 3., qui ex pluribus Sacræ hujus Congregationis resolutionibus validum censet matrimonium coram Pro-Parocho celebratum contra prohibitionem Episcopi, in hæc verba: *In eo decreto .. statuitur, validum esse matrimonium, quod fuerit initum vel coram Parocho, vel coram Parochi Vicario, etiamsi illis ab Episcopo interdictum fuerit, ne matrimonii celebrationi assistentiam præstarent. Super quo sane nulla videtur excitari posse gravioris momenti difficultas. Quum enim ea non sit Episcopo auctoritas, ut possit inducere impedimentum dirimens, quod non est; aut aliquod matrimonium, quod ex Canonum præscripto nullum irritumque non sit, nullum irritumque statuere, ut firmat &c. Illicitum quidem erit matrimonium, si celebretur coram eo, cui Episcopus hujusmodi celebrationi adesse vetuerit; graviter etiam peccabit is, qui spreta superioris prohibitione eidem assistentiam præbebit: at nulla ratione dici poterit, matrimonium ipsum nullitatis vitio subjacere.* Sive autem Pro-Parochi per formalem Episcopi institutionem, ut supponebatur *in Bosanen.*, sive per simplicem constituantur approbationem, ut turritanus refert Archiepiscopus, semper verum est, quod pro Vicariis admittuntur Parochorum, valideque idcirco coram illis juxta *Benedictum XIV.* matrimonium contrahitur.

Deliberandum igitur, -

I. *An prudenter, ac salubriter legem ferat Episcopus in Synodo, vel extra Synodum, qua vetentur Parochi illimitatam facultatem matrimonio assistendi Coadjutoribus, seu Pro-Parochis concedere in casu &c.*

II. *An*

II. *An matrimonia coram ejusmodi Pro - Parochis celebrata, non modo illicita, verum etiam invalida censenda sint in casu &c.*

III. *An validum sit matrimonium, de quo agitur in casu &c.*

Ad I. Negative.
Ad II. Provisum in primo.
Ad III. Affirmative.

FIRMANA TRANSACTIONIS. Franciscus Stucci heredes scripsit anno 1697. Julium Cæsarem, & Simonem propinquiores suos agnatos, substituitque eorum descendentes masculos ex masculis, ac ultimo loco agnatas fæminas quoad viverent. His omnibus deficientibus, legavit Monti Pietatis Maceratę domum positam in eadem Civitate, prædiumque in Territorio Montis Milonis sub vocabulo *Gagliano*, ut commodaretur eorum pretium gratis, vel minori, quam soleret, usura. Cum reliqua vero hereditate erigi jussit dotalem Montem, unde arbitrio Communitatis Molleani executricis testamentariæ, tot quotànnis inter pauperes ejusdem oppidi puellas distribuerentur dotes scutorum 30., quot caperet reditus; cum facultate præstandi earum plures, ac omnes etiam unius anni pauperiori. *Sess. 22. & 25. utrobiq. cap. 11*

Testatore defuncto, hereditatem cum beneficio legis, & inventarii adierunt instituti, quorum alter, nempe Julius Cæsar, protestatus fuit de libertate quorumdam bonorum vigore donationis, quam ex testibus, & instrumentorum enunciativis sibi ab eodem Testatore factam asserebat. Neutri filios reliquerunt masculos, unicamque Simon habuit filiam Eleonoram nuptam Com. Vincentio Cresci, quæ post obitum viri universa bona sua donavit Com. Fràncisco Cresci ejus filio. Hic igitur, vivente matre, bona apprehendit donata, quæ ab hereditate proveniebat Stucci, ac exequi fecit

R 2 con-

contra Communitatem Molleani moniterium A. C. super manutentione in illorum possessione. Anno tandem 1783, decessit Comitissa Eleonora, ac renovavit Comes Franciscus manutentionis instantiam, quę ad jus cogebat Communitatem.

Rem tamen sub reservatione Beneplaciti Apostolici composuerunt Deputati Communitatis per transactionem, cujus hæc erat summa: Dimittebat Comes pio Operi bona omnia Testatoris, etiam illa, quæ asserebantur donata Julio Cæsari Stucci; eaque vicissim in perpetuam accipiebat emphyteusim pro annuo, liberoque canone scutorum 167. 76. In omni devolutionis casu eidem pioOperi concedebat additiones, & ædificia duarum domorum per Gravatos extructarum in fundis hereditariis, quorum habita non fuerat ratio in taxatione canonis: Toties laudemium pollicebatur scutorum 50., quoties bona emphyteutica transirent ad extraneos: Alienanda erat terrula pretio scutorum 130., quæ pro rata scutorum 30. ad heredes Cresci, & pro scutis 100. ad pium Opus spectarent: Et solvere tandem debebat ad rationem scut. quatuor pro centenario fructus compensativos scutorum 1321. 42., in quibus liquidata fuerant mobilia esculenta, argentum, aurum, pecuniam, quousque non traderet sortem in bonis fructiferis; & sic annuam cum canone soluturus erat summam scutorum 228. 02.

Hac in Concilio Communitatis proposita transactione, unum defuit suffragium pro approbatione, illudque sanavit Gubernator Firmi. Stipulationem vero retardavit recursus paupérum puellarum oppidi ad Sanctissimum, eamque deinde reprobavit Sacra hæc Congregatio, ad quam remissę fuerunt preces. Licet namque faveret transactioni firmanus Archiepiscopus, ad Dubium tamen, *an sit approbanda transactio, ita ut sit stipulandum instrumentum in casu &c.*, respondit die 21. Januarii 1786. in contumaciam Comitis Cresci, *negative, & deputetur ab Archiepiscopo Curator ad lites sumptibus Communitatis cum obligatione redintegrationis ex bonis recuperandis*. Ampliores sane datæ fuerant oblationes canonis in summa scutorum 300., quatenus vindicarentur bona.

Vigore igitur hujusce rescripti deputatus fuit Paschalis Bollici in Curatorem ad lites, qui aliquid egisse asserit coram A. C. Petiit tamen Comes Cresci anno 1789. li-

licentiam de redeundo in Sacra Congregatione super rejecta concordia; & dum hæc pendebat instantia, aliam Curator sequenti anno 1790. statuit concordiam, cujus hæc fuerunt capita. I. renunciatio Comitis liti institutæ coram A. C., & contractui emphyteutico, a Sacra ceteroquin Congregatione reprobato. II. dimissio favore pii Operis bonorum omnium fideicommissariorum, comprehensis illis, quæ asserebantur donata Julio Cæsari Stucci, dimidia tantum excepta esculentorum parte valoris scutorum 94. 50., quæ præsumi voluit a primis Gravatis consumpta. III. liquidatio fructuum ab obitu Comitissæ Eleonoræ ad annum 1790. in scutis 1371. 94. 4., & sumptuum administrationis in scutis 498. 99. 2. $\frac{1}{2}$, ita ut remaneret Comitis debitum erga pium Opus in scutis 872. 95. 1. $\frac{1}{2}$, juxta notulam juratam ab eodem Comite exhibitam. IV. venditio favore ejusdem pii Operis quorumdam prædiorum, quæ Gravati addiderant fideicommissariis, nec non melioramentorum, & pecudis pretio scutorum 836. 91. 2, & numeratio scutorum 36. 4. ad æquandum dd. fructuum debitum. V. dilatio annorum quatuor a die stipulationis concordiæ ad alios restituendos fructus, ab anno 1790. decurrendos, compensativis interim a Comite solutis fructibus scutorum quatuor in singula 100. Et VI. denique solutio scutorum 1226. 93. pro hereditaria pecunia, mobilibus, argento, auro, & dimidia altera esculentorum parte, quæ habita fuit pro inconsumpta; detracta nempe a prima æstimatione scutorum 1321. 42. summa scutorum 94. 50. pro dimidia eorumdem esculentorum parte, ut supra consumpta: nullo tamen præfinito solutioni tempore, fructibusque pariter desponsis compensativis.

Supplicavit hinc EE. Vestris Curator Bollici pro approbatione hujusce concordiæ: sed paullo ante redditam a firmano Archiepiscopo informationem, supplicarunt altera ex parte pauperes molleanenses puellæ, ut eadem reprobata concordia, tanquam sibi, & pio Operi perniciosa, suspectus removeretur Curator. Præ omnibus autem monuit Archiepiscopus, quod *si sermo sit de re principali, concordiæ utique & transactionis indolem non assumit. Omnia enim, tam quæ ad bona, tam quæ ad fructuum restitutionem spectant, idem Opus pium plene vindicat, nihilque remittit, ita ut id totum habeat, quod a Judice, si lites usque ad exitum per-*

du-

ducti fuerint, obtinere jure potuisset. Totam igitur difficultatem versari ait circa modum restituendi fructus, solvendique pecuniam numeratam; circa *solutionem* nempe scutorum 1226.93., ad indefinitum tempus dilatam, pro mobilibus, aliisque hereditariis rebus; *venditionem* prædiorum loco solvendi fructus perceptos ad annum 1790., & quatriennem *dilationem* ad restituendos fructus ab anno 1790. ad stipulationem instrumenti.

Verum tria hæc ita diluit: *Si enim res est de primo, jam constat, pecuniam, cujus numerandæ onus habet idem Comes, sicuti inter res stabiles recensetur, ita vinculo investimenti obnoxiam esse. At idem est vel si idonei debitoris nomen comparetur, vel ipsa pecunia in re fructifera erogetur. Si sermo sit de ceteris binis pactis, nihil, ceu patet, Causa pia remittit, quæ sane quo ad secundum, loco pecuniæ res non solum utiles, sed necessarias quoque sibi acquirit. Agitur enim de comparandis prædiolis, quæ cohærent prædiis ad Causam piam devolvendis, & ita cohærent, ut si ab extraneo retineantur in posterum, impedimento erunt, quominus ea, quæ ad opus pium spectant, utilius & quiete excoli possint. Ceteræ vero res, nimirum semina, animalia, aliaque hujusmodi pari modo ita prædiis ipsis necessario inhærent, ut si a Comite Cresci venditionis titulo non tradantur, aliunde sint pro fundorum instructione certissime comparanda. Demum quo ad tertium, quamquam Opus pium dilationem solvendi debitori concedat, fructu tamen suo dilatio non caret.*

Ad alteram deinde, eamque majorem respondens difficultatem, *quod fructus ut supra restituendi jure spectant ad puellas, in quarum beneficium dotalia subsidia fuerunt instituta.* hæc habuit: *duo hac in re sunt animadvertenda, nimirum nullas esse puellas, quæ in specie fuerint hactenus nominatæ [nunquam enim ob litis pendentiam Opus pium usque adhuc habuit initium] Deinde pecuniæ, ex ipsa fructuum restitutione derivantes, tametsi in aliis rebus erogentur, earumque insimul differatur respectiva solutio, non tamen otiose occupabuntur, sed suos fructus præstabunt. Atqui hoc ipsum sicuti Operis pii reditus accrescit, ita vel plures dotari in posterum puellæ, vel subsidia in majori quantitate ipsis attribui poterunt.*

Hisce

Hisce expensis, evidentem arbitrabatur utilitatem concordiæ. *Causa enim pia [sunt ejus verba] ut dixi, ea omnia habet, quæ in re principali sibi jure deberentur. Quæ vero sunt quodammodo accessoria, ita habet, ut nihil [quamvis diversus in solvendo, & restituendo modus sit præfinitus] amittat, nihilque sentiat detrimenti. Ceterum ipse a lite recessus aliquid importat, quod in calculo haberi plurimum debeat; potissimum quia quæ multæ sunt quæstiones, eæ, quarum aliquæ dubietatem involvunt, ad favorem Operis pii universæ absolvuntur. Demum quod jamdiu, & decem abhinc annis expectant puellæ, tandem aliquando, inita concordia, assequentur, qua retardata, ad longissimum tempus res protraheretur. Comes enim Cresci contendit alias, ut ea prima concordia, quam improbare censuerunt EE. Vestræ, viribus consistat suis; & hanc ob causam supplex fuit, datis precibus die 28. Novembris 1789., penes EE. Vestras pro Causæ repropositione obtinenda. Prius itaque agendum esset de viribus præcedendis resolutionis, quæ quatenus confirmaretur, postea ad A.C. super universis quæstionibus foret disputandum.* Ac probato tandem per adnexum Folium consensu Communitatis Molleani, *cui jus est administrandi bona Operis pii, ac subsidia dotalia distribuendi*, confirmandum censuit Curatorem, *donec ipsam concordiam in publicum redigat instrumentum, & cetera omnia, quæ ad idem Opus pium spectant, ordinate disponat. Rebus absolutis, tunc demum ad administrationem, ac subsidiorum præstationem idem Commune juxta testamenti legem admittatur.*

Reprobandam contendunt puellæ novissimam transactionem tanquam pio Operi, & sibi damnosam, & hæc duo potissimum notant; liquidationem scilicet fructuum ab anno 1783., quo per obitum Comitissæ Eleonoræ purificata fuit pii Operis substitutio, ad annum 1790.; quo inita fuit prima transactio; & occupationem liquidatæ summæ in emptionem prædiorum. Rationes primum subducunt fructuum bonorum ex canone, fructibusque compensativis scutorum 228. 02. in prima transactione conventis. Ea namque summa per annos octo multiplicata, scuta constituit 1824. 16., ideoque pium Opus esset in damno scutorum 951. 21., quæ detractis scutis 872. 95. juxta notulam juratam Comitis supersunt. Secundum deinde ineunt calculum

ex

ex ampliori illo canone scutorum 300. pro stabilibus oblato, & ex fructibus compensativis, quos solvere debuisset Comes in annua summa scutorum 52. 85. pro capitali mobilium, scutorum nempe 1321. 42. Utraque sane partita dat octennio scuta 2822. 80., & ita augeret damnum ad scuta 1949. 85., demptis pariter scutis 872. 95.

Aliter calculos ponit Comes. Nullam enim rationem habet oblati canonis scutorum 300., pluribusque subductionibus canonem scutorum 228. 02., in prima transactione conventum, infra annuam minuit perceptorum fructuum summam. Ex partitis profecto, in liquidatione canonis contemplatis, annua detrahit scuta 20. pro pensione fideicommissariæ domus, quam asserit ruinosam, nunquam locatam, neque locabilem: scuta rursus 33. 48. pro fructibus aliorum sterilium capitalium: scuta 14. 37. ½ pro imminuto reditu pistrini a scutis 90. ad scuta 75. 62. ½: & scuta 62. 37. ½ pro sumptibus administrationis. Detractiones autem istæ annuam constituunt summam scutorum 130. 23., & canonem scutorum 228. 02. ad scuta minuunt 97. 79., quæ superantur in scutis 11. 33. a liquidatis fructibus; nam octennis summa scutorum 872. 95., annuum dat reditum scutorum 109. 12.

Plura tamen in hac supputatione notari possunt vitia. Ad arguendam porrò quantitatem fructuum, qui verisimiliter ex bonis percepti fuerunt, contemni non debet oblatio canonis scutorum 300., quæ cum fructibus compensativis scutorum 52. 85. insignem quotannis dedisset reditum scutorum 352. 85., annua nempe scuta 243. 73. supra summam a Comite liquidatam in scutis 109. 12. At ducto etiam calculo ex minori reprobato canone scutorum 228. 02., evidens tamen pii Operis damnum ob liquidatos fructus in annuis dumtaxat scutis 109. 12., palliari forsan nequit ex propositis detractionibus. Quod nulla enim percepta fuerit pensio ex domo, reditusque decreverit pistrini, in mera consistit jurata notula Comitis. Capitalia infructifera, ut pecunia, frumentum, & similia, fieri per investimentum debuissent fructifera. Et sumptus denique administrationis jam semel ex liquidatis fructibus detracti fuerunt. Integri sane octennes fructus scutorum erant 1371. 94. 4.. Ex hac autem summa detraxit Comes scuta 498. 99. 2. ½ pro sumptibus administratio-

tionis, debitumque octennii ad scuta reduxit 872. 95., seu annua scuta 109. 12. Notanda quoque secunda mobilium, esculentorum supputatio in scutis 1226. 93. diversa a prima scutorum 1321. 42. Per simplicem enim consumptionis præsumptionem dempta est summa scutorum 94. 50.

Ex his reprobanda esset transactio: sed ponderandum, quod de rebus agitur litigiosis, nilque a duodennio consequntum est pium Opus sive ex connivoentia Curatorum, sive ex difficultatibus, sumptibusque litis. Licet namque particularis donatio bonorum Stucci facile suaderi nequeat per testes, simplicesque instrumentorum enunciativas, & injuste pro ea occupet Comes universam hereditatem, multum tamen insudandum esset, multumque in ordinario rei vindicationis, & redditionis rationis judicio impendendum. In his sane terminis non iniqua videri posset transactio, per quam omnia pium Opus recuperaret bona, aliquid de fructibus remitteret, gravemque averteret litem, per *Text. in leg. causas Cod. de transact.*, & *leg. in summa* 65. *ff. de condict. indebit.*, *Rocc. disput. jur. cap.*3. *num.*57., & *Rot. in recent. decis.*18. *num.*21. *tom.*3.

Queruntur insuper puellæ de conventa occupatione fructuum decursorum ad annum 1790. in emptionem prædiorum. Per eam enim detraherentur ipsis dotalia subsidia, quæ Testator distribui mandavit ex fructibus. Idque etiam per quatriennium dilationis eveniret quoad fructus posteriores. Adverti tamen potest, quod de puellis agitur incertis, per Communitatem oppidi eligendis, quibus propterea nulla fieret injuria, *Rot. cor. san. mem. Clem. XIII. dec.*227. *num.*2. & 7., & *Sacra Congregatio in Romana Suspensionis Dotium* 25. *Aprilis* 1789., quodque per investimentum fructuum perpetua haberetur plurium dotium utilitas, quæ unicæ præferri debet illarum distributioni, ut *in Lucana Subsidiorum Dotalium* 28. *Maii* 1791. Maxime quia nedum utilis, sed necessaria etiam est acquisitio prædiorum cohærentium fideicommissariis, juxta relationem Archiepiscopi. Num æqua vero sit dilatio annorum quatuor a stipulatione instrumenti ad reliquos solvendos fructus, ex quibus Comes meliorem fecit, & facit suam conditionem, EE. Vestræ decernent.

Aliud desumi potest pii Operis gravamen ex simplici, atque indefinita Comitis obligatione restituendi scu-

ta 1226. 93. pro æstimatione mobilium, esculentorum, argenti &c., Ignoratur siquidem, num bona habeat libera, super quibus in casu etiam ejus obitus consistat pii Operis hypotheca; ideoque periculum esset, quin creditum abiret. Quamquam huic periculo occurri posset per præfixionem temporis ad restituendum. Ne quid vero pium Opus detrimenti ulla ex parte caperet, imponi etiam deberet Communitati obligatio investiendi in bonis stabilibus tum dd. scuta 1226. 93., cum fructus decursos ab anno 1790.

Si probanda autem videbitur transactio, locus fortasse non erit remotioni Curatoris Bollici, qui eam utiliter conciliavit, *donec ipsam concordiam in publicum redigat instrumentum, & cetera omnia, quæ ad idem Opus pium spectant, ordinate disponat*, ut censet Archiepiscopus. Alias confirmandus non videretur in officio Curator, qui Comiti & liti per novennium indulsit, excessitque per initam concordiam fines suæ deputationis *ad lites*. Ceterum in primo etiam casu opus fortasse amplius non esset Curatore, quum instrumentum per suos Deputatos stipulari, & cetera omnia disponere posset Communitas, ad quam pertinet pii Operis administratio.

Vestræ igitur proponitur deliberationi.

I. *An, & quomodo sit approbanda secunda transactio anni 1790. in casu &c.*

II. *An sit locus remotioni Curatoris ad lites in casu &c.*

Dilata, & ad Emum Antici, qui Partibus auditis dignetur rem perpendere, & votum suum aperire.

Sess.25. cap.4. de Reform.

COMACLEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Capitulum comaclensis Cathedralis novemdecim constat Canonicis, quorum septem, a decimis, quas ex communitativis percipiunt vallibus, nuncupantur *decimarii*, nulloque gravantur Missarum onere, præter annuas quatuor in singulos pro Benefactoribus: has enim missas reduxit Benedictus XIV. ad dies festos. Reliqui duo-

Duodecim sunt *præbendarii*. Omnes onus habent quotidiani chori, recitantque summo mane matutinum, & laudes, ante meridiem reliquas horas cum Missa conventuali, & a prandio vesperas, & completorium; excepto hiemali tempore, quo ob salsedinem aeris, ex inveterata consuetudine, per diœcesanam Synodum approbata, recitant matutinum, & laudes post completorium. Quotidiano huic servitio in respectivis addunt quadragesimæ diebus psalmos graduales, pœnitentiales, & officium Defunctorum, quod semel etiam in mense celebrare tenentur cum Missa *de requiem*. Plerique vero ex præbendariis tenues, detractis oneribus, percipiunt fructus.

Prima siquidem vacans præbenda sub titulo *S. Josephi*, in annuis consistit scutis 74. 90. comprehensis distributionibus; sed deductis oneribus Missarum 260., & aliarum quatuor turni, nec non taxæ Seminarii, triremium, spolii, utensilium, libera dat scuta 39. 71.. *Secunda* Canonici Carli sub titulo *S. Antonii patavini* scutorum est 23. 90., demptoque onere Missarum 104., aliisque ut supra, remanet in scutis 9. 23.. *Tertia* Canonici Aloysii Laurentii Simoni sub titulo *SS. Annuntiatæ* ad scuta ascendit 38. 90., seu scuta 8. 26., detractis Missis 208., & aliarum præbendarum oneribus. *Quarta* Canonici Cavalieri sub titulo *S.Francisci* scutor. 38.59. reducitur ob onus Missarum 156., & cetera alia, ad scuta 13. 53.. *Quinta* scutorum 45. 05., quam possidet Canonicus Cinti sub titulo *S. Gertrudis*, demptis Missis 150., aliisque oneribus, reliqua est in scutis 20.46. *Sexta* Canonici Samaritani sub titulo *S.Vincentii Ferrerii* summam reddit scutor. 54. 90., sed ob Missas 208., & alia onera, ad scuta decrescit 23. 53.

Septima Canonici Fogli del Moro sub titulo *S.Erasmi* scut. 45. 44., minuitur ad scuta 17.93, ob gravamen Missarum 186., aliaque onera. *Octava* Canonici Aloysii Natalis Simoni sub titulo *SS. Rosarii*, scutorum est 48. 54., seu 21. 86., detractis Missis 170. cum ceteris oneribus. *Nona* possidetur per Canonicum Carli sub titulo *S. Luciæ*; scuta reddit 49.90., & dempto cum reliquis onere Missarum 129., remanet in scutis 27. 56.. *Decima* Canonici Gentili sub titulo *S. Christophari* in scutis consistit 89. 50., seu scutis 18. 16., demptis Missis 363., aliisque oneribus. *Undecima* Canonici Parmiani sub titulo *SS. Sacramenti* scutorum 44. 18., superat onera,

Missarum præsertim 168., in scutis 17. 66.. Et *duodecima* tandem Canonici Gasparini sub titulo *S. Francisci de Paula*, ampliorem omnibus reddit summam scutorum 143. 83., & detractis Missis 156., pluribusque aliis oneribus, remanet in scutis 89. 61.

Missæ, quibus singulæ gravantur præbendæ, omnes sunt ex fundatione, & distinctam ab illis non habent eleemosynam; exceptis Missis 22., pro quibus *undecimus* Canonicus Parmiani eleemosynam accipit a Sodalitio SS. Sacramenti. Præ tenuitate autem præbendarum postulant modo Canonici præbendarii reductionem Missarum ex fundatione; & Vicarius Apostolicus comaclensis refert, neque Oratorum culpa, neque nostra ætate imminutas esse præbendas, penitusque *in ea omnium forte miserrima Diœcesi* conciliaria deficere media, unde augeantur. Hæc insuper habet de preterita Missarum celebratione: *Non sine gravi animi dolore referre cogor, haud raro contingere, ut Canonici comaclenses inopia adacti, deficiant in adimplendis oneribus Missarum; immo & decedant absque eo quod oneribus prædictis satisfecerint, suis respective canonicatibus adnexis.*

Atque ita suum aperit votum: *Qua præsertim ratione* (omissæ celebrationis Missarum) *haud ægre adductus sum, ut EE. Vestris humillime supplicandum censuerim pro aliqua Missarum reductione; non ea tamen canonicatibus omnibus pariformi, seu æquali, sed arbitrio regulanda sapientissimo EE. Vestrarum pro inæqualitate singulorum canonicatuum. Porro ab hac gratia excludendum omnino censerem canonicatum erectum sub titulo S. Francisci de Paula, & modo possessum a clerico Alexandro Gasperini, quia tanti est reditus annui, ut adimpletis etiam aneribus Missarum, Canonico utique supersit quidquid ad honestam sustentationem requiri potest.* Additque, quod reliqui *canonicatus ita sunt tenues, satisfactis omnibus oneribus, ut Rectores Canonicatuum plerumque tanta premantur inopia, ut sæpe sani, semper autem, aut fere semper infirmi eleemosynas non sine ordinis dedecore quæritare cogantur.*

Triplici Oratores gravantur onere, Missarum scilicet pro Benefactoribus, aliarum ex fundatione, & chori. Reductionem non postulant Missarum pro Benefactoribus, quas semel Benedictus XIV. reduxit; ideoque deliberandum, num eam pro Missis fundationum, vel choro me-

mereantur. Qui modo siquidem sunt præbendariorum reditus, & quæ sunt onera, talia quoque erant ante acceptos canonicatus, quum imminutæ non sint præbendæ nostra ætate, Vicario Apostolico teste. Ponderare ergo dignentur Emi Patres, num respuere valeant Oratores onera semel accepta, contra decretum Sacræ hujus Congregationis *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii* 1790.. Maxime quia, una vel altera excepta præbenda, liber aliarum reditus pro servitio chori gradatim ascendit a scutis 13. ad 39., non comprehensa pinguiori præbenda Canonici Gasperini. Fortasse enim tales summæ cum eleemosyna Missarum fundationis, & adventitiarum, satis cuique Canonico sunt ad parce saltem vivendum in provinciali Civitate.

Contrarium suadere posset experientia, de qua testis est Vicarius Apostolicus. Ob aucta enim rerum pretia, nedum vivere nequeunt Oratores ex respectivis ipsorum præbendis, sed coguntur etiam *sæpe sani, semper autem, aut fere semper infirmi eleemosynas non sine ordinis dedecore quæritare*; quodque magis est, gravi premuntur servitio chori. In his porro terminis post acceptationem etiam reducenda viderentur onera ad æquitatem, ut *in Lucen. Sarzanen. Reductionis Missarum* 14. *Decembris* 1793.. In hoc autem casu deliberari quoque deberet, num reducendæ potius essent Missæ, quam servitium chori. Exhibitæ profecto non sunt canonicatuum fundationes, ex quibus desumi posset, quale onus præposuerint Fundatores; proindeque in dubio reduci potius deberet servitium chori, quo excellentiores, & Animabus utiliores sunt Missæ, *Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 23., & *Sacra Congregatio in Montis Falisci Reductionis Missarum* 17. *Decembris* 1791. At hujusmodi reductio non leve refunderet onus in Canonicos *decimarios*, quibus solis quotidianum incumberet servitium. Si vero reducendæ sunt Missæ, habet EE. Vestræ ex præmissa relatione præbendarum, & onerum, unde respectivam reductionem assueta prudentia moderentur.

Dubium est.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Quoad Præbendas canonicales, quarum annuus reditus, deductis oneribus, excedit scuta viginti, negative, in reliquis affirmative juxta modum; nempe reductionem ita faciendam esse, ut pro quolibet Canonico libera remaneant scuta viginti.

EUGU-

Ses.24.cap.12. de Reform.

EUGUBINA SERVITII CHORI. Archipresbyteralis Ecclesia S. Joannis Baptistæ oppidi Cauthiani erecta fuit anno 1661. ab Alexandro VII. in Collegiatam, eamque Clemens XI. anno 1721. declaravit insignem. Sex in prima institutione fuerunt Canonici, comprehenso Archipresbytero, qui Animarum etiam curam habebat. Quale antiquitus præstarent servitium choro, non constat. Post quatuor alios tamen additos Canonicos, hanc serviendi methodum statuit Sacra Congregatio anno 1755.: chorale scilicet servitium per duas hebdomadas, tertia per turnum vacante; præter tempora Adventus, & Quadragesimę, diesque festos Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Purificationis, S. Marci, Ascensionis, S.Ubaldi Protectoris oppidi, pervigilii, & trium sequentium dierũ Pentecostis. SS. Corporis Christi, S. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Dedicationis Ecclesiæ, Nativitatis, & Assumptionis Deiparæ, omnium Sanctorum, commemorationis Defunctorum, & S. Gregorii Taumaturgi. *Satis tamen erit, ad quem pertinet vacatio hebdomadæ dictæ, ut unus dies remaneat*, juxta additionem ad Constitutiones Capitulares anni 1755.. Ter vero Canonici singulis servitii diebus interveniebant Choro; summo nempe mane ad recitandum matutinum, & primam; circa meridiem ad alias canonicas horas, Missamque canendam conventualem; & pomeridiano tempore ad vesperas, & completorium.

Quum valde in hieme incommoda esset recitatio matutini, & primæ de mane, ex Pontificia idcirco delegatione concessit Sacra Congregatio anno 1757. facultatem recitandi eas horas post completorium præcedentis diei *ab adventu Domini N. J. Christi usque & per totum tempus quadragesimale*. Nunc vero ob alios duos fundatos canonicatus, reductionem Canonici postulant servitii choralis ad hebdomadalem alternativam; exemptionem insuper a servitio communi quoad matutinum, & primam diebus festis, iis exceptis primæ classis, ut exempti a servitio ad celebrandas eant Missas in ruralibus Ecclesiis; & exemptionem denique a servitio communi in octavis privilegiatis, præter illas Paschatis Resurrectionis, Pentecostis, & Corporis Domini, juxta præsentem eorum consuetudinem. Refert autem eugubinus Episcopus, quod *annuus præbendarum canonicalium reditus, dispunctis expensis, summam vix æquant scutorum viginti sex monetæ romanæ pro quolibet*

libet, dempto Archipresbytero, qui duplici gaudet rata in massa communi, præcipuosque alios habet reditus, parochialis præbendæ titulo distinctos, quos per sese ille administrat, propterеaque annuo potitur fructu scutorum circiter centum.

Hinc de alternativa hæc habet: *Quum in duodenario numero modo illi sint, & commode possit per eorum dimidiam partem servitio chori, prout moris est, satisfieri, non possum ego meam eorum petioni sententiam non dicere consonam; attento etiam universi Capituli per secreta suffragia præstito consensu; ex qua alternativa nemo non videt, majorem Omnipotentis Dei gloriam, Populi ædificationem, Ecclesiæ decorem emergere.* Et hæc alia de exemptione a matutino, & prima diebus festis = *Excipiendas vero esse a servitio communi diebus festis canonicas horas matutini, & primæ censerem, quibus aliqui ex Canonicis, celebrandis Missis in Ecclesiis ruralibus addicti, adesse certe non possent, attenta itineris longitudine, viarum asperitate, & rusticorum præsertim senum, aut mala valetudine affectorum commoditate. Cui quidem Canonicorum servitio Ecclesiis ruralibus ad Sacra facienda non potest alia ratione, neque aucta quantumvis eleemosyna suppleri, ex Sacerdotum deficientia in terra prædicta Canthiani, ex multiplicitate Ecclesiarum filialium, & longe lateque per montes diffusa familiarum habitatione; prout mihi apprime constat, ex Sacra signanter proxime elapsi anni 1794. de mense Septembri Visitatione per ea impervia pene loca peracta.*

Servitium profecto, quod præstant modo Oratores, duarum nempe ex tertia quaque hebdomada, conciliares fere tribuit vacationes, si ex hebdomadis septemdecim, quibus illi quotannis vacant, solemniores detrahantur festivitates, & octavæ privilegiatæ. Deliberandum ergo, num contra interdictum *Sacri Concilii Tridentini sess.24. cap.12. de reform.* restringi amplius debeat servitium illud ad alternativam, quæ trimestrem vacationum terminum excederet. Notandum altera ex parte cum Episcopo, quod modo Canonici in duodenario sunt numero, & commode valet *per eorum dimidiam partem servitio Chori satisfieri*. Dum enim servitio Ecclesiæ præjudicialis non esset alternativa, imo ex ea juxta Episcopum *majorem Omnipotentis Dei gloriam, Populi ædificationem, Ecclesiæ decorem*

rem emergere, per illam etiam consuli posset indigentiæ Oratorum, qui tenues habent præbendas, & communi quoque gravantur servitio in exceptis festivitatibus, & octavis. Non raro siquidem ob tenuitatem præbendarum reductum fuit servitium Chori, *ut in Romana Reductionis Servitii Chori, & Missarum* 18. *Aprilis* 1722., & *in Vigilien. Decanatus* 23. *Julii* 1729. *ad II. Dubium*.

Æqua videri posset, & ad salutem Animarum necessaria secunda petitio. Quandoquidem ob aliorum Sacerdotum defectum, difficiles diebus festis ire debent vias Canonici exempti, ut Sacrum faciant in ruralibus Ecclesiis; neque locorum distantia patitur, ut adsint etiam matutino, & primæ in Collegiata; Episcopo teste. Et hac forsan de causa in præscripta methodo anni 1755. dicitur, *satis tamen erit ad quem pertinet vacatio hebdomadæ dictæ, ut unus dies remaneat*. Dubitandum tamen, quia decresceret ex hoc Divinus cultus, cui principaliter, diebus præsertim festis, incumbere tenentur Canonici in sua Ecclesia. Ignoratur enim numerus celebrantium in Ecclesiis ruralibus, & fortasse talis est, ut demptis etiam infirmis, vel aliter impeditis, perpauci superessent, qui intervenirent Choro. Commune tandem servitium debitum videri posset in octavis omnibus ex ritu universalis Ecclesiæ, & Sacræ hujus Congregationis praxi. At præstari per Oratores consuevit in octavis tantum Paschatis Resurrectionis, Pentecostis, & SS̃mi Corporis Domini; ideoque deliberare dignentur EE. Vestræ, num hæc servari debeat consuetudo, ut *in Ferentina Servitii Chori* 3. *Augusti* 1782., & *in Alatrina Servitii Chori* 24. *Aprilis* 1784.

Dubia sunt.

I. *An sit concedenda alternativa servitii chori in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit concedenda exemptio a chorali recitatione matutini, & primæ diebus festis in casu &c.*

III. *An & in quibus octavis sit præstandum commune servitium choro in casu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad III. Affirmative in octavis Paschatis Resurrectionis, Pentecostis, & SS̃mi Corporis Christi tantum.

SA-

SAVONEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Legavit anno 1694. Bernardus Jordano suburbano Monasterio S. Rosæ Oppidi Finarii *tanta rendita annuale bastante per l'elemosina di una Messa quotidiana da celebrarsi nella Chiesa di esso Monastero &c. qual rendita corrisponda all'elemosina di dieci soldi ogni Messa moneta di Genova, corrente in Finale, solita in quel paese darsi per una Messa quotidiana perpetua*. In caso vero, *che tal rendita assegnanda, per qualsivoglia accidente venisse in ogni futuro tempo a mancare*, si rendesse *inesigibile*, tunc voluit, *che dalli miei eredi se ne assegnasse un' altra, perche sempre sia effettiva l'elemosina di questa Messa quotidiana*. Assignarunt Monasterio, seu Capellano heredes annuum reditum unciarum quatuordecim monetæ siculæ, seu scuta romana circiter triginta quatuor in nummulariis ædibus Civitatis Panormi, eaque absque ulla diminutione percipit Sacerdos Gaspar Vacca hodiernus Capellanus. At aucta nuper in Savonensi Diœcesi eleemosyna Missæ quotidianæ ad annuas libellas januenses 363., seu scuta circiter 55., reductionem Capellanus postulat Missarum ad quatuor hebdomadales, ne difficilem adversus heredes instituat litem pro supplemento eleemosynæ Missæ quotidianæ. Hæc omnia savonensis confirmat Episcopus, & a suo abstinens voto refert, idcirco heredes eleemosynam augere nolle, quia autumant, *Testatorem non aliud bonis suis imposuisse onus, quam illud, quod mediante solutione eleemosynæ obolorum decem pro unaquaque Missa impletur*.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

Taxativa profecto videri posset assignatio fundi capellaniæ, quum ab ea incipiat dispositio verbis illis = *tanta rendita bastante per l'elemosina di una Messa quotidiana* = ut docet *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult.* §.32.; Assignavit ulterius heres annuum reditum scutorum 34., idemque supplere non deberet quod ad justam modo deficit eleemosynam, & reducendæ potius essent Missæ, idem *Benedict. XIV. loc. cit. num.*32. *& seq.* Contrarium vero suadet mens Testatoris. Missam sane voluit quotidianam, ac pro ejus celebratione indefinite primum legavit *tanta rendita annuale bastante*, deindeque ad tunc currentem respiciens eleemosynam, eam statuit in obolis 10. pro qualibet Missa. Ne per imminutionem autem reditus minueretur unquam celebratio, suppleri voluit ab heredibus eleemosynam. Hæc sane dispositio congrue ad augmentum trahi valet eleemosynæ; nam paria sunt,

celebrari non posse quotidianam Missam ob imminutionem reditus, ac per augmentum eleemosynæ; & ubi eadem militat ratio, eadem militare debet dispositio, per *gloss. in cap. cum dilecta, verb. similitudine, de confirmat. util. vel inutil.*, & *leg. illud ff. ad leg. Aquil.*

In deliberationem igitur venit.

An & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

FIRMANA REDUCTIONIS ONERUM. Sacerdos Angelus Antonius Marcantonj heredem superioribus annis instituit Nicolaum Marcantonj ejus consobrinum cum onere deponendi quotannis in Monasterio Montis Florum scuta 24. in distributionem trium subsidiorum dotalium inter pauperes ejusdem oppidi puellas, sortiendas ab Archipresbytero pro tempore Collegiatæ, & celebrandi anniversariam ejus obitus diem cum Sacris 50. in Ecclesia tumulante; indixitque in casu inadimplementi pœnam caducitatis favore Petri Ciarrocchi, ejusque successorum, iisque etiam non adimplentibus, favore Collegiatæ Montis Floris. Hereditatem adiit Nicolaus sine beneficio legis & inventarii; & tamen EE. Vestris supplicavit pro utriusque oneris reductione. At die 29 Januarii 1791. contrarium passus fuit rescriptum = *lectum ad instantiam*. Sibi autem obesse existimans perniciosam heredis simplicis qualitatem, restitutionem in integrum a SSmo impetravit adversus inconsulto aditam hereditatem confectoque inventario, rationem reddidit, ex qua annuus emersit reditus scutorum 45. 59. 2., omnibus detractis expensis, & non comprehensis mobilibus. Iterum hinc supplicat pro reductione onerum, quæ in annuis statuit scutis 36., licet hac etiam subducta summa, libera ipsi remaneant scuta 9. 59. 2.

Duplex est petitionis ratio, tenuitas scilicet emolumenti pro administratione hereditatis, & paupertas. Quo ad primam hæc habet firmanus Archiepiscopus = *certum est, hereditatem, de qua agitur, potissimum constare pecuniis creditis, quarum debitores in Civitate recine-*

tensi

tensi morantur . Quæ vero sunt bina prædiola , ad ipsam hereditatem spectantia , alterum in agro Civitatis novæ situm est . Itaque Orator vel ut hoc prædiolum satis dissitum visitet , vel ut a debitoribus usuras exigat in loco , qui remotior est , huc illuc sumptu suo pergere tenetur . Quo vero ad secundum ait = *vera quoque est paupertas , ceu constat ex Parochi documento , quod humiliter adnecto , sed non ita gravis , ut alimenta sibi desint necessaria . Agris enim excolendis , terræque fodiendæ est addictus Orator , unde sibi suæque familiæ victum potissimum comparat .* Hæc autem sunt verba Parochi : *può chiamarsi povero , essendo obbligato per vivere , e mantener la sua famiglia , lavorare in campagna , ed esercitarsi nell'arte di Contadino ; come ancora Venanzio di lui figlio per lo stesso effetto si esercita nell'arte di vetturale .*

Interesse habentes , Archipresbyter nempe , & Canonici Collegiatæ , ac Petrus Ciarrocchi , per ipsum auditi , conveniunt in reductionem trium subsidiorum dotalium scutorum octo ad duo scutorum sex pro quolibet , & Missarum quinquaginta ad unum generale officium Sacerdotum regularium , & sæcularium oppidi in die anniversaria obitus Testatoris . *Duo tamen volunt hac in re Archipresbyter , & Canonici* (Archiepiscopi sunt verba) . *Primum ut pecuniæ distribuendæ puellis in arca Capituli quotannis deponantur* (depositarii enim munus recusavit Monasterium) *Alterum ut si puellæ ad subsidium nominatæ, vel ante adsecutionem moriantur , vel sese non nubant , subsidia ipsa aliis puellis adtribuantur* . Dum hæc vero refert Archiepiscopus , a suo abstinet voto .

Principaliter sane consulere voluisse videtur Testator Oratori , quem sanguinis voce universalem instituit heredem . Si ad præscriptum autem pia adimplerentur legata , vix juxta redditionem rationis , annua illi superessent scuta 9. 59. 2. , quæ , ut ait Orator , nec æquant incommodum , & sumptus pro exigendis fructibus hereditatis . Ex præsumpta ergo Testatoris voluntate aliqua concedi posset onerum reductio, ne simplicem Orator habeat heredis nomenclaturam , *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst.* 1178. *num.*1. , *& Sac. Congregatio in Taurinen. Reductionis* 17. *Decembris* 1791. Attenta potissimum illius paupertate , de qua testatur Archiepiscopus , & Parochus ; nam in-

dulgentior ex hac causa esse consuevit Sacra Congregatio, ut *in Nullius S. Michaelis de Clusa* 20. *Januarii* 1776. Reductionis autem modum proponunt interesse habentes, ut notatum est in enarratione facti, suaque prudentia Emi Patres de eo deliberare possent.

De integritate vero dubitandum redditæ ab Oratore rationis; nam inæstimata præteriit mobilia, eaque asseruit partim nullius pretii, partim consumpta. Ex ore insuper Archiepiscopi compensationem Orator postulat laboris, & sumptus pro exigendis fructibus hereditatis: sed jam sibi ex hac causa certam præter alias expensas, attribuit summam in redditione rationis, nempe = *viaggi per esigere i frutti scudo* 1.= *spese per esigere li frutti*, *viaggi in Civita nova*, *e Recanati scudo* 1. 50. = & tamen in ejus compendium annua remanent sc.9. 59. 2. . Neque dici potest, simplicem heredis nomenclaturam Oratorem habere; ei namque libera superest quinta pars fructuum hereditatis. Asserta tandem ipsius paupertas non est, testimonio Archiepiscopi, & Archipræsbyteri, seu Parochi, ita gravis, ut ad majus Oratori parandum commodum reduci debeant subsidia dotalia, & Missæ ut *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734. Potissimum quia utrumque pium Opus voluit Testator sub pœna caducitatis, licet illius statum non ignoraret; & expetita reductio nec congruum subministraret subsidium ad vitam sustentandam.

Dubium est.

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Die Sabbathi 18. *Julii* 1795. *in Palatio Apostolico Quirinali erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

SAVONEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*
An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Negative, & Capellanus utatur jure suo contra heredes.

FIRMANA REDUCTIONIS ONERUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.* Postulabat Nicolaus Marcantonj in superiori Congregatione 13. Junii reductionem trium subsidiorum dotalium scutorum octo pro quolibet, & Anniversarii cum Sacris 50., quibus gravatur ex testamento Angeli Antonii Marcantonj ejus consobrini. Alteram nunc addit instantiam pro cumulo saltem dotium favore ejus neptum, quarum una quatriennis, altera biennis, ad summam nempe scutorum biscentum pro qualibet.

Huic etiam petitioni obesse posset, quod heredem instituit Testator Oratorem, qui libera ex bonis hereditariis percipit scuta saltem 9. 59. 2., nullamque Testator fecit ejus, vel neptum mentionem quo ad subsidia dotalia, quæ pauperibus Montis Florum puellis indefinite reservavit. Cedere ergo noluisse videtur subsidia illa in beneficium heredis, qui omnino pauper non est, ut notatum fuit in Folio 13. Junii, & cui speciali ceteroquin providentia consuluit. Nedum vero in genere, sed in specie etiam difficultatem patitur instantia. Ad cumulum siquidem scutorum 200. pro qualibet Oratoris nepte suspendi deberent dotalia aliarum puellarum subsidia per annos viginti, & ultra, & paupe-

res

res idcirco oppidi puellæ, quæ nunc sunt, nullum consequerentur propriæ vocationis fructum.

At notare dignentur Emi Patres, relative saltem pauperem esse Oratorem, testimonio Archiepiscopi firmani; ideoque ex præsumpta consanguinei Testatoris voluntate, & naturali charitatis ordine, concedi posse illius neptibus cumulum dotium, ad quas incertæ vocantur puellæ, juxta *Amost. de caus. piis lib.4. cap.4. num.10.*, *Card. de Luc. de dot. disc. 100. num. 5.*, *&* *Sacra hæc Congregatio in Sabinen. Subsidiorum Dotalium 27. Martii 1761.*, *& in Senogallien. Subsidiorum Dotalium 11. Junii 1774.* Ad quam vero summam concedi deberet hujusmodi cumulus, sua Emi Patres decernent æquitate. Scuta certe biscentum dotationi etiam conveniunt ignobilium puellarum, ut sunt filiæ Oratoris.

Deliberare itaque dignentur.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit locus cumulo dotium in casu &c.*

Ad primum, & secundum *Negative*.

Sess.22. cap. 9. de Reform.

FERETRANA CAPELLANIÆ. Damnati in contumaciam fuerunt die 28. Februarii hujus anni Franciscus Maria Begni, aliique heredes Philippi, & Joannis Baptistæ Laurentini ad redintegranda in scut.473. 50. monetæ ducalis Urbini capitalia capellaniæ Filippini, & ad supplendas Missas non celebratas, reservato Sacerdoti Fabrini jure agendi adversus eosdem heredes pro Missis celebratis. Ad primum enim Dubium, *an, a quo, pro qua summa, & quomodo redintegrari debeant capitalia capellaniæ Filippini*, rescripserunt EE. Vestræ, *affirmative ab heredibus Philippi, & Joannis Baptistæ Laurentini in scutis 473. 50. monetæ ducalis*; ad secundum, *an, & a quo supple-*

ri

ri debeant Missæ non celebratæ , & præstari eleemosyna nondum soluta pro Missis celebratis , rescripserunt pariter , *affirmative ab iisdem heredibus quo ad Missas non celebratas : in reliquis Sacerdos Fabrini utatur jure suo contra eosdem heredes* .

Adversus hujusmodi resolutiones novam heredes impetrarunt audientiam : sed ipsis adhuc *contumacibus* , reproposita fuit Causa in Congregatione 16. Maii , & Antonius , ac Marianus Begni actores redintegranda auxerunt capitalia ad scuta 503. 50. ejusdem monetæ ducalis . Beneficio autem dilationis *ad primam post proximam* , seu ad hodiernam Congregationem , suadere contendunt heredes , æque suos , & actorum Auctores capellaniæ bona administrasse , pluribus in id exhibitis epistolis , quarum pleræque expensę fuerunt in Folio 28. Februarii . Eo igitur resumpto Folio, ponderatisqoe heredum scriptis , deliberare dignentur Emi Patres .

An , & quomodo sit standum , vel recedendum a decisis quo ad primum , & secundum Dubium in casu &c.

Quoad primum in decisis pro summa scutorum 503., & amplius .
Quoad sacundum in decisis , & amplius .

FIRMANA EMPHYTEUSIS QUOAD VICESIMAM. Die 15. Septembris 1792. deliberandam censuit Sacra hæc Congregatio Joanni Philippo Bartolazzi , tanquam meliori oblatori emphyteusim prædiorum Sodalitii SS. Salvatoris Montis Ulmi pro annuo canone scutorum 490. , *salvo jure vicesimæ , & sextæ* . Priusquam exequerentur Literæ Apostolicæ , desuper cogente Sodalitio expeditæ die 5. Martii sequentis anni 1793. , majores dederunt oblationes Lucas Luchetti , & Nicolaus Campetella : sed his a formali contentione abstinentibus , impugnavit Comes Joseph Foglietti Sinibaldi Sodalitii Prior comprehensionem cujusdam horti , & promptuariorum sub emphyteusi . Ad Dubium tamen , *an , & quomodo sit exequendum rescriptum diei 15. Septembris 1792.* , responderunt EE. Vestræ die 10. Maii 1794. , *affirmative favore Bartolazzi*

Sess. 25. cap. 11. de Reform.

lazzi, *comprehensis horto*, & *promptuariis*, & die 16. sequentis Junii executus fuit Firmanus Archiepiscopus Literas Apostolicas, repetita earumdem clausula, *salvo juræ vicesimæ*, & *sextæ*.

Duo sub die 20. ejusdem mensis Junii comparuerunt vicesimarii, Joseph Maria nempe Pascucci, & Nicolaus Campetella, quorum alter loco vicesimæ, quæ fuisset scutorum 24. 50., obtulit scuta 110., altèr scuta 161., dummodo pro veteri horreo traderetur ipsis novum a Sodalitio construendum. Accessit Lucas Luchetti, obtulitque primum die 5. Julii scuta 650., deindeque sequenti die 6. scuta 655., *comprehensa vicesima*; seu vicesimæ titulo scuta 165., detracto ab oblata summa canone scutorum 490.. Obtulerunt hinc liberales isti vicesimarii prælationis beneficium Bartolatio; qui tamen protestatus fuit, non esse locum oblatis vicesimis, *nisi audita mente Sacræ Congregationis Concilii*.

Qua de re EE. Vestris supplicavit Sodalitium pro illarum admissione; probavitque duntaxat Archiepiscopus in genere jus offerendi vicesimam, licet in rescripto 10. Maii 1794. non reservatum, per hæc verba: *In primis disceptatum tunc non fuit*, *utrum esset integrum adiiciendi vicesimam*, & *sextam*, *sed num in concessione bonorum adnumeranda essent promptuaria*, & *hortus*. *Deinde quomodo disceptari de hac re poterat*, *si per id tempus Literæ Apostolicæ non erant executioni demandatæ*, *quum certum sit ex ipso Motu proprio Benedictino* (super deliberationibus rerum fiscalium) *tunc vicesimæ esse locum*, & *sextæ*. *quando contractus fuerit lato decreto adjudicatus*. *Præterea id reservabant Literæ Apostolicæ*; & *id cautum* & *integrum volui in sententia*, *quam tuli tanquam Executor*. *Demum ratam habuit ipse Bartolatius sententiam meam*, *qui hac etiam in parte amplexus fuit*. Et suo super oblatis vicesimis abstinens voto, censuit, agendam in id esse litem *sumptibus oblatorum*, *non Sodalitatis*, *nisi forte oblatores ipsi refugerent*.

Pluribus Sodalitas, & Luchettus (qui uni adversus Bartolatium sunt in Causa) jus vindicant offerendi vicesimam, reservatum in primo rescripto 15. Septembris 1792., in Literis Apostolicis, & sententia Archiepiscopi, quamquam non expressum in secundo rescripto 10. Maii 1794. Sed frustra vindicare contendunt, quod

quod ultro Bartolatius concedit, & impugnare non posset, quum iterari non debuerit in posteriori rescripto reservatio vicesimæ, & sextæ, jam ad formam anterioris rescripti adjecta Literis Apostolicis, quæ exequi debebant. Tota igitur difficultas est, num vicesimæ, de quibus agitur, oblatæ fuerint intra legitimum tempus. Negat Bartolatius: affirmant Sodalitium, & Luchettus; diverseque notissimum interpretantur Motum proprium *Benedicti XIV.* super locationibus bonorum cameralium, de quo *in ejus Bullar. tom.* 1. *num.* 65. *cap.* 3.. Ex eo namque moderatur etiam Sacra hæc Congregatio Locorum piorum, & Ecclesiarum locationes.

Præscribit sane Motus proprius, quod = *Fatta la deliberazione dell' appalto &c. debba soprassedersi prima di venire alla stipolazione dell' istromento per lo spazio di XX. giorni continui da incominciare dal giorno immediatamente seguente alla detta deliberazione.* Pro deliberatione autem controversæ emphyteusis habendum censet Bartolatius primum rescriptum 15. Septembris 1792. ob purificatam per expeditionem Literarum Apostolicarum illius conditionem = *Si Sanctissimo Domino Nostro placuerit*. Purificata enim conditione, perinde habetur concessio, ac si pura, simplex & completa ab initio fuisset, per *Text. in leg. si pupillus* 26. *ff. de condit. & demonstr.*, *& in leg. potior ff. qui potior. in pignor. habeant.*, *Donell. comment. jur. civil. in leg. cum qui Kalendis* §. *quoties ff. de obligat. num.* 54. *tom.* 11. *pag.* 896., *Rot. cor. Caprar. decis* 646. *num.* 2.

Atque hinc despiciendas contendit competitorum vicesimas, nedum extra terminum dierum viginti, sed fere etiam biennio post deliberationem Sacræ Congregationis oblatas, per *leg. si tempora Cod. de jur. & fid. hast. fiscal.*, *Coell. ad Bull. Bon. Regim. cap.* 32. *num.* 29. *in fin.*, *Campell. ad Constit. Ducat. Urbin. lib.* 1. *Decret.* 33. *num.* 107. *& seqq.*, *& Card. de Luc. de Regal. disc.* 201. *sub num.* 6., sibique propterea addicendam esse emphyteusim, quæ ob lapsum vicesimæ terminum irrevocabilis evasit, *Mastrill. de Magistrat. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 17., *Rot. in Romana Appaltus lignorum* 15. *Januarii* 1742. §. *Quandoquidem coram* *Calcagnino*. Ita vero intelligendam arbitratur reservationem vicesimæ, & sextæ in Literis Apostolicis, &

sententia Executoris, ut attendi deberet oblatio, quatenus data fuisset intra dies xx. à prima deliberatione. Neque obesse, quod penderet bonorum possessio a sententia, & stipulatione instrumenti; nam ea potius ad executionem pertinebat deliberationis, *Campell. ad Constit. Ducat. Urbin. decret.* 33. *num.* 30.

Sustinent contra Luchettus, & Sodalitium, perfectam non esse deliberationem, nisi Beneplacitum accedat Apostolicum, & decretum Executoris; ideoque numerari in nostro themate debere dies xx. a die 16. Junii 1794., qua deliberationis sententiam emanavit firmanus Archiepiscopus, *Galeot. resp. fiscal.* 14. *num.* 4. *ad* 12., *Campell. cit. decret.* 33. *num.* 190., *& Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularum*, quæ in epistola data ad eumdem Archiepiscopum firmanum anno 1793. antiquiora confirmando decreta, declaravit, *che il termine* (ad offerendam vicesimam) *comincia a correre dal giorno del decreto di delibera fatto in seguela del Beneplacito Apostolico*. Si ita est, jam omnes vicesimæ oblationes datæ fuissent intra terminum; nam illæ Pascucci, & Campetella exhibitæ fuerunt die 20. ejusdem mensis Junii, quatriduo scilicet post sententiam, & tertia Luchetti die 5. sequentis Julii, seu novemdecim post dies.

At major est difficultas circa oblationum qualitatem. Vicesima siquidem oblati canonis scutorum 490. in scutis consistit 24.50., longeque vicesimarii summam hanc excesserunt, dum unus obtulit scuta 110., alter 161., & alter 165. Prohibita quidem non est in *Benedictina* oblatio major vicesima, sed minor tantum verbis illis = *purche quest' aggiunta non sia minore della vigesima*; sed valde in hac Causa dubitandum, quin ex iis sint oblatæ vicesimæ, *quas calor licitatoris ultra modum solitæ conductionis inflavit*, ut ait *Jurisconsultus in leg. locatio* 9. *ff. de publican.*, *& vectigal.* Præsertim enim Luchettus, qui unus judicio sistit, idem ille est, cujus primam oblationem EE. Vestræ in Congregatione 10. Maii 1794. neglexerunt. Ratione profecto æmulationis admittendas non esse censent excedentes oblationes *Posth. de subhast. inspect.*33. *nu.*24., *Mangil. cod. tract. quæst.*38. *num.*10. *& seq.*, *de Franch. decis. neapolit.* 54. *num.* 11.

Plura tandem hinc inde ad tuendam, vel excludendam vicesimariorum idoneitatem deducuntur. Sed quæ sint con-

contradictoris Luchetti facultates, jam ex Folio 10. Maii 1794. Emi Patres noverunt.

Deliberandum itaque proponitur.

An, & quæ oblationes vicesimæ sint recipiendæ in casu &c.

Affirmative, & esse admittendam oblationem vicesimæ Luchetti, præstita per eumdem idonea fidejussione ab Archiepiscopo approbanda, & amplius.

LUCANA. Septuagesimum agens annum, in votis habet lucensis medicus Joseph Benvenuti Sacerdotium; ejusque propositum fovet Alexandra Grassi ipsius uxor annorum sexaginta quatuor, parata ad emittendum votum simplicis continentiæ, quam pluribus abhinc annis concordi separatione Thori servavit. Vovere tamen optat extra clausura, *ut indigentiis corporalibus senis mariti præsto esse possit sub eodem tecto*, quemadmodum lucensis refert Archiepiscopus. *Sanctissimo* igitur præfatus Benvenuti supplicavit pro gratia ascendendi in his terminis ad Sacros Ordines, præcibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, testatur Archiepiscopus, quod præpositus est Orator *thermalibus aquis Lucæ, & constitutus in anno septuagesimo ætatis suæ, vel ipso inventutis tempore ad statum ecclesiasticum propensus fuit; cujus rei manifestum præbent indicium studia tempore prædicto peracta Sac. Theologiæ, & Canonum; & vitæ morumque honestas, & singularis erga Religionem, & Catholicam Ecclesiam sollicitudo*; quodque *laudabiles Oratoris enunciatæ qualitates ejusdem vocationem satis innuere posse videntur, quæ etiam utilem Ecclesiæ reddere possunt.* Atque in hæc concludit verba: *Nullum incontinentiæ periculum adesse posse certo judicarem, nedum attenta ætate annorum sexaginta trium uxoris* [scribebat mense Majo elapsi anni] *sed maxime spectata ejus honestate, probitate, & religione, ac etiam longa & probata separatione quo ad Thorum, de communi consensu peracta. Quapropter humillime sentirem, ejusdem preces benigne a Sac. Congregatione excipi posse.*

Ses. 23. cap. 16. de Reform. & sess. 24. cap. 1. de Refor. matrim.

Toto siquidem Decretalium titulo *de convers conjugat.* permittitur viro regularis professio, vel sæculare Sacer-

cerdotium, dummodo consentiat uxor, & voveat castitatem; & præsertim *in cap. conjugatus* 5.. Si vero sit juvenis, & suspecta de incontinentia, ingredi etiam debet claustra, ibique manere ad obitum viri, *canon. Episcopus* 6. *distinct.* 77.. Secus si senex, & probatæ honestatis; nam *tunc tenetur perpetuam continentiam vovere, non tamen ingredi Religionem, si sibi non timeat de incontinentiæ periculo* = ut inquit *Div. Thom. in* 4. *distinct.* 37. *quæst.* 1. *a* 2. *ad* 2., & concinunt *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. cap. conjugatus de convers. conjug. num.* 10., *Barbos. in jus can. tom.* 2. *collect. DD. in lib.* 3. *Decretal. tit.* 32. *de convers. conjug. cit. cap. conjugatus num.* 2., ibi = *Si uxor est senex non suspecta de incontinentia, sufficit votum continentiæ ipsius in sæculo* = *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disput.* 39. *num.* 5., *Piringh. ibid. num.* 59., & *Guttier. quæst. can. tract. de matrim. cap.* 96. *num.* 3.

Ubi imo uxor est grandæva, & non suspecta de incontinentia, cohabitare etiam potest cum viro, *ex can. volumus distinct.* 81., ibi = *Volumus, ut Sacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur, excepta duntaxat matre, vel sorore, vel uxore, quæ caste regenda est* = Cum eo tamen condormire, vel in eodem jacere cubiculo prohibetur, *Barbos. in jus can. tom.* 3. *collect. DD. in* 1. *part. Decreti cit. can. volumus distinct.* 81., ibi = *Pro conciliatione distinguendum esse puto; vel conjuges suspecti sunt de incontinentia, & tunc nullatenus permittendi sunt habitare; vel suspecti minime sunt, & tunc possunt in eadem domo, sed non in eodem lecto, nec in eadem Camera habitare* = *Fagnan. in cit. cap. conjugatus de convers. conjug. num.* 10., *Piringh. in lib.* 3. *Decretal. eod. tit. num.* 59., *Guttier. de matrim. cap.* 96. *num.* 3. *tom.* 9., *Sanch. eod. tract. disput.* 39. *num.* 8.. Dum enim Sacri Canones hujusmodi cohabitationem permittunt, hoc potissimum cavent, *ut de carnali fiat spirituale conjugium: quapropter oportet, eos nec dimittere uxores, licet qui habent, sic habere videantur, quasi non habeant; quo & salva sit castitas connubiorum, & cessent opera nuptiarum*, ut *in can. lex distinct.* 31.

Canonica hæc jurisprudentia in omnibus favet Oratori. In ejus sane promotionem ad Sacros Ordines consentit uxor: parata est ad vovendam castitatem: sexagesimum quartum agit ætatis annum; & nedum suspecta

non

non est de incontinentia, *spectata ejus honestate, probitate, & religione*, sed moraliter certa videtur de continentia, attenta *longa, & probata separatione quo ad Thorum, de communi consensu peracta*, ut monet Archiepiscopus. In his porro terminis permitti ei posset cohabitatio cum viro ad Sacros Ordines promovendo, *ut indigentiis corporalibus senis mariti præsto esse possit sub eodem tecto*. Quærendum tamen, num id patiatur Ecclesiæ praxis, & disciplina. Sancti quidem Apostoli, aliique Discipuli Domini *ducebant uxores secum, ut servirent eis in cibis parandis, & ab eis pascebantur de mercede prædicationis*, ut notat *gloss. in can. omnino* 10. *distinct.* 31., exornando dictum illud Apostoli Pauli *in epistola* 1. *ad Corinthios cap.* 9. *vers.* 5.; *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & Fratres Domini, & Cephas?* Idemque Apostolorum exemplo servatum fuit prioribus Ecclesiæ sœculis, teste *Pontio de matrim. lib.* 7. *cap.* 26. *num.* 2., *& seqq.*, atque Episcopi decernebant de circumstantiis ad permittendam cohabitationem viri cum uxore in statu sacerdotali, ut *ex can. si vir* 19. *caus.* 27. *quæst.* 2., *ibiq. gloss.*

Ad impedienda vero mala, quę in re periculis plena evenire poterant, in se deinde illius inquisitionem assumpserunt Summi Pontifices, & inter rariora similium concessionum exempla unum est *in Parisien.* 6. *Maii* 1645. *lib. Decret.* 17. *fol.* 471. *terg.*, alterum *in Constantien.* 31. *Maii* 1766. Recentius hoc exemplum præsenti non convenit casui, ob demandatum quinquagenariæ uxoris secessum in Monasterium. Quærebatur enim, *an, & quomodo, prævia Apostolica dispensatione ab irregularitate* (functus erat vir officio Judicis criminalis) *sit consulendum Carolo Dominico Jùtz, ut ascendere possit ad Sacros Ordines in casu &c.*; & Sacra hæc Congregatio respondit, *consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate, & pro facultate in casu, de quo agitur, ascendendi ad Sacros Ordines, emissa per Rosam voto perpetuæ continentiæ, nec non permanentiæ usque ad obitum viri in aliqua religiosa domo sub approbatione Emi Archiepiscopi*.

Magis ad rem facere videtur antiquius exemplum *in Parisien.* Quandoquidem *Sacra Congregatio censuit, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, dispensationem petitam suscipiendi Ordines Sacros de consensu Uxoris con-*

concedendam esse Joanni &c. in forma tamen commissaria, verificatis ætate ipsius 62. annorum, & ætate Uxoris 58. annorum, quodque ipsa emiserit votum solemne castitatis in manu Archiepiscopi Parisien., & quod ex attestatione ejusdem in dicta Uxore cesset omnis incontinentiæ suspicio, & ipse sit benemeritus Sedis Apostolicæ ob servitium præstitum Sacræ Congregationi de Propaganda Fide. Notandum vero, quod licet præscriptus non fuerit ingressus Uxoris in Monasterium, vel ejus separatio a viro; cautum tamen non fuit de separatione Thori, & cubiculi, quam probabiliter Sacra Congregatio secundum præmissa jura præscripsisset, si cohabitationem etiam permittere voluisset.

Præter canonicas Leges, atque Ecclesiæ disciplinam, ponderare etiam dignentur Emi Patres, utrum expediat permittere conabitationem Sacerdotis cum Uxore, quæ nostra præsertim ætate scandalum parere posset. Fortasse enim satis non est, quod securi sint Orator, ejusque Uxor de continentia, sed abstinere etiam debent ab inferendo scandalo. *Quod si dixeris* (inquit *S. Hieronymus lib.2. epist.9.*) *& mihi sufficit conscientia mea; habeo Deum judicem, qui vitæ meæ est testis; non curo quid loquantur homines: audi Apostolum scribentem: providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*. Qua de re *Doctores* ipsi, qui cohabitationem ex jure admittunt, facile eam ratione periculi incontinentiæ, & scandali permitti non debere arbitrantur. Ita *Sanch. de matrim. disp.39. num.3. in fin.*, ibi = *Immo existimo, moraliter loquendo, nec in eadem domo habitare permittendos esse, quamvis ex se id sit licitum; quia moraliter loquendo non vacabit magno incontinentiæ periculo; aut saltem non levem ansam iniquæ suspicionis, & scandali præbebit*. Et ita *Fagnan. Piringh. Guttier. loc. cit.* Eoque difficilius permittenda videretur, quia promotio Oratoris ad Sacros Ordines, licet juxta Archiepiscopum esse valeat utilis Ecclesiæ lucensi, evidenter tamen talis non apparet, ut requirit *Sacrum Concilium Tridentinum sess.23. cap.16. de reform.*, & talis, ut permitti debeat cum cohabitatione Uxoris.

Si promovendus autem esset Orator ad Sacros Ordines, deliberari etiam deberet de dispensatione ab irregularitate ob exercitam medicinam. Ut peritus siquidem in ar-

arte, præpositus est thermalibus aquis Lucæ, nilque in curandis ægris ex diligentia, & studio remisisse censetur, licet aliquis ejus causa e vivis excesserit. In his ergo terminis neque ex stricta *Canonum* censura dici posset irregularis; nam *physici, vel Chirurgi, si periti sint in arte, & nihil omiserint de contingentibus, & habuerint super hoc sanam conscientiam, poterunt promoveri, si causa eorum aliquid in homine contigerit*; sunt verba *S. Petri Cœlestini in suo opusc.* 7. *part.*4. *sect.*1. *cap.*3. *tom.*25. *biblioth. Patrum pag.*822. Quoniam vero certus esse nequit, omnes semper adhibuisse artis regulas ad curandum morbum, qui ægrotum interemit, opus idcirco ei esset ad cautelam dispensatione ab irregularitate, ut in praxi servari testatur *Benedict. XIV. de Synod. dioeces. lib.* 13. *cap.* 10. *num.* 4.

Quærendum insuper, quid juris de futuro ejusdem artis exercitio in statu sacerdotali. Juxta veterem sane Ecclesiæ disciplinam, libere post S. Lucam Evangelistam Episcopi, Sacerdotes, Diaconi medicinam exercebant, ut de pluribus refert *Benedict. XIV. loc. cit. num.* 5. At eam deinde Concilia Generalia, & Canones justis de causis interdixerunt Monachis, & majorum, minorumque Ordinum Clericis, ut *in can.*6. *Concilii Remensis habiti sub Innocentio II. anno* 1131., *can.*9. *Concilii Lateranensis celebrato sub eodem Pontifice anno* 1139., *in cap. non magnopere, & cap. super specula, ne Cleric. ac Monach.* Ideoque opus modo iis est Apostolico indulto, ut medicam artem licite exerceant illudque *concedi non solet sine justa causa, puta vel quia locus, in quo promotus in Sacris medicinæ artem exercere petit, est penitus destitutus sæculari medico; vel si adest, numerosis ægris curandis non sufficiat, vel etiam quia ille promotus est adeo pauper, ut honesto lucro ex hac arte percipiendo levari possit, quousque ecclesiasticos reditus, aut beneficium aliquod residentiale fuerit assecutus*, ut in hæc verba monet *Girald. in jus Pontifi. part.*1. *lib.*1. *Decretal. tit.*14. *de ætat. & qualit. sect.*103. *in fin.* Num vero necessaria dici valeat opera Oratoris in præpositura thermalium aquarum Lucæ, ubi alii certe non desunt sæculares medici, vel *adeo ipse* (qui primarius est medicus) *sit pauper, ut honesto lucro ex hac arte percipiendo levari possit*, EE. Vestræ decernent.

Quæritur itaque.

I. *An*

I. *An, & quomodo, prævia Apostolica dispensatione ab irregularitate, sit permittendus Josepho Benvenuti ascensus ad Sacros Ordines in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro indulto exercendi in posterum medicam artem in casu &c.*

Ad I. Non expedire.

Ad II. Provisum in primo.

Sess.22. cap.6. de Reform.

ARIMINEN. LEGATI. Præscripsit anno 1647. Sacerdos Laurentius Fiorentini ejus fratri & heredi Belmonti celebrationem trium hebdomadalium Missarum in Ecclesia SS. Simonis & Blasii Montis Scutuli ad Sacellum Deiparæ, vel alibi; interdicta deputatione Sacerdotis Regularis. Quæ fuerit illius hereditas ignoratur, Prediolum tornaturarum quinque ad hæreditatem indubie pertinens cum aliis bonis emit Columba Graziosi a Josepho Fiorentini, ejus familiæ novissimo, assumpto Missarum onere. Quum illius prædioli reditus non excederent annua scuta 3. 80. juxta relationem peritorum, obtinuit idcirco emptrix anno 1749. ab hac Sacra Congregatione reductionem Missarum *ad manualem juxta reditus*, & secundum liquidatam summam celebrari fecit Missas sequenti quatriennio. Locato hinc anno 1754. prædiolo pro annua pensione scutorum trium, reductæ fuerunt Missæ ad triginta, nec unquam postea auctus, vel imminutus fuit illarum numerus.

Alieno ære pressa, prædiolum una cum aliis viginti Tornaturis vendidit Columba anno 1763. Patribus Servorum B. M. Virginis Vallis Draconis Sancti Marini, pretio scutorum 1264. 93. ½, aliudque in ejus locum subrogare promisit prædium in Vocabulo *la Crocetta*. Hanc tamen ipsa, ejusque heres Carolus Graziosi ad obitum neglexerunt subrogationem, licet continuassent celebrationem Missarum triginta. At moriens le-

legavit Carolus anno 1793. scuta 65. pro fundo legati, ac perpetuam demandavit dictarum Missarum celebrationem per Patres Conventuales S. Francisci, vel alios Religiosos Montis Scutuli. In executionem hujusce dispositionis obtulit primum Dominicus Garattoni heres Caroli Graziosi Patribus Conventualibus scuta 65., deindeque, iis renuentibus, legatum cessit, numeravitque scuta 70. Patribus Eremitis S. Augustini Conventus Ariminensis, qui pecuniam occuparunt in censibus, Missas triginta retulerunt in tabellam, easque celebrare ceperunt hoc ineunte anno. Dubitans modo, num recte tradiderit capitale respondens Missis triginta, quot a locatione anni 1754. celebratæ fuerunt, supplicat pro approbatione hujusmodi contractus, vel alia providentia, quæ suam conscientiam reddat tranquillam.

Præ omnibus monet Ariminensis Episcopus, vindicari non posse prædiolum venditum Patribus Servitis Vallis Draconis absque diuturna lite, neque illud rurali æde destitutum legato pio expedire: subrogationem quoque alterius prædioli *la Crocetta*, a Columba Graziosi promissam, satis utilem, si fieret, ob malam illius qualitatem non fore: Patres S. Augustini a jam consumato contractu recedere nolle: & nullos alios esse, qui hac in re habeant interesse, quum omnes defecerint consanguinei Institutoris legati pii, & Caroli Graziosi. Atque hinc, suum votum in hęc aperit verba: *Ne itaque Orator lites subire cogatur, & legatum vel per vindicationem prioris dotis, vel subrogationem in instrumento venditionis cautam pejoris fiat conditionis, æquum arbitrór, & legato expediens, ut cessio ab Oratore facta approbetur.*

Duo tamen rogat ponderanda, mentem nempe Institutoris legati, & celebrandarum Missarum numerum. *Institutor legati*, inquit, *expresse mandavit heredibus in suo testamento, ut Missas per quoslibet Sacerdotes, præter quam per Regulares, celebrare facerent. Quoties mandatum hoc obstare videatur cessioni Regularibus factæ, necesse erit, ut expresse in hac parte illius dispositioni auctoritate Apostolica derogetur. De numero Missarum dubitatur, utrum cum fructibus dotis primævæ per peritos computatis, vel potius cum annua responsione locationis anni 1754. commensurari debeat. Hujus commensurationis judicium EE. Vestris reservatur. Oratori una cordi est legati satisfactio, & conscien-*

tiæ suæ securitas. Quidquid igitur EE. Vestræ decernent tum quo ad præteritum, tum quo ad futurum tempus, gravum habebit, & exequetur.

Procurator insuper Generalis Ordinis Servorum B. M. Virginis refert, quod *hæredes Familiæ Fiorentini varia bona stabilia vendiderunt Columbæ Graziosi . . . & onus adimplendi legatum in se suscepit Columba emptrix, & sub hoc titulo venditores reliquerunt in ejus manibus, ipsaque sibi retinuit nec exsolvit scutata quadringenta de integro statuto pretio. Ita quidem legitur in publico istrumento venditionis & respective emptionis, cujus exemplar extat in Archivio Montis Scutuli*; & deinde addit, cogendos non esse Patres Vallis Draconis ad reddendum prædiolum, quia illud & adnexum prædium, ab eadem Columba Graziosi comparatum, bona fide, gravique sumptu meliorarunt; neque ad celebrandas Missas legati, quia aliis gravantur Missarum oneribus. Ad perpetuam immo illorum securitatem, certum ex hereditate Columbæ assignandum contendit prædium pro fundo legati, ut illa in instrumento venditionis promisit. Alter vero Procurator Generalis Eremitarum S. Augustini recedere non posse inquit ariminenses suos Religiosos a contractu, quia acceperunt, & fœnerati sunt scuta 70. auctoritatæ Episcopi in expressam causam celebrationis Missarum triginta.

Cessio legati favore Patrum S. Augustini expressæ adversatur voluntati Institutoris Fiorentini, qui suo heredi, ejusque successoribus interdixit, *che possano mai eleggere, ne deputare alla celebrazione di dette Messe verun Sacerdote Regolare, ancorche fosse il più prossimo del sangue*, eaque forsan ratione hoc interdixit, ut Sacerdotibus consuleret sæcularibus. At ponderandum, quod de cessione agitur jam exequuta, & de tenui Missarum numero, qui parum sæcularibus Sacerdotibus prodesset. Loquebatur sane Institutor de triplici hebdomadali Missa, quæ utilis esse poterat Sæcularibus: sed propositus cessavit finis per reductionem. Et hac fortasse de causa in suo testamento declaravit Carolus Graziosi, celebrari posse reductas Missas triginta per Patres Conventuales, vel alios Religiosos Montis Scutuli.

Major est difficultas de tradito capitali scutorum 70. Vel enim vindicare debuisset Orator alienatum prædiolum, ut pristinum restitueret fundum legato, aut pretium ex alienatione retractum; vel uti mediatus heres

res Columbæ, aliud in illius locum subrogare prædium, juxta assumptam ab ea obligationem; vel saltem assignare dotem scutorum 400. quot retinuit penes se Columba in emptione bonorum hereditatis Fiorentini pro implemento oneris trium hebdomadalium Missarum: quod si perageret, Missarum reductarum numerus augeretur. Tantum præterea solvit, quantum ad constituendum sufficeret reditum scutorum trium. Sed dubium est, num ad justum dimetiendum alienati prædii reditum spectari debeat pensio arbitrarie conventa anno 1754., vel antecedens peritorum relatio, quæ magis in id attenditur, vel annuus reditus scutorum 400. ad taxam legalem.

Facilis contra non est vindicatio alienati prædioli, ut observat Episcopus, nec facile statuendum ejus pretium, quum commixtum sit aliis viginti terræ toraturis, & actu valde melioratum reperiatur. Licet autem difficilis forsan non esset alterius prædii subrogatio, retractari tamen non posset perpetuus census, jam in fundum legati constitutus, qui æquiparatur de cetero rei stabili. Recta autem videtur dimensio reditus alienati prædii ex locutione anni 1754., si subsequens attendatur quadragenaria observantia; dum celebratæ semper fuerunt Missæ triginta, quot ille capiebat reditus. Scuta autem 400. fuisse in emptione a Columba retenta asseritur a Procuratore Generali Servorum B.M.V., sed deest in Positione emptionis instrumentum.

Si dimensio probetur reditus primævi fundi ex locatione anni 1754., nullas Orator supplere debet Missas quo ad præteritum. Si aliter vero Eminentissimi Patres decernent, moderandum erit illarum supplementum juxta resolutionem primi Dubii; Nam Orator *quidquid EE. Vestræ decernent tum quo ad præteritum, tum quo ad futurum tempus, gratum habebit, & exequetur.*

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit approbanda cessio legati, & traditio capitalis in casu &c.*

II. *An, & quomodo quo ad præteritum sit locus supplemento Missarum in casu &c.*

Dilata, & exhibeatur instrumentum, de quo in informatione Procuratoris Generalis Servorum B. M. Virginis.

Sess. 22. cap. 6. & sess. 25. cap. 4. de Reform.

JANUEN. CAPELLANIARUM. Tria in hac Causa die 20. Aprilis 1793. proposita fuerunt Dubia. I. *an & quomodo institui debeant capellaniæ in casu &c.*; II. *an & quomodo sit locus applicationi redituum in casu &c.*; III. *an & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*, & rescripserunt EE. Vestræ ad I. *affirmative ad formam testamenti pro summa libellarum 13000.*, ad II. *affirmative juxta modum, nempe in celebrationem Missarum huc usque non celebratarum*; ad III. *affirmative ad taxam perpetuæ*. De hisce resolutionibus queruntur heredes Nicolai Cambiasi, iterumque postulant I. ut una erigatur capellania loco duarum, quas Argenta Martignone erigi mandavit cum januensibus libellis 13000. investiendis in locis Montis Sancti Georgei Januæ. II. ut fructus decursi in summa libellarum 6438. 6. 8., seu scutorum circiter 1000., qui erogari debuissent in celebrationem Missarum, uniantur capitali erigendę capellanię. Et III. ut fiat Missarum reductio ad taxam obulorum 15. pro qualibet.

Ad primam instantiam ponderandum rogant, hereditatem Martignone, ex qua sumendæ erant libellæ 13000., divisam olim fuisse inter tres mediatos heredès, fratres nempe Cariola, Liviam Capolini, & Argentam Cambiasi; sese vero illius bessem tantum possidere, uti heredes scilicet Argentæ Cambiasi, & emptores portionis Cariola, ideoque non teneri ad integrum præstandum capellaniarum fundum. Neque summam de cetero libellarum 13000.. ad utramque sufficere ajunt capellaniam; nam occupatę in locis Montis Sancti Georgei juxta præceptum Testatricis, annuas redderent libellas 309., seu scuta 47.. Ex quo primus heres reductionem ad unam tantum capellaniam legitime obtinuit, ut ex enunciativa testamenti primi hæredis probare contendunt, *a cautela per esonerazione della mia coscienza ottenne lettera di commissione alla riduzione di due in una sola cappellania*. Æquam pariter arbitrantur secundam instantiam, quum per unionem scutorum 1000. justus haberètur fundus erigendæ capellanię ad taxam obolorum 15. pro qualibet Missa. Et quo ad tertiam denique notant, majorem cum hac taxa haberi posse Missarum numerum.

Eis favet januensis Archiepiscopus, ut in prima favebat informatione anni 1793.. Ait enim, quod *summa lir.*

13000.,

13000., *in locis MM. hujus Domus S. Georgei implicata ferre non poterat fructum neque ad integre unam dumtaxat implendam quotidianam capellaniam; quum loca hujusmodi magis non respondeant annuatim, quam duo circiter pro singulo centenario, & sic percipi nequeant pro summa prædicta, nisi lir.* 266., *scuta nempe romana* 44. *circiter*. Refert insuper, ex instrumento divisionis hereditatis *non constare, totam prioris Institutricis hereditatem, detractis debitis, integram conflare summam lir.* 13000. *ab eadem assignatam pro fundo duarum capellaniarum, & adversus heredes alterius tertiæ partis Liviæ Capolini nullam adesse utiliter experibilem actionem*.

Atque in hęc concludit verba: *Hisce præjactis, si heredes Nicolai Cambiaso, uti heredes pro tertia parte, & uti possessores titulo emptionis prædii acquisiti pro summa lib.* 3600. 16. *a fratribus Cariola, non recusant assignare, & ampliare duas tertias partes capitalis lirarum* 13000., *si insuper implicandam, & assignandam pariter offerunt summam lir.* 6438. 6. 8. *pro Missis hactenus non celebratis, res profecto mihi videtur & pio operi valde utilis, & piæ Testatricis voluntati prorsus consentanea quoad fieri potest. Efficietur namque hoc pacto summa lir.* 14342. 9. 4. *seu scutorum* 2151. 37. (dixerat in priori informatione, *lir.* 15455. 16., *idest scut.* 2377. 50. *circiter*) *quæ in locis MM. S. Georgei implicata, annuum dabit proventum scutorum circiter quinquaginta, quibus rationata eleemosyna ad computum julii unius cum dimidio, integra fere habebitur capellania, quam præcipue voluit Testatrix in hac Ecclesia SS. Annunciationis B. M. V. de Portoria. Oratoribus itaque benigne in Domino annuendum censerem; eo vel magis quia difficile admodum erit, eos a proposito resilire*.

Ex petitionibus sane Oratorum, eorumque circumferendo Memoriali, & informatione Archiepiscopi habent Emi Patres quæ recessum suadere possent a decisis. Hæc vero de singulis petitionibus notanda. Quantum profecto ad reductionem capellaniarum, valde dubitandum, quin integram Oratores præstare teneantur summam libellarum 13000., licet bessem tantum possideant bonorum Martignone: quandoquidem ob non separata bona, quæ secundum præceptum Testatricis con-

converti debuissent in loca MM., universa pro adimplemento legati affecta remansit hereditas, transiitque ad singulos heredes cum ejus individuo onere; ut notatum fuit in Folio 16. Martii 1793. In hoc autem casu non sufficerent quidem pro duplici quotidiana capellania libellæ 13000., seu scuta circiter 2500., si in locis occuparentur Montis S. Georgei, ut monet Archiepiscopus; sed satis fortasse esse possent in alio occupata utiliori investimento; nam ad taxam legalem fructum saltem darent libellarum 520., seu scutorum circiter centum.

Quo ad applicationem redituum, charitas porro exigit, ut statim suppleatur suffragium, quo tot per annos fraudata fuit Anima Testatricis; *Pasqualiq. de Miss. defunct. quæst.* 291. *numer.* 1. Maxime qua sufficienter ad taxam Concilii Romani, consultum esset utrique capellanię per investimentum libellarum 13000. diversum a præscripto. Nisi augeri velit capitale, ut respondeat ejus fructus duplici quotidianæ Missæ ad taxam perpetuæ; a quo pendet tertii Dubii resolutio.

Deliberandum itaque.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum, secundum, & tertium dubium in casu &c.

Prævio recessu a decisis, affirmative in omnibus juxta votum Archiepiscopi; & ad D. Secretarium cum SSmo.

Sess. 25. *cap.* 9. *de Reform.*

MACERATEN. JURISPATRONATUS. Licet Sacerdos Antonius Assortati canonicatum haberet Ecclesiæ S. Blasii Montis Milonis, possessionem tamen adeptus fuit incompatibilis Rectoratus Accursi Ecclesiæ SS. Conceptionis ejusdem oppidi ad nominationem patronorum Joannis Baptistæ Caccialupi, & Canonici Josephi Raccamadori; petiitque in id Apostolicam dispensationem. Ad dubium vero, *an sit consulendum SSmo pro dispensatione*, respondit Sacra hæc Congregatio die 19. Maii 1787., *negative*. At inhians adhuc Assortatus Rectoratum, obtinuit die 6. Septembris ejusdem anni 1787. sub reservatione Beneplaciti Apo-

sto-

stolici cessionem jurispatronatus Caccialupi, & Raccamadori favore Dominici ejus fratris pretio scutor. 560., nominavitque Dominicus Sacerdotem Josephum Pandolfi ad emptum Rectoratum, & ante petitum Beneplacitum Apostolicum misit etiam nominatum in illius possessionem.

Sequenti anno 1788. EE. Vestris supplicarunt Caccialupi, & Raccamadori pro approbatione cessionis jurispatronatus: sed dubitantes de exitu, secundam die 20. Januatii 1789. fecerunt cessionem, eique scuta 560., quæ conventa fuerant in pretium, despondit Assortatus *a titolo di gratificazione*. Hac tamen non exposita secunda cessione, duo super prima proposita fuerunt Dubia, I. *an sit concedendum Beneplacitum Apostolicum*; II. *an sit consulendum SSmo pro absolutione*; & die 18. Julii ejusdem anni 1789. rescripserunt EE. Vestræ ad primum, *negative*; ad secundum, *affirmative, imposita salutari pœnitentia arbitrio Episcopi; & Assortatus consulat conscientiæ suæ*.

Delata hinc fuit ad EE. Vestras secunda cessio per anonymas preces, in quibus gravior contrahentibus ad removendum scandalum postulabatur pœnitentia; precibusque ad maceratensem Episcopum remissis *pro informatione, & voto auditis &c. & referat de executione præcedentis rescripti*, retulit Antistes ille de hujusmodi executione (Sacerdos tamen Pandolfi, nominatus ab emptore jurispatronatus Assortato, Rectoratum retinuit ad annum 1793., quo decessit) Anonyma vero ablegata instantia ad Folium *citatis interesse habentibus*, diverterunt cedentes ab hac Sacra Congregatione, aditaque Sacra Pœnitentiaria, gratiam impetrarunt retinendi summam scutorum 560., veluti *in grati animi signum eis oblatam*, sub conditione tamen *dummodo in peracta jurispatronatus cessione nullum revera intercesserit pactum, sive expressum, sive tacitum*.

Pandolfio interim anno 1793. defuncto, ad Rectoratum nominavit Assortatus puerulum Josephum ejus filium; petiitque Apostolicam dispensationem ætatis. Sese vero in Dataria opposuerunt Executores testamentarii Fundatoris Accursi, decrevitque Emus Pro-Datarius, expectandum esse exitum Causæ in hac Sacra Congregatione. Qua de re EE. Vestris supplicarunt Executores pro celeri propositione Causæ; sed a suis deducendis juribus abstinuerunt. Mutato interim consilio, re-

retrocessit Assortatus juspatronatus ; & Caccialupi, ac Raccamadori reddiderunt pretium scutorum 560., publico in id stipulato instrumento sub die 26. Novembris prædicti anni 1793. Supplicem hinc Patroni Sacræ Congregationi dederunt libellum pro facultate nominandi, attenta resolutione cessionis, & nominationis factæ ab Assortato ; auditisque super novis hisce precibus interesse habentibus, contendere cepit Joannes Baptista Caccialupi filius Cajetani, qui cessiones fecerat juspatronatus, ad se jus nominandi pertinere ex universali donatione patris 7. Octobris 1780.. Executores autem testamenrarii jus illud ipsorum favore devolutum affirmabant ob simoniacas jurispatronatus cessiones. Quapropter præfixo omnibus termino ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione, iterum ablegata fuit Causa ad Folium, citata Parte. Verum post diuturnum silentium, rem omnem EE. Patrum judicio absque formali contentione committunt.

Simoniacæ profecto videntur cessiones jurispatronatus, de quibus agitur, ob mutuam solutionem scutor. 560., juxta *extrav. cum detestabile Pauli* II. *de simon.*. Et licet quod in prima cessione expressum erat illius pretium, palliatum fuerit in secunda *a titolo di gratificazione* ; insignis tamen gratificatio scutorum 560. non præsumitur, ac verum potius censetur pretium ab initio conventum, veramque idcirco simoniam inducit, *Rodoan. de simon. part.* 3. *cap.* 25. *sub num.* 14.. Ab hac quidem cedentes excusari possent labe ob reservatum in utraque cessione Beneplacitum Apostolicum, per *gloss. in cap. cum pridem de pact. verb. illicitæ pactiones*, *Fargn. de jurepatr. part.* 2. *can.* 12., & 13. *cas.* 4., & 5., sed de virtute dubitandum reservationis ; quum per nominationem Pandolfi usus fuerit Assortatus cesso jurepatronatus ante petitum Beneplacitum, & continuaverit nominatus in possessione Rectoratus etiam post illud denegatum.

Si autem EE. Vestræ admittent simoniam, plana quoque erit cedentium caducitas a patronatu, juxta *Sacrum Concilium Tridentinum sess.* 25. *cap.* 9. *de reform.*, ibi = *Nec dictum juspatronatus, venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre præsumant : si secus fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis subjiciuntur ; & dicto jurepatronatus ipso jure privati existant*. In hoc vero caducitatis

tatis casu deliberandum insuper, utrum censeri etiam debeat caducatus Joannes Baptista Caccialupi, ad quem transmisit Cajetanus pater juspatronatus per universalem donationem. Ei quidem prodesse posset, quod nullam in cessionibus habuerit partem; nisi collusiva & suspecta de antidata censeatur donatio, sero nimis producta. Quoties vero ob defectum probationum hoc præsumi nequeat facinus, æquum non videretur, ut absque propria culpa privari debeat Donatarius nominatione. At quatenus Eminentiæ Vestræ caducatum etiam dijudicent Joannem Baptistam, deliberandum erit, ad quos devolvi debeat juspatronatus. Executoribus testamentariis presumpta favet voluntas Fundatoris Rectoratus, quum ad executionem testamenti pertineat nominatio Rectoris in defectum patronorum. Pro Episcopo vero esse videtur juris dispositio; nam patronis non nominantibus, ad ipsum tamquam piarum voluntatum executorem devolvitur jus nominandi, *Piton. de contr. patron. alleg.* 32. *num.* 4.

Verum adverti rogant cedentes, de odiosa agi simonia, magisque odiosa pœna caducitatis a jurepatronatus, omnemque idcirco admittendam esse excusationem, ne in unam ipsos, & alteram incidisse decernatur. Laicalem præ omnibus urgent Rectoratus qualitatem; quasi libere idcirco, & absque simonia vendi potuisset illius juspatronatus, ex sententia *Petræ de Constit.* 7. *eugenii* IV. *num.* 21., *& seq.*, *Farg. de jurepatr. part.* 2. *can.* 12., *&* 13. *cas.* 7., *&* 8. *num.* 5.. Contrarium tamen dici posset ex fundatione, & jure. Ex fundatione, nam *erigere* declaravit Accursius Rectoratum, suamque declarationem exhibuit Curiæ Episcopali. Ad ecclesiasticum sane beneficium pertinet erectio, ut notatum fuit in folio 18. Julii 1789.. Ex jure, quia potiori ratione adnexi operis spiritualis simoniaca etiam censetur venditio jurispatronatus beneficii laicalis, secundum *Piton. de contr. patron. alleg.* 67, *num.* 37., & *seq.*, *Sacr. Congregat. in Viterbien. Alienationis* 15, *Januarii* 1661. *ad* III. *Dub. lib. Decret.* 22. *pag.* 392., *in Neapolitana Beneplaciti* 4. *Martii*, & 6. *Maii* 1690. *lib.* 40. *pag.* 161., *&* 197., *in Vercellen. Beneplaciti* 27. [illegible] 1709. *lib.* 59. *pag.* 119., *& in Tudertina* 3. *Julii* [illegible]

A [illegible] esse possent cedentibus; quod anno nempe [illegible] oluti fuerint ab hac Sacra Congregatione, sa-

 luta-

lutari tantum imposita pœnitentia; & ante declarationem caducitatis cessionem retractaverint. In his porro terminis evasisse videntur caducitatem, *Rot. in recent. decis. 300. num. 16. part. 15.; & decis. 677. numer. 18. part. 19. tom. 2.*

Deliberandum igitur.

An, & quibus patronis liceat nominare ad Rectoratum Accursi, seu potius sit factus locus devolutioni nominationis, & cujus favore in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

SPOLETANA REDUCTIONIS MISSARUM. Persius Montebovi de Castro Ussitæ Territorii Vissi legavit olim Universitati, & Consilio ejusdem Castri scuta mille in tot censibus annui reditus scutorum octo in singula centum, *li quali frutti* (sunt ejus verba) *dal detto Consiglio si dovranno assegnare ad un Prete Sacerdote, che dica Messa, e non abbia beneficio con cura di Anime, quale eletto, e canonicamente vinto in detto Consiglio, dovrà prendere licenza da Monsignor Illmo Vicario di Spoleto di poter tenere scuola, poi far obbligo di dire Messa tre giorni della settimana, e tutte le Domeniche, e Feste di precetto in detto Altare di S. Anna, e oltre a questo di tener scuola pubblica continuamente in detto Castello, ed insegnare a tutti li scolari del Castello, e sue Ville gratis, ed in particolare la Dottrina Cristiana del Bellarmino, leggere, e scrivere, ed altre cose necessarie per bisogno di essi scolari, e del luogo, e sopra tutto il timor di Dio.* In casu vero extinctionis dd. censuum mandavit, *che si rinvestino in altri censi sicuri in detto Territorio a ragione di otto per cento, come stanno al presente, se si troverà, se nò, fatte le debite diligenze dal detto Cosiglio, e Sacerdote maestro, darli quel meno si potrà per meno di otto per cento, ed il maestro Sacerdote sia contento pigliar quel meno delli scudi ottanta l'anno de' frutti di detti scudi mille in tal caso.* Utque libentius hæc omnia expleret, consilium Ussitæ rogavit, *che si pigli cura*

ra di dare la stanza al detto Maestro per tenere detta scuola per bene publico .

Ob nova censuum investimenta ad præsentem fructum scutorum quatuor, deperditamque unius ex illis sortem scutorum 200. ob decoctionem debitoris, imminuti sunt legati reditus ad scuta 50. Obito hinc a quatuor annis novissimo Ludimagistro, nullus alius adhuc post iteratas edictorum affixiones comparuit Sacerdos, qui munus assumeret. Qua de re *Sanctissimo* supplicavit Populus Castri pro reductione Missarum ad annuas 40. in æstivis diebus festis, in quibus major est interessentium frequentia; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, refert spoletinus Episcopus, nullam esse *spem reperiendi Sacerdotem, qui velit cum emolumento scutorum* 30., *quod vix sufficit ad Missas celebrandas, jam ibi adaucta manuali eleemosyna ad obolos* 12., *qui inquam, velit tale munus sibi assumere magnopere laboriosum, instituendi in Doctrina Christiana, & in literis addiscendis pueros loci, qui componitur familiis fere* 200., neque aliter huic malo occurri posse, quam per reductionem Missarum juxta preces, donec aliter schola provideatur; nam *Universitas ultra vires gravata existit; familiæ potius industriis, quam opibus vivere noscunt; locupletiores ad duas vel tres reducuntur, & quia sine filiis, nullum pro schola interesse habent*. Potius autem reducendas censet Missas, quia *in legato Persii principem locum schola tenet, & à Testatore præprimis fuit contemplata* .

Ex aperta profecto testamenti litera quælibet deneganda esset reductio. In eo enim qui evenit casu, quod per nova capitalium investimenta decresceret reditus, mandavit Testator, quod *il maestro Sacerdote sia contento pigliar quel meno delli scudi ottanta l'anno de' frutti di detti scudi mille*. Eoque magis esset deneganda, quia plurimis fortasse abhinc annis imminuti fuerunt censuum fructus (non enim constat, quo tempore facta sint nova investimenta) & tamen fuerunt Sacerdotes, qui utrumque onus Missarum, & scholæ cum imminuto reditu adimpleverunt. Altera vero ex parte ponderare dignentur Emi Patres, vix annua scuta 30., ad currentem in Castro Ussitæ manualem obolorum 12., sufficere pro celebratione Missarum 237., quot in unum sunt hebdomadales Missæ tres,

 aliter

aliæque dierum festorum; ideoque nullum superesse emolumentum pro gravi onere *di tener scuola pubblica continuamente in detto Castello, ed insegnare a tutti li scolari del Castello, e sue Ville gratis*. Reductionem enim merentur onera, quibus non respondet emolumentum, *Fagnan. in cap. cum omnes de constit. num.* 31., *Garz. de benefic. part.*3. *cap.*2. §.1. *n.*197., *& Sac.Congr. in Urbevetana Reductionis Missarum* 16. *Julii* 1791.

In hoc autem reductionis casu deliberandum, utrum reduci potius debeant Missæ, quam schola. Potissimà utique est Missarum causa, juxta *Fagnan. in cap. ex parte de constit. num.* 34. At principem locum in testamento tenet schola, ut ait Populus Ussitæ; nam prius imponitur obligatio petendi licentiam *di poter tenere scuola, poi di dire Messa tre giorni della settimana*. In his sane terminis reducendas potius esse Missas, docet *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult. num.* 23. Notandum contra quod Testatur ad onera deveniens Capellani hæc habet: *dovrà poi far l'obbligo di dire Messa tre giorni della settimana, e tutte le Domeniche, e Feste di precetto*; deinde verò addit, *e oltre a questo di tenere scuola publica continuamente in detto Castello*. Quibus positis EE. VV. dijudicabunt, utrum incipiat dispositio ab onere Missarum, vel altero Ludimagistri. Quatenus vero concedenda videatur Missarum reductio, decernere etiam dignentur EE. Vestræ de modo. Populus Orator, & Episcopus fieri postulant ad dies festos æstatis, in quibus major est incolarum copia. Ut fiat vero ad festos totius anni, urgere videtur, quod verno, autumnali, & hiemali tempore incommoda forsan est Populo libertas Ludimagistri celebrandi Missam alibi; quodque dies festi totius anni tolerabilem exigunt numerum Missarum 81.

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Die Sabbathi 22. Augusti 1795. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

MACERATEN. JURISPATRONATUS. *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

An, & quibus Patronis liceat nominare ad Rectoratum Accursi, seu potius sit factus locus devolutioni nominationis, & cujus favore in casu &c.

Affirmative ad primam partem ad formam fundationis; negative ad secundam.

SPOLETANA REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium.

FIRMANA TRANSACTIONIS. Dilata hujus Causæ resolutione, rogatus fuit in Congregatione diei 13. elapsi Junii Emus Antici, ut dignaretur *Partibus auditis rem perpendere, & votum suum aperire.* *Ses. 22., & 25. utrobiq. cap. 11.*

Hæc igitur laudatus Emus habet: *Ad judicium rite ferendum super proposito Dubio, an, & quomodo sit approbanda secunda transactio, quam Curator ad litem deputatus, excedendo mandati fines, conciliavit cum indebito bonorum detentore Comite Crescio; non illud sane, aut certe non illud tantummodo expendendum videtur; num scilicet æqua prorsus sit quælibet conventa con-*

conditio, adeo ut quidquid jure ab eo reddendum est Operi Pio Puellarum Molleanensium, totum omnino transactionis ope reddatur; sed illud quoque, immo in hoc, quo versamur rerum statu, illud vel maxime, ac præcipue inquirendum est, num expediat, utiliusque sit Operi Pio prædicto conciliatam concordiam amplecti, quam, ea rejecta, litem agere, ac jura sua in judicio experiri.

Non enim res est de inchoata lite componenda; sed Comes Crescius, nullo adhuc instituto judicio, nisi tantum Monitorio expedito super manutentione in possessione bonorum, cedit ultro quidquid ex testamento Francisci Stucci post obitum Comitissæ Eleonoræ genitricis suæ reddere debuisset jure substitutionis Operi pio Puellarum, quodque ipse indebite adhuc detinet usque ab anno 1783., quo Eleonora decessit. In hoc rerum statu conciliata transactio in hoc uno versatur, nempe in liquidatione concorditer conventa hereditariarum rerum, æque ac decursorum fructuum, quorum traditio, ac respective restitutio in conciliata transactione stipulatur.

In hujusmodi vero liquidatione concorditer constituta, si quid peccatum est, in eo solummodo peccatum est, quod summa a Comite Crescio restituenda loco fructuum, quos ipse percepit ab anno 1783. ad annum usque 1790., demptis expensis, constituta fuit in annuis tantummodo scutis 109., & obolis 12., quot nempe constant ex notula, quam ipse sacramento firmavit, quum cæteroquin indubie mihi suasum sit, longe majorem summam ex annuis bonorum fructibus ab eo perceptam fuisse. Et revera ipsemet Crescius in priori concordia, qua eadem bona emphyteutico jure eidem tradebantur, annuum canonem loco fructuum in posterum obtulerat scutorum 167., & obolor. 76., assumpto in se onere expensarum omnium. Verumtamen hunc ipsummet annuum canonem, in priori concordia minus provide conventum, longe exsuperant annui fructus naturales bonorum, de quibus agitur. Undecim enim sunt prædia a Comite Crescio restituenda Operi Pio substituto, præter Molendinum frumentarium, quorum ipse fructus octo annorum spatio ad annum usque 1790. percepit. Perpensa vero a me tum qualitate, tum dimensione prædiorum restituendorum, prout descripta recensentur in instrumento concordiæ, attentisque regionis indole, ac temporum circumstantiis, nulli dubium, quin ex fructibus eorum bonorum & Comes Crescius perceperit, & Opus

Pium

Pium sit in posterum percepturum annua scuta saltem quadringenta. Optimo igitur jure Sacra isthæc Congregatio priorem concordiam reprobavit, ne ex conventa concessione bonorum in emphyteusim perpetuam, tam insignis jactura dotandis Puellis, eaque perennis in ævum inferretur.

At non eadem est ratio, non eadem conditio secundæ concordiæ. Quidquid jacturæ infertur Operi Pio, ea stat tota in aliquot centenis scutis, quæ Comes Crescius ex perceptis fructibus ad annum usque 1790. restituere stricto jure deberet super liquidatam summam. Hæc autem ipsa jactura ex conciliata concordia longe majori utilitate pensatur. Opus enim Pium illico obtinebit una cum possessione bonorum omnium, perceptionem annuam decurrendorum fructuum, a quibus longo jam spatio duodecim annorum arcetur, non sine maximo detrimento dotandarum Puellarum. Obtinebit ulteriores quoque fructus a Comite Crescio perceptos ab anno 1790. ad diem usque stipulandæ transactionis: obtinebit tandem summam scutorum 122., & obulor. 93., in qua summa liquidatæ fuerunt pecuniæ, aurum item, & argentum, mobilia, atque esculenta, quæ ex Testatoris hereditate primo heredi gravato obvenerunt; quæque fructiferum Operis Pii patrimonium, ac proinde Puellarum dotes augebant. Ad summam, si aliquot centena scuta excipiantur, nil minus ex concordia obtinebit, quam quod magis sperare posset ex prospero litis successu.

Illud accedit, quod in conciliata concordia Comes Crescius ultro cedit nedum bona omnia hereditaria, ad quæ certo, ac indubie Pium Opus ex testamento substitutum fuit, sed illa quoque, quæ primus heres gravatus libera putavit, declaravitque tamquam sibi a Patruo testatore ante testamentum donata. Quæ quidem donatio, licet nullis exarata tabulis, nonnullorum tamen testimonio, multisque tum argumentis, tum enunciativis instrumentorum ita est probata, ut si in judicium deducatur, in ancipiti saltem posita apparebit ad judicium longe protrahendum. In quo tandem judicio, nescio an probationes, ac monumenta satis suppeterent PioOperi Molleanensi ad vindicandam, probandamque deficientem summam perceptorum fructuum ad annum usque 1790. in qua stat tota prorsus jactura Pii Operis, quum agatur de bonis a solo Comite Crescio administratis, ac a fructibus, quos aliquot abhinc annis percepit, ac res

sit

sit de prædiis a Mollcano divitiis & ceteroquin ad evertendam juratam notulam a Comite Crescio traditam, opus esset apertissime illius falsitatem demonstrare, quum præsumptio faveat veritati juratæ notulæ, nec aliter quam luculentissime perjurium probari valeat . .

Quod si etiam deficiens summa probaretur, æqua nihilominus esset conciliata concordia, quum ea deficiens summa satis pensata sit libera traditione eorum quoque bonorum, quæ primus heres gravatus sibi a Patruo testatore donata declaravit: est enim ex natura transactionis, ut quælibet pars aliquid e suo vicissim ponat, unde transactioni nomen compositionis.

Hæc sunt rationum momenta, quibus adducor, ut credam magis expedire, magisque utile esse Operi Pio Puellarum dotandarum, conciliatam concordiam amplecti, cujus ope Comes Crescius exturbetur tandem sine mora ab indebita bonorum possessione, cui nimirum jam duodenni patientia indultum est, potius quam judicium instituere, cujus qualecumque futurum sit emolumentum, is certe erit consequens effectus, ut protracta diutius, pendente lite, detentione bonorum, diutiusque intercepta fructuum perceptione, pauperes Puellæ Mollcanenses, quæque præsertim in nubili ætate jam constitutæ magis indigent prompta dote, diutius & ipsæ ab hoc consequendo beneficio arceantur. Profecto concordiam hanc nedum laudat firmanus Archiepiscopus, sed ut ea approbetur, enixe rogat, datis ad me literis, tum generale Concilium Mollcanense, quà pii Operis ex testamento exequutor, atque administrator, tum Præsul firmanus, cujus gubernio subjacet Oppidum Mollcani. Constitutus in Urbe Procurator Communitatis Mollcanensis id ipsum penes me urgendo postulavit. Alter quoque apud me stetit Procurator, qui ab homine quodam mollcanensi in mandatis habuerat, ut contra transactionis approbationem diceret nomine Puellarum, nullo tamen habito ab ipsis Puellis mandato. Is vero probus sane vir, ac satis intelligens, ut primum rei statum a me cognovit, fassus est, mihique declaravit, non aliter ex honestate causam Puellarum se fore suscepturum, nisi ad urgendam & ipsam concordiæ approbationem. Comes vero Crescius contumaci silentio nil prorsus sese approbationis sollicitum, sed ad utramque partem paratum ostendit. Forsan longo experimento transacti temporis, sua interesse putat, longiori cunctatione in fructuosa annorum possessione se confovere.

Duc

Duo tamen animadvertenda videntur : alterum nimirum, ne nimium protrahendo instrumenti stipulationem, ipsa quoque consequens bonorum traditio ea cunctatione protrahatur. Præcipua enim concordiæ utilitas est in eo, ut Comes Crescius quantocius, ac sinè mora a possessione bonorum, atque ab ulteriori fructuum perceptione exturbetur : alterum, quod in Folio Sacræ Congregationis diligenter sanè, atque accuratè præmonitum fuit; nimirum in conciliata concordia nullimodè consultum fuisse nec tempori, nec securitati solutionis liquidatæ summæ scutorum 1226., & obul. 93., æque ac fructuum ab anno 1790. decursorum. Improvida sanè simplex illa, atque indefinita obligatio, cui debitor, haud certè divitiis affluens, satis fortasse facere non valeret; vel quamvis valeret ad præsens, tempore tamen reddi posset satisfaciendo minus idoneus. Quapropter censerem, approbari posse secundam transactionem, constituto termino trium mensium ad stipulationem instrumenti, præfixoque item termino solutioni arbitrio Archiepiscopi Firmani, ac præstita idonea fidejussione ab ipso approbanda, vel saltem relictis ejusdem arbitrio cauthelis, quibus securitati solutionis consulatur; injunctoque eidem Archiepiscopo, ut de exequutione certiorem reddat Sacram Congregationem. Quod quidem ideo addendum puto, ut Comes Crescius, & is, qui ex Curatore ad litem factus est conciliator concordiæ, pertimescendo cognoscant, eam esse Sacræ Congregationis mentem, firmumque propositum, ut scilicet Pii operis indemnitati sua auctoritate sit omnino consultum, ni legibus indictis paritum fuerit. Hanc vero qualemcumque sententiam meam sapientiori judicio Eminentiarum Vestrarum subiicio, dum earum manus humillime deosculor.

Quæritur ergo.

I. *An, & quomodo sit approbanda secunda transactio anni 1790. in casu &c.*

II. *An sit locus remotioni Curatoris ad lites in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Emi Relatoris; & Forti utatur jure suo prout, & quatenus de jure.

Ad II. Affirmative post sequutam stipulationem Instrumenti juxta votum Emi Relatoris.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

MONTIS ALTI CAPELLANIÆ. Postremis tabulis anni 1718. instituit Petrus Andreas Marinucci *una cappellania, o legato semplice, o juspatronato laicale di tutti li suoi terreni, tanto esistenti in questo Territorio di Castignano; quanto in altri luoghi fuori di questo Territorio con tutti li bestiami semoventi, e prestito, che si ritroveranno, e si trovano di presente, in persona del Signor Don Gio. Antonio Marinucci suo nipote carnale sua vita naturale durante, col peso ed obbligo di celebrargli, o fargli celebrare due Messe la settimana nella Chiesa di S. Pietro per suffragio dell' Anima sua, senza licenza, intromissione, o presentazione, o decreto di Monsignor Vescovo, o altro Giudice, sempre, ed in futurum. Dopo la morte poi del sudetto Signor Don Gio. suo nipote, nomina, istituisce, e chiama a detta cappellania, o legato semplice gl' infrascritti suoi eredi.*

Heredem deinde usufructuariam scripsit Mariam ejus Uxorem cum onere duplicis Missæ hebdomadalis *alla ragione di un giulio l'una*, proprietarios vero præfatum Jo. Antonium, & Gregorium fratres Marinucci *per due porzioni*, ac Martium Franciscum, innuptasque puellas Christinam, & Franciscam Antoniam Cherubini suos ex Catherina Marinucci sorore pronepotes *per una porzione*, præterita Catharina Cherubini jam nupta; atque his tribuit *le facoltà senza licenza, presentazione, intromissione, o decreto di Monsignor Vescovo di Montalto, o di altro Giudice come sopra di poter nominare il Sacerdote ad essa cappellania laicale, ch celebri, o faccia celebrare due Messe la settimana in infinitum, cioe per due voci alla Casa delli sopradetti Marinucci suoi nipoti, e per l' altra alla Casa sudetta de Cherubini suoi pronipoti*,

Tres ab institutione capellaniæ ex ordine fuerunt Capellani, Sacerdos nempe Jo. Antonius Marinucci a Fundatore nominatus, Canonicus Michael illius nepos, & Canonicus Martius Franciscus Cherubini; integrosque perceperunt reditus capellaniæ. Novissimo eorum defuncto, orta est controversia de patronatu inter Elisabeth Marinucci unicam superstitem ex contemplata Joannis Antonii, & Gregorii familia, nuptam .. Moroni, & Lucam Carlini filium Christinæ Cherubini, Mariam Paris filiam Franciscæ Antoniæ, & Valentinum filium præteritæ Catharinæ, eumque ex altera non vocata familia Marinucci. Capellaniæ tamen

bo-

bona occupavit unus Valentinus post resolutam interpellationem factam Lucæ Carlini, & Mariæ Paris, nempe ad videndum declarari, *an velint in Causa legati pii quondam Petri Andreæ Marinucci se ipsos associari, alias declaratione non facta in termino statuendo a Sacra Congregatione, intelligatur omne jus devolutum favore instantis*. Supplicavit hinc Elisabeth Marinucci Sacræ Congregationi, ut declarare dignaretur, num res esset de simplici legato pio Missarum „ illudque a laico, & fœmina retineri posset; illuc spectans, ut de possessione Valentinum deturbaret.

Priusquam in id Episcopus Montis Alti referret, per epistolam mandavit die 11. Augusti 1793. Vicario Foraneo Castignani, ut administraret interim, servaretque reditus capellaniæ, *li quali per ora non sono nè dell'una, ne dell'altra Famiglia, sintanto che la Sagra Congregazione deciderà*. Idque fortasse Elisabeth ignorans, petiit etiam a Sacra Congregatione administratorem, & die 17. ejus mensis EE. Vestræ rescripserunt = *Instet coram Episcopo pro deputatione provisionalis administratoris prout & quatenus de jure, usque ad exitum promotæ instantiæ sub die 15. Junii proximi præteriti* = Paullo post supervenit informatio Episcopi, in qua speciem dumtaxat exposuit fundationis; & remissa fuit Causa ad Folium *citatis interesse habentibus*. Verbis interea Vicarius Foraneus administrator inhibuit colonis prædiorum capellaniæ, & Valentino Marinucci traditionem, & respectivam fructuum perceptionem, sibique mense Julio elapsi anni 1794. tradi fecit frumentum. Contrariam eodem mense exequi curavit inhibitionem Valentinus coram Signatura Justitiæ, sumpsitque mense Octobris mustum. Qua de re institit Elisabeth coram Secretario Sacræ Congregationis pro confirmatione administratoris, purgatione attentatorum, & restitutione fructuum: sed remissa fuit ad Sacram ipsam Congregationem instantia.

Plura nunc in quæstionem veniunt; & primo, an capellania sit laicalis, & retineri valeat a laico, & fœmina. Concordi siquidem voce tuentur collitigantes laicalem illius qualitatem, remque esse inquiunt de simplici legato pio Missarum ex verbis illis fundationis = *istituisce una cappellania, o legato sempliee, o juspatronato laicale*. Idque comprobant ex prohibita erectio-

ctione capellaniæ auctoritate Ordinarii; nam legata pia, & capellaniæ laicales non assumunt naturam beneficii Ecclesiastici, nisi ecclesiastica auctoritate erigantur, *gloss. in clement.2. verb. si beneficiorum de decim.*, *Lotter. de re benefic. lib.1. quæst.5. num.40.*, & *Rot. in Ariminen. Capellaniarum* 15. *Aprilis* 1793. § 7. *coram Rmo de Bayane Decano*. Posita autem simplicis legati pii qualitate, idonei ad illud retinendum viderentur laici, & fœminæ, ac satis esset, ut Missarum celebrationem per deputatum Sacerdotem adimplerent, ad tradita per *Amost. de cau. pius lib.1. cap.2. num.40.*, & 51., *Card. de Luc. de benefic. disc.*180. *num.*17., *Rigant. ad regul.* 58. *Cancell. num.*54., & juxta decretum Sacræ hujus Congregationis *in Urbevetana* 11. *Decembris* 1784.

At ponderare dignentur Emi Patres, quod suis heredibus tribuit Fundator activum dumtaxat juspatronatus, seu *la facoltà di poter nominare il Sacerdote ad essa cappellania laicale*; Sacerdotem & ipse nominavit in primum Capellanum; aliique duo successerunt Capellani Sacerdotes. In his porro terminis laicalis dici potest capellania quo ad nominantes, sacerdotalis, & quodammodo ecclesiastica quoad nominatum, *Cæs. de Grass. decis.*114. *de præben. per tot.*, eamque propterea retinere forsan nequeunt laici, & fœminæ, ut censuit Sacra Congregatio *in Reatina Capellaniæ* 9. *Februarii* 1715, *lib. Decret.* 64. *pag.* 387., *in Romana* 20. *Septembris* 1727., & *in Civitatis Castelli Capellaniæ* 22. *Novembris* 1794.

Quæritur secundo, an & ad quam taxam liceat patronis solvere Capellano eleemosynam Missarum, sibique retinere superextantes reditus; sustinetque Valentinus, & cum eo Elisabeth, licere patronis solvere eleemosynam manualem obolorum 10., quam Fundator designavit vivente usufructuaria, & superextantes retinere reditus, juxta naturam laicalis capellaniæ, ut *in Romana Legati* 3. *Augusti* 1658. *lib. Decret.* 21. *pag.* 933. Notandum vero, Testatorem assignasse bona omnia stabilia in fundum capellaniæ, & cum tali fundo ad illam nominasse Sacerdotem Jo. Antonium Marinucci, qui integros percepit reditus, ut ejus etiam successores perceperunt. Simplex ergo heredibus reliquisse videtur jus nominandi Capellanum, qui reditibus frueretur. Illudque etiam notandum, quod si partiendi essent reditus pro numero vocum inter compatronos, facile negligeretur Missarum celebratio, & cito deficeret Capellania.

Res

Res est tertio de jure nominandi Capellanum; & integrum hoc jus sibi tribuit Valentinus Marinucci, integrum vel pro duabus saltem vocibus Elisabeth Marinucci Moroni. Rem esse ait Valentinus de jurepatronatus hereditario, dum illud Fundator reliquit heredibus agnatis, & cognatis pro rata hereditatis, *Piton. de controv. patron. allegat.* 69. *num.* 5. *& seq.* . Satis autem non constare asserit de qualitate hereditaria, & descendentia Elisabethæ a primo vocatis familiæ Marinucci, per simplicem attestationem Parochi, qui genealogiam desumit ex libris parochialibus; ideoque ad se unum pertinere juspatronatus tum veluti assertum heredem Canonici Martii Francisci Cherubini ultimi Capellani, qui ei reliquit *tutta la porzione di nomina, se bene ad una qualche porzione sottentrava, morto anche ab intestato*, eodem Parocho teste; cum ob devolutum jus Lucæ Carlini, & Mariæ Paris ex eadem familia Cherubini, qui illud, non obstante interpellatione, neglexerunt.

Probat contra Elisabeth suam descendentiam a Gregorio Marinucci per continuam matrimoniorum, & baptismatum seriem, quam exhibet Parochus; sibique integrum attribuit juspatronatus, quatenus sint negligendi Lucas Carlini, & Maria Paris, qui descendunt ex Christinà, & Francisca Cherubini; nam omni Valentinus Marinucci destitutus est vocatione uti descendens ab exclusa Catharina Cherubini, ac veluti de familia Marinucci diversa ab illa Joannis Antonii, & Gregorii contemplata; vel illud sibi pro duabus saltem ex tribus vocibus deberi contendit, dum expresse Fundator duas reliquit voces Marinucciis, unam Cherubinis: hanc vero Cherubinorum vocem usurpari non posse per Valentinum ex asserto legato Canonici Martii Francisci Cherubini, sive quia non exhibetur testamentum, ad quod se refert Parochus, sive quia per obitum asserti legantis consolidata fuit vox familiæ Cherubini in reliquis familiaribus. Unus enim ex familia vocata ad juspatronatus, suum jus in extraneum transferre non potest, *Vivian. de jurepatr. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 23. *& seqq.*, *Pitan. eod. tract. allegat.* 66. *num.* 38.

Quarta contentio est de administratore; sustinetque Valentinus, valide ipsum per illius deputationem ejici non potuisse e possessione capellaniæ, ad quam etiam nominaverat Capellanum. Maxime quia expleta fuit de-

deputatio absque cognitione jurium Partium, & ante rescriptum Sacræ Congregationis, quæ de illa deinde agendum præscripsit *prout & quatenus de jure*. Graves contra inter Valentinum, & Elisabetham erant controversiæ circa perceptionem fructuum capellaniæ; ideoque provida ad eas tollendas videri potest administratoris deputatio, quam Sacra etiam Congregatio non improbavit, licet ex se ipsa probare noluerit. Cui vero in posterum competat administratio, ex jure pendet percipiendi fructus, sive Capellani in integra quantitate, sive patronorum cum onere solvendi eleemosynam Capellano.

Vicissim quinto certant collitigantes de purgatione attentatorum, Elisabeth nempe ob perceptos a Valentino fructus in spretum administratoris, Valentinus ob spretam ab administratore citationem cum inhibitione coram Signaturæ Justitiæ. Quanti autem facienda sint prætensa hæc attentata, EE. Vestræ decernent. Ex resolutione I. II. & III. Dubii statui poterit, quid, a quo, & cui restituendum sit perceptum.

Dubia sunt.

I. *An capellania, de qua agitur, sit mere laicalis, ita ut retineri possit a laico & fœmina in casu &c.*

Et quatenus affirmative ad secundam partem.

II. *An, & ad quam taxam liceat Patronis solvere Capellano eleemosynam Missarum, & sibi retinere superextantes reditus in casu &c.*

Et quatenus negative ad secundam partem primi Dubii.

III. *An, & cui competat jus nominandi Capellanum in casu &c.*

IV. *An sustineatur deputatio administratoris, & cui in posterum competat administratio in casu &c.*

V. *An, & quomodo sit locus purgationi attentatorum hinc inde in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad II. Provisum in primo.

Ad III. Competere Elisabethæ Marinucci pro duobus ex tribus vocibus, excluso Valentino pro tertia voce; & amplius.

Ad IV. Affirmative ad primam partem; & in posterum administrationem competere Capellano.

Ad V. Affirmative contra Valentinum per viam nullitatis, restitutis fructibus perceptis, & amplius.

CA-

CAMERINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. In tot censibus legavit anno 1629. Scipio Cardona scuta 650. Sodalitio Misericordiæ Camerini cum onere distribuendi quotannis alternative cum heredibus fructus (scutorum nunc 23. 86 ½) in tria subsidia dotalia. In reliquis suis bonis heredes instituit Franciscum, & Antonium, ex germano ejus fratre Octaviano nepotes. Longa annorum intercapedine in deterius abierunt illius descendentes; reique familiaris angustia præssus, obtinuit primùm Octavianus jun. Cardona, ut donec quatuor nuberent ejus filiæ, multiplicarentur fructus censuum, per rescriptum Sacræ Congregationis diei 17. Junii 1752.: *supplicet eveniente casu nuptiarum, & interim suspensa dotium distributione, fructus census investiantur arbitrio Episcopi*; deindeque per alterum rescriptum 6. Decembris 1780. impetravit uni ex filiabus dotem scutorum 200., parisque cumuli promissionem reliquis, in hæc nimirum verba: *Quo ad suspensionem distributionis dotium, in decisis sub die 17. Junii 1752. usquequo consultum fuerit indigentiæ reliquarum Filiarum Equitis Octaviani Cardona pro assecutione similis subsidii scutorum 200., & Episcopus omnino incumbat confectioni multiplici.* *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Jam tempore obitus Octaviani jun. dotem scutorum 200. ex multiplico habuerant tres ejus filiæ. Pro quarta igitur supplicavit Eques Franciscus ejus frater, ut reddita per Sodalitium ratione multiplici, parem haberet dotem; extenditque petitionem ad propriam etiam filiolam Hieronymam. Retulit autem defunctus Archiepiscopus camerinensis, quod *auditis Confratribūs circa Oratoris instantiam, nemo pro parte Sodalitatis ad quidquam contra ipsam apponendum comparuit*; quodque *annui reditus Oratoris (qui in sesto consanguinitatis gradu cum Institutore prædictorum subsidiorum dotalium conjunctus est) certe ejus nobili conditioni non respondent, sed immo sumptibus necessariis ad ejus familiæ sustentationem juxta ipsius statum impares sunt, & præsertim quum multo alieno ære gravetur*. Ideoque censuit, *eumdem dignum esse gratia, quam expostulat ab EE. Vestris*.

Promissa debentur subsidia dotalia, quatenus puellæ nubant, per *Text. in leg.* 22. *ff. de jur. dot.*, *Amost. de caus. piis lib.* 4. *part.* 1. *num.* 6., ideoque non sequutis

tis nuptiis resolvitur promissio, aliisque puellis ea conferuntur, ut decrevit Sacra Congregatio *in Viterbien. Subsidiorum Dotalium* 2. *Maii* 1739., *in Romana Subsidiorum Dotalium* 20. *Januarii* 1770., *& in Æsina Subsidiorum Dotalium* 27. *Novembris* 1784. Sua hinc prudentia judicent Emi Patres, num debeatur dos Sorori Oratoris, quæ tempore primi rescripti anni 1752. in humanis erat, & forsan excedit modo nubilem ætatem (nisi nupta fuerit, quod non constat). Obesse etiam posset illius filiæ adolescentia; nam quoad amitas rescripsit Sacra Congregatio, *supplicet eveniente casu nuptiarum*.

Tum soror vero, cum filia Oratoris descendunt à Testatore, & Archiepiscopi testimonio, respectiva laborant paupertate. Utraque ergo mereri videtur subsidiorum cumulum, *Polit. de dot. quæst.* 6. *num.* 40. *tom.* 3., & *Sacra Congregatio in Romana Subsidiorum Dotalium* 6. *Decembris* 1778. Potissimum quia earum una jus habet quæsitum ad dotem scutorum 200. ex rescripto anni 1760., eoque privari forsan non debet, in causam saltem alimentorum. Alteri vero provideri poterit amitarum exemplo per investimentum scutorum biscentum ex fructibus decursis. Ex confessione enim Sodalium investienda supersunt ex fructibus scut. 236. 87., quorum 168. 95 $\frac{1}{2}$ a morosis debentur debitoribus.

Quatenus vero EE. Vestræ denegent Hieronymæ cumulum, vel eum concedant non absorbentem omnes decursos fructus, de superextante deliberandum summa, fructibusque decurrentibus. Ex rescripto quidem anni 1752. videntur investiendi: ex altero vero posteriori anni 1760. distribuendi ad formam fundationis. Suspensa enim fuit distributio dotium *usquequo consultum fuerit indigentiæ reliquarum filiarum Octaviani Cardona*; jamque iis omnibus provisum; nam tres consequutę fuerunt cumulum scutorum 200., par pro quarta deposita est summa.

Dubia sunt.

I. *An debeatur cumulus dotium in summa scutorum* 200. *quartæ filiæ Octaviani Cardona in casu &c.*

II. *An quomodo, & in qua summa sit concedendus cumulus dotium favore Hieronymæ filiæ Francisci Cardona in casu &c.*

Et

III. *An, & quomodo sint eroganda fructus decursi, & decurrendi in casu &c.*

Ad I. Affirmative in casu nuptiarum ad formam rescripti 17. Julii 1752.

Ad II. Affirmative in summa scutorum biscentum ex fructibus decursis, & investiendis donec nubat; & Ordinarius incumbat exactioni nominum debitorum.

Ad III. Quoad scuta biscentum provisum in secundo; in reliquis affirmative ad formam fundationis.

SALERNITANA IRREGULARITATIS. Dum ineunte Decembri 1793. Acolythus Petrus Gisolfi, ejusque dilectissimus amicus Clericus Dominicus de Amato ad licitam ibant venationem, inopinato ictum explosit ignea ballista, quam Acolythus in humeris elato igniario gestabat, & Clericum, qui illius vestigia sequebatur, lethaliter vulneravit: quo ex vulnere infelix Clericus, post inutilem novem dierum curationem, in ipsius Acolythi aedibus occubuit. Sponte se constituit Gisolfi in vinculis salernitanae Curiae Archiepiscopalis: sed re cognita, & composita Parte, dimissus fuit *tanquam repertus inculpabilis*; monitus tamen, ut consuleret conscientiae suae quo ad irregularitatem. Supplicat modo pro dispensatione, & testatur Archiepiscopus, eum scientiis, *bonisque moribus praeditum esse, & illibatam vitam semper duxisse: proinde maximae utilitati Ecclesiae illum fore, si ad optatos sacros ordines, praevia dispensatione irregularitatis forsan incursae, promoveri Vestra Sacra Congregatio permittit.* *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Licet redargui posset Orator, quod praegressus fuisset socio cum igniario elato, causamque idcirco dedisset ad homicidium ordinatam, ex qua voluntarium fit, quod est casuale per *Text. in cap. continebat*, & *cap. suscepimus de homicid.*, levissima tamen fuit ejus negligentia, & voluntarium fortasse non reddidit remotum effectum, ex *cap. quaesitum de poenit.*, & *remiss.*, *Fagnan. in cap. si constiterit num. 40. de accusat.* Si homicidium ergo ab Oratore commissum censeatur casuale, ut censuit Archiepiscopalis Curia Salerni, jam im-

mune esta rigida censura *Sacri Concilii Tridentini sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.*; nam excipit Sancta Synodus *homicidium non ex proposito, sed casu commissum*; ideoque locus esse valet dispensationi ab irregularitate, ut *in Cadurcen. Dispensationis ab Irregularitate* 16. *Maii* 1789., *& in Urbevetana Irregularitatis* 20. *Martii* 1790.

Recens quidem est illius memoria, dum vix unus effluxit annus cum dimidio; facileque propterea perm ittendum non videtur, ut ad sacros ordines tam cito ascendat, quem nuper concives omnes homicidii causa in vinculis viderunt, ad monitum *Fagnani in cap. Henricus num.* 3. *de Cleric. pugnan. in duell.* At ponderare dignentur Eminentissimi Patres, quod sciunt etiam omnes, absolutum fuisse Oratorem *tanquam repertum inculpabilem*, valdeque commendari ab Archiepiscopo, qui eum immo futurum dicit *maximæ utilitatis Ecclesiæ*, si ad sacros ordines ascendat. Similibus profecto de causis indulgentes fuerunt EE. VV. *in cit. Urbevetana Irregularitatis* 29. *Martii* 1790.

Dubium est;

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Affirmative.

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

JANUEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Sodalitium S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ, erectum Januæ anno 1737., onus in suis Constitutionibus assumpsit celebrandi Missas quindecim in obitu Sodalium, qui annuos solverent Januenses solidos 12.; triginta pro iis, qui solidos solverent 24., & centum pro illis, qui libellas numerarent quatuor; statuta singulis Missis eleemosyna solidorum decem. Onus hoc accurate adimplevit quousque facilis cum ea eleemosyna fuit Missarum celebratio: at illa in dies aucta, negligere cœpit ob difficultates Sacerdotum celebrationem, decrevitque anno 1790., iterumque anno 1791., & 1794. sub reservatione Beneplaciti Apostolici, ut duo in posterum

rum Capellani quotidianum celebrare deberent Sacrum in Oratorio cum eleemosyna januensium solidorum 16. 8. ; illudque applicare singulis Dominicis, & feriis secundis pro Confratribus omnibus, & Sororibus vivis, & defunctis collective; in reliquis anni diebus pro iis, qui pro tempore decederent, & annuam solvissent præstationem, reducto tamen numero Missarum quindecim ad decem; triginta ad viginti; & centum ad sexaginta. Quatenus vero ad omnes celebrandas non sufficerent Capellani, per alios suppleri deberent Sacerdotes cum elæmosyna solidorum viginti.

Quæ ad elapsum mensem Martium celebrari debuissent Missæ pro Sodalibus contribuentibus, numerum attingunt 6602., omissio in Missis consistit 2811., nisi ratio habeatur Missarum 252., quæ ad formam prædicti decreti celebratæ sunt in Oratorio pro Sodalibus collective. Activus, & passivus Sodalitii status, ob incertum introitum, exitumque, *tuto, & præcise nequit decerni*, ut januensis refert Archiepiscopus. Ducto tamen per decennium calculo, annua introitus attingit scuta romana 448., quorum 64. ex reditibus proveniunt certis, & 384. ex præstationibus Sodalium. Exitus vero ad eamdem evehitur summam hoc pacto: pro Capellanis nimirum quotìdie celebrantibus in Oràtorio scuta 118., pro aliis Sacerdotibus celebrantibus reliquas Missas ad complendum numerum debitum Sodalibus per annum decedentibus scut. 50., pro ministris sc. 58., pro cereis in associandis cadaveribus Sodalium scut. 40.; aliisque distribuendis inter Sodales, & ardendis in Oratorio scut. 60.; pro expensis festivitatis S. Catharinæ (quæ ex Constitutionibus Sodalitii fieri deberent per Sodales Congregationis secretæ) scuta 100., & pro expensis denique extraordinariis scut. 30., ex quibus tamen aliquid quandoque superfuit, pluriumque annorum decursu constitutum est capitale illud certi reditus scutorum 64., & *quamprimum fieri poterit integer certus reditus pro duobus saltem Capellanis in Oratorio quotidie celebrantibus*, ut notat Archiepiscopus.

In hoc rerum statu supplicat Sodalitium pro approbatione ejus decretorum super reductione Missarum, & absolutione quo ad præteritum; atque ita Archiepiscopus suum aperit votum: *Quæ hactenus de statu activo, & passivo Confraternitatis, deque numero Missarum non celebratarum dicta sunt* (ut in enarratione

 fa-

facti) satis , ut puto , evincunt , veram adesse impotentiam supplendi quo ad præteritum . Pari namque procedunt gradu introitus , & exitus . Expensæ fieri nequeunt minores . Si quæ forsan viderentur , aliquam pati posse imminutionem , eæ forent , quæ in festo S. Catharinæ erogantur. Sed nihil super hoc innovandum absque notabili præjudicio Confraternitatis , quæ occasione festi hujusce majores percipit proventus . Requiritur præterea consensus (nec obtinendus speratur) Magistratus , qui quemadmodum celeberrimo huic Nosocomio (vulgo di Pammatone) ita etiam auctoritate Serenissimi Senatus præest Confraternitati prædictæ , quæque præsertim hoc adjecto onere erectionem concessit in Ecclesia ejusdem Pii Operis .

Nedum igitur minui non potest exitus , sed augeri immo est necesse ratione Missarum sic reductarum . In celebratione enim Missarum decem cum eleemosyna solidorum viginti, loco quindecim solidorum decem, insumenda est magis lira una cum dimidia ; viginti plus valent , quam triginta , liras quinque ; sexaginta plus decem , quam centum . Parum ergo , aut nihilum superesse posse deprehenditur ex annuis proventibus Confraternitatis . Desunt idcirco media , quibus suppleatur superius enunciato numero Missarum non celebratarum quo ad præteritum , bis millium octingentarum , ac undecim . Omissioni porro huic , & reductioni memoratis , meliori, quo fieri potest , modo suppletur applicatione Missarum pro omnibus collective sumptis Confratribus , & Sororibus vivis , atque defunctis , facienda bis in hebdomada a Sacerdotibus quotidie in Oratorio celebrantibus .

Juxta calculum profecto Archiepiscopi vix Sodalitii proventus æquant exitum , computatis in eo Missis ad designatam reductionem . At de partita dubitandum scutorum centum pro sumptibus festi S. Catharinæ : nam ex Constitutionibus Sodalitii fieri non debent hujusmodi sumptus ex illius proventibus , sed proprio ære Sodalium Congregationis secretæ . Si hoc adimpleretur , pares essent Sodalitii reditus celebrationi Missarum ad formam earumdem Constitutionum , ideoque deneganda foret decreta illarum reductio , ut in *Maceraten. Reductionis Missarum* 12. *Julii elapsi anni* 1794. Illudque etiam èx informatione Archiepiscopi notandum , tales reipsa esse Sodalitii reditus , ut ex redundanti illo-

rum

rum summa confectum fuerit capitale annui fructus scutorum 64., & *quamprimum fieri poterit integer certus reditus pro duobus saltem Capellanis in Oratorio quotidie celebrantibus*.

Missæ contra in Constitutionibus præfinitæ debentur ex quasi contractu cum Sodalibus, qui correspectivam solvunt præstationem. At Sodales ipsi per iterata decreta, supplicemque modo libellum, futuram proponunt, & postulant illarum reductionem. Locus ergo esse posset reformationi Constitutionum, quum quilibet ex notissima regula juri suo renunciare valeat. Remittenda quoque videretur præterita omissio, tum quia ad supplendas Missas 2811. tolleretur juxta Archiepiscopum introitus exitusque Sodalitii æquilibrium, tum quia meliori, quo potest modo, suppleretur omissioni applicatione illa Missarum pro Sodalibus collective. Ponderare tamen dignetur Eminentissimi Patres, num fraudari debeant suffragiis, qui sub illorum fide solverunt, & decesserunt, & num ab iis supplendis eximi valeat Sodalitium, cui redundant reditus, ex quibus nedum confectum est capitale annui fructus scutorum 64., sed etiam *quamprimum fieri poterit certus reditus pro duobus saltem Capellanis in Oratorio quotidie celebrantibus*.

Quæritur ergo.

I. *An, & quo modo sit locus reductioni Missarum quoad futurum in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quo ad præteritum, seu potius sit locus Missarum supplemento in casu &c.*

Ad I., & II. Affirmative juxta votum Archiepiscopi.

ROMANA LEGATI MISSARUM. Onus suis heredibus imposuit Anna Mazzei elapso anno 1794., *che del fruttato dei LL. de MM. cantanti in mio nome in Roma facciano celebrare due Messe quotidiane perpetue nella*

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

nella Cappella dell' Immacolata Concezione della SS. V. Maria nella Chiesa di S. Francesco di Paola ai Monti in Roma, dove è la mia sepoltura in suffragio delle Anime del fù mio Fratello, del fù mio Zio, e mio; per le quali due Messe io assegno annui scudi romani settantadue, coll' espresso divieto, che non possa mai alienarsi quella porzione de LL. de MM., dal di cui fruttato si devono pagare li sudetti annui scudi settantadue in adempimento delle prescritte due Messe quotidiane perpetue a norma di questa mia disposizione.

Proposuerant heredes Patribus Collegii S. Francisci de Paula ad Montes celebrationem Missarum ad formam testamenti; sed his ob tenuem eleemosynam renuentibus, SS̃mo D. N. supplicarunt pro illarum translatione ad parochialem Ecclesiam S. Mariæ in Trivio, cui vivens addicta fuerat Testatrix, consentiente, & acceptante Parocho; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, exposuit in prima informatione Procurator Generalis Minimorum, rem esse de Missis perpetuis, quas accipere nequeunt sui Ordinis Religiosi, nisi cum eleemosyna obolorum 16. cum dimidio ad taxam Concilii Romani; omnes primum Testatricem obligasse suorum LL. MM. fructus pro illarum celebratione, deindeque quantitatem designasse scutorum 72.; ejusque primariam voluntatem fuisse, ut celebrarentur Missæ in Ecclesia tumulante, secundariam, ut pro iis præstarent heredes scuta 72., quæ vix pro qualibet Missa dant obolos novem, assuetis demptis Locorum MM. strenis. Ex his autem concludebat, vel justam heredes supplere debere eleemosynam, vel reducendas esse Missas ad taxam Concilii Romani, ut in designata celebrentur Ecclesia.

Hac ostensa informatione, notarunt adversus eam heredes non instituisse Testatricem perpetuas capellanias favore Patrum Collegii S. Francisci de Paula ad Montes, sed purum & simplex reliquisse Missarum legatum ab heredibus præstandum, verbis illis, *impongo peso a miei eredi, che del fruttato dei LL. de MM. &c. facciano celebrare due Messe quotidiane perpetue*. Atque ex hoc inferebant, interdictam Patribus non esse ex Constitutionibus Apostolicis acceptationem manualium Missarum cum assueta eleemosyna, ut sæpe eas, ob aliorum legatorum defectum, a Sacra Visitationis Congregatione accipiunt. Licet initio rursus legati obligaverit Testatrix

trix fructus annuos Locorum MM. pro celebratione duplicis Missæ quotidianæ, obligationem tamen restrinxisse affirmabant per sequentem illorum taxationem in scutis 72. Ac volitam postremo opinabantur celebrationem Missarum in Ecclesia minimorum Patrum, in qua sepeliendum erat Testatricis cadaver cum aliis patrui, & fratris, dummodo fieri posset cum designata eleemosyna. Idque probarunt testimonio Sacerdotis Ignatii d'Aquino, qui diu contubernalis fuit Testatrici; continuo ei in agone adstitit; & nedum executor fuit testamentarius, sed in aliquibus etiam fiduciarius.

Deponebat sane Aquinius, pluries sibi Testatricem dixisse, simplicem pro Missis celebrandis in Ecclesia Minimorum relinquere eleemosynam manualem, cum sciret, eam illos quæritare; contentam de cetero esse in casu repulsæ, quod adimpleretur celebratio in parochiali sua Ecclesia S. Mariæ in Trivio, nam *la intenzione sua primaria era, che si celebrassero due Messe, e secondaria quella, qualora riuscisse fattibile, che si celebrassero nella sopramentovata cappella*; justisque de causis veras favore Patrum instituere nolle capellanias, sed puri legati onus heredibus imponere. Iterum vero Procurator Generalis auditus, manuales dici non posse ait Missas perpetuo celebrandas, earumque celebrationem implicite commissam censeri Patribus, quorum in Ecclesia eam Testatrix voluit. Hisque expositis censuit, *juxta ultimam Testatricis voluntatem Missas necessario in præmemorata Capella dicti Collegii, in qua ipsius, suorumque cineres repositæ sunt, celebrandas esse; consequenterque illas aut juxta taxam conciliarem esse reducendas, aut heredes ad augendam, juxta dictam taxam, eleemosynam teneri.*

Remissa hinc Causa ad Folium *citata Parte non retardata interim, salvo tamen, & sine præjudicio jurium Partium, celebratione Missarum cum eleemosyna manuali prælative per Patres Conventus S. Francisci de Paula ad Altare designatum, sin minus in casu dissensus, in Ecclesia S. Mariæ de Trivio*; & assumpta per Patres provisionali Missarum celebratione, a formali contentione abstinent Partes, Vestroque acquiescere profitentur judicio. Quærendum igitur primo, a quibus in designata Ecclesia celebrari debeant Missæ. Nisi attendi profecto velit attestatio Executoris testamen-

mentarii, præcipua sane Testatricis voluntas erga Minimorum Ecclesiam, in qua familiarem habebat sepulturam, argumento esse valet illorum prædilectionis in celebratione Missarum. In id vero silet testamentum, impositumque legitur celebrationis onus heredibus, quibus propterea competere etiam videtur honorificum jus deputandi celebrantes, ut in proximis terminis tradit *Barbos. in jus ecclesiast. lib.3. cap.37. num.45.*

Sive autem celebrari debeant Missæ per Patres, sive per Sacerdotes ab heredibus deputandos, difficile est adimplementum legati cum designata eleemosyna. Renuunt siquidem Patres, neque ad celebrandum cogi possunt: haud facile vero Sacerdotes adventitii celebraturi erunt cum eleemosyna manuali in dissita Ecclesia S. Francisci de Paula ad Montes, & ad designatum Altare SS. Conceptionis, dum majus ratione majoris incommodi merentur stipendium, *Tamburrin. de Sacrif. Missæ lib.3. cap.1. §.2. num.35. & seq.*, *Pasqualig. de Sacrif. nov. Leg. quæst.913. num.2.* Ideoque locus esse posset juxta secundum Dubium reductioni Missarum, ut *in Aquen. Reductionis 19. Decembris 1772.*

At notare dignentur Emi Patres, sua omnia prius Testatricem obligasse Loca MM., integrumque eorum reditum pro celebratione duplicis Missæ quotidianæ, verbis illis, *del fruttato dei LL. de MM: cantanti in mio nome in Roma facciano celebrare due Messe quotidiane, perpetue*, certamque deinde assignasse Locorum MM. quantitatem annui reditus scutorum 72. In his sane terminis dubitari posset, quin hanc adjecerit quantitatem ad demonstrandam Missarum eleemosynam, quam opinabatur congruam, non ad priorem restringendam obligationem, sub qua perpetuam voluit illarum celebrationem: & in hac hypothesi justam potius heredes supplere tenerentur eleemosynam, ut *in Narnien. 15. Januarii 1721.*

Quatenus EE. Vestræ neque reducendas censeant Missas, neque ab heredibus supplendam eleemosynam, deliberandum erit tertio de Missarum translatione. Sepulcrum utique Testatricis, ejusque fratris, & patrui in Ecclesia Minimorum, impedimento est, ne ab ea transferantur Missæ, *Ricc. in prax. part.4. resol.69.*, & *Sacra Congregatio in Lucana 28. Julii 1781.* Justa tamen hujusce translationis causa esse valet facilior duplicis Missæ celebra-

bratio in alia Ecclesia, atque in ea præsertim S. Mariæ in Trivio, cujus Parochus illam assumere pollicetur.

Quæritur itaque.

I. *An, & a quibus celebrari debeant Missæ in Ecclesia S. Francisci de Paula ad Montes in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus illarum reductioni, seu potius supplemento eleemosynæ in casu &c.*

Et quatenus negative in omnibus.

III. *An, & quomodo sit locus earumdem Missarum translationi in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

CIVITATIS DUCALIS MISSÆ CONVENTUALIS. Collegiata S. Matthæi oppidi Burgi Canonicis constat novem, comprehenso Archipresbytero, gravemque a decennio passa est redituum imminutionem ex continua cujusdam fluminis irruptione in rustica prædia, defectis decimis, imminutisque censuum fructibus ab octo ad quinque in singula centum. Præsens igitur præbendarum omnium reditus, computatis etiam per decennium distributionibus, & incertis, annua attingit ducata 273. 90. monetæ Regni Neapolis; sed detractis oneribus ducatorum 159. 85., in ducatis remanent 114. 05. *nec ulla spes est, quin supradictus reditus augeri possit*; ut Episcopus inquit Civitatis Ducalis. Quum ex libero autem reditu ducatorum 114. 05. cuique obtingant Canonico ducata 12. 67., quæ nec ad sustentationem sufficiunt vitæ; supplicat idcirco Capitulum pro reductione Missæ conventualis ad dies festos; favetque Episcopus instantiæ.

Sess. 22. Decret. de observ. & evitan. in celebr. Miss., & ses. 24. cap. 15. de Reform.

Vetus hujusmodi reductioni, & novum obstat jus. Missam sane conventualem Cathedralibus, & Collegiatis præscripsit *Honorius III. in cap. cum creatura* 11. *de celebr. Miss.*, & secundum ejus *rubr.*, & *gloss.*, *in dies*. Idemque statuit *Benedict. XIV. in Encyclica cum semper oblatas*, qualibet sublata consuetudine, & non obstante aliarum Missarum onere, ut *ibi* §. 14. 16. & 17. Æqua contra in nostro themate videtur hujusce legis relaxatio ob tenuem cujusque Canonici præbendam ducatorum 12. 67.; nam *Benedictus* ipse *XIV*. reductio-

ctionem ex hac causa permittit Missæ conventualis ad dies festos ; dum scilicet præbendæ non excedunt scuta triginta, ut declaravit Sacra hæc Congregatio *in Ariminen.* 18. *Septembris* 1751.

Servari utique deberet quotidiana Missa conventualis, si Canonicorum indigentiæ per unionem simplicium Beneficiorum succurri posset, juxta *Encyclicam* ipsam *Benedicti XIV.*, sed num sint in oppido Burgi hujusmodi Beneficia, non constat ; idque unum testatur Episcopus, quod *nec ulla spes est, quin supradictus reditus augeri possit*. Præsens autem casus durior est altero Canonicorum Laquedoniensium, quibus licet ampliori præbenda provisis, concesserunt EE. Vestræ reductionem Conventualis *ad dies festos de præcepto tantum, in Laquedonien.* 20. *Septembris* 1788.

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit locus reductioni Missæ conventualis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 26. Septembris 1795. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ROMANA LEGATI MISSARUM. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

I. *An, & a quibus celebrari debeant Missæ in Ecclesia S. Francisci de Paula ad Montes in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus illarum reductioni, seu potius supplemento eleemosynæ in casu &c.*

Et quatenus negative in omnibus.

III. *An, & quomodo sit locus earumdem Missarum translationi in casu &c.*

Ad I. Affirmative per Sacerdotes ab heredibus deputandos, & amplius.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, quatenus opus sit ad onus Missarum adimplendum, & amplius.

Ad III. Negative in omnibus, & amplius.

CIVITATIS DUCALIS MISSÆ CONVENTUALIS. *Ses.22. Decret. de observ., & evitan. in celebrat. Miss., & sess.24.cap.15. de Reform.*

An, & quomodo sit locus reductioni Missæ Conventualis in casu &c.

Affirmative ad dies festos de præcepto quoad applicationem tantum.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ARIMINEN. LEGATI. Per rescriptum diei 18. elapsi Julii dilata fuit hujus Causæ resolutio, ut per exhibitionem instrumenti emptionis prædii gravati onere Missarum capellaniæ Fiorentini probaretur assertio Procuratoris Generalis Servorum B. M. Virginis, quod ex illius nempe pretio retinuisset Columba Gratiosi scuta 400. pro æstimatione oneris. Reipsa autem ex exhibito instrumento constat, quod venditores *perche tali beni vengono gravati di peso perpetuo di un pio legato di Messe tre la settimana, per liberarsi da quello lasciano di tale prezzo alla Signora Compatrice scudi* 400., *ed essa per se, eredi, e successori si assume tale obbligo*. Resumpto igitur Folio 18. Julii, deliberare dignentur EE. Vestræ,

I. *An, & quomodo sit approbanda cessio legati, & traditio capitalis in casu &c.*

II. *An, & quomodo quo ad præteritum sit locus supplemento Missarum in casu &c.*

Ad I. Negative in omnibus, & prævia revocatione Indultorum reductionis, adimplendum esse onus Missarum ab heredibus Columbæ ad formam testamenti.

Ad II. Affirmative ab anno 1763. ad formam testamenti.

Ses. 25. cap. 14. de Reform.

PERUSINA REMOTIONIS VICARII CURATI. Cassinensium Monasterio S. Petri Perusiæ unitæ sunt Parochiæ Castri Milliani, & S. Apollinaris, easque regere consueverunt Abbates per Vicarios Curatos, quorum alter S. Apollinaris ex decreto anni 1572. Pauli Marii de Ruvere Visitatoris Apostolici est perpetuus. Primam Parochiam anno 1776., secundam anno 1778. obtinuit Sacerdos Bernardinus Palanghi hetruscus, qui plures post annos confirmatus fuit in quasi possessione parochialis Curæ per sententiam A.C. Riganti adversus Procuratorem, & Patres Monasterii. In eum tamen de prava mulierum consuetudine, aliisque vitiis inquisivit episcopalis Curia perusina, pluribusque anno 1791. examinatis testibus, hoc sequenti anno 1792. edidit decretum = *Ex informata conscientia, & ex causis nobis notis, soli Deo, & Sedi Apostolicæ rationem reddituri, ab audiendis confessionibus ipsum* (Palanghium) *suspen-*

suspendimus, *& ab exercitio quocumque Curæ Animarum, ac regimine præfatæ Parœciæ removemus omnino*. Frustra primum Palanghius Pontificium adiit Solium: sed ad iteratas ejus preces remissa tandem fuit Causa ad Sacram hanc Congregationem; fuseque sub fide testium exposuit perusinus Episcopus, quæ ipsum ad privationem impulerunt.

In quęstionem igitur præ omnibus venit decretum, illudque Promotor Fiscalis Curiæ perusinæ, veluti editum *ex informata conscientia*, validum censet absque trina monitione, de qua *Sacrum Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 14. de reform.*. Semel de cętero extrajudicialiter monitum probat Palanghium ad dimittendam Parochiam, ne turpius ea per decretum privaretur. Notandum contra cum Palanghio, decreti formulam *ex informata conscientia* contrariam esse facto; nam præmissum fuit examen testium super delictis, ex quibus ille privatus fuit Parochia. Et quamvis expletum appareat *pro instructione animi Episcopi*, res tamen per illud evulgata, cum *informata* forsan non convenit *conscientia*, quæ arcanas supponit privationis Parochiæ causas, rationem redditurus Episcopus *soli Deo*, *& Sedi Apostolicæ*. Si deducta ergo fuerunt Palanghii crimina in Forum externum, omitti non potuisse videtur trina monitio, quæ ad legitimam præcedere debet privationem, ut post conciliarem sanctionem notat *Ferrar. verb. Episcopus num.* 127.

At ponderare etiam dignentur Emi Patres privationis causas, quæ secundum Promotorem Fiscalem fuerunt tres; turpis nempe Palanghii consuetudo cum fœminis; ebrietas; & diffamatio apud Parochianos. De tribus hisce vitiis vigintinovem deponunt testes formiter examinati; aliique extrajudiciales quinque. Contrarium vero testantur Parochiani centum, & ultra; alii ex conterminis oppidis circiter sexaginta; Parochi septem; & plures per retractationem ex testibus examinatis: omnesque pietatem, religionem, mores, optimamque Animarum curam in Palanghio commendant. Horum aliqui de honestate etiam deponunt mulierum, cum quibus prava asseritur illius consuetudo, omneque ejusdem Palanghii malum odio tribuunt Aloysii Belli conductoris Monachorum Cassinensium Perusiæ.

Præferendi quidem essent testes formiter examinati; sed eos vincere potest insignis contrariorum numerus: in odio-

odiosa præsertim materia privationis Parochiæ, quæ concludentem exigit probationem causæ, ut pluribus collectis dixit *Rot. in Camerinen. Pertinentiarum, & Jurium super primo Dubio 3. Martii* 1760. §. 13., *& seq. cor. Olivatio*. Accedit inverisimilitudo, quod plures per annos tolerare voluerit Episcopalis Curia malum Palanghii exemplum, & coercere neglexerit publica ejus vitia, de quibus fiscales deponunt testes. Illudque etiam notandum, quod criminaliter in Palanghium inquiri cepit postquam eum Religiosi civiliter privare non potuerunt Parochia, Causaque ceciderunt coram A.C. Riganti.

Si nullum autem EE. Vestiæ, & injustum censeant decretum privationis, redintegrandus quoque erit Palanghius juxta secundum Dubium ad possessionem Parochiæ, *Rot. in Ratisbonen. Parochialis* 13. *Junii* 1718. §. *Omnia, & seq. coram Foscaro*; eique juxta tertium, omne id præstandum, quod interest, privatum non fuisse Parochia, per *Text. in cap. sæpe de restit. spoliat.*, & ab eo, qui causa fuit privationis, *cap. damnum* 86. *de regul. jur. in* 6., & *leg. quod quis* 203. *ff. eod. tit. de regul. jur.*. Si validum contra, & justum, neque locus erit redintegrationi, *Rot. cor. Crescent. decis.* 28. *num.* 1., neque refectioni damnorum, & interesse, *Valent. dissert. fiscal.* 3. *num.* 25. *tom.* 2., *Rot. in Romana Donationis super refectione damnorum* 21. *Aprilis* 1771. §. 2., *& seq. cor. Origo*.

Dubia sunt.

I. *An sustineatur remotio Sacerdotis Bernardini Palanghi a Parochiali Cura S. Apollinaris Perusiæ, ac respectiva suspensio ab audiendis Confessionibus in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An idem Sacerdos Bernardinus Palanghi sit redintegrandus ad possessionem dictæ Curæ S. Apollinaris in casu &c.*

III. *An, & a quo sint restituendi fructus, & solvendæ expensæ in casu &c.*

Ad I. Affirmative in omnibus, & amplius.

Ad II., & III. Negative, & amplius.

FA-

FAVENTINA AUGMENTI PRÆBENDARUM. Plura ex fructibus scutorum 15000. pia opera instituit anno 1710. clar. memor. Cardinalis Durazzo, qui faventinam regebat Ecclesiam. Erigi siquidem jussit *primieramente sei Mansionarie nella Cattedrale di Faenza*; singulisque annua assignavit scuta 40., addita declaratione, quod *queste Mansionarie avranno la priorità ad ogni altra cosa*. In imponendis vero oneribus hæc habuit = *L' intenzione, che mi sono proposto in fondare queste sei Mansionarie, è stata di fare, che il Coro sia provisto di buoni Cantori di canto fermo, e però non voglio, che possano andare a cantare nell' organo, ma che siano sempre assistenti nel Coro, o pure all' Altare facendo l' officio di Diacono, e Suddiacono, e questo acciò la Cattedrale sia servita con maggior perfezione, che non prattica presentemente: voglio, che nelle Messe conventuali, anche feriali, per giro i detti Mansionari siano obbligati fare da Diacono, e Suddiacono; intendendo di quelle sole Messe, che si dicono conforme alle rubriche, e ceremonie delle Cattedrali, perchè se si dovessero cantare Messe per Defonti, o Anniversarj, in tal caso non saranno obbligati, se non in caso fossero ammessi alla partecipazione degli emolumenti, che si dassero per tal funzione*. Onus insuper cuique Mansionario imposuit ultimæ Missæ in distinctis hebdomadæ diebus; jussitque, ut triginta ex scutis 40. in quotidianas cederent distributiones. Ses. 24. cap. 13. & 15. de Reformat.

Ali deinde voluit in Hospitio Michelinarum Faventiæ binas puellas cum annuis scutis 30. pro qualibet, assignavitque unicuique in casu spiritualium, vel carnalium nuptiarum subsidium dotale scutorum 50.: binas alias in Hospitio Mendicantium cum annua præstatione scutorum 25., & dote scutorum triginta: & duos tandem puerulos in Hospitio SSmi Crucifixi, quibus annua pariter statuit scuta 25., paremque summam in assumptione habitus religiosi. Hisce expletis solutionibus, multiplicum imperavit superextantis summæ *sino a 20. mila scudi di capitale, e fatto questo moltiplico, quello che sopravanzerà, la metà si darà all' Ospedale delle Mendicanti, e l'altra metà si distribuirà dall' Ordinario in doti di povere Zitelle, o altre donne, che parerà convenga anche per levarle dal male; ma non si potrà dare di più di scudi 20. per ognuna*.

Ac-

Accurate adimpleta fuerunt omnia; atque explet de anno 1751. imperato multiplico, tributi sunt ejus reditus pro summa scutorum 150. circiter Conservatorio Mendicantium; distribui ceperunt reliqui in dotalia pauperum puellarum subsidia ad formam testamenti. Anno tandem 1782. postularunt Mansionarii a decessore Episcopo faventino suarum etiam præbendarum augmentum; sed spe dejecti. diu postmodum acquieverunt. Instantiam vero coram EE. Vestris nuper renovarunt, eique in duplici informatione impense favit Episcopus. Quamvis enim Mansionarii oratores eamdem modo percipiant summam scutorum 40., quam eorum singulis assignavit Fundator, eam tamen Antistes ille imparem nostra ætate dixit illorum manutentioni, aliisque oneribus per decessores Episcopos additis absque emolumento.

Notabat insuper, Mansionarios Durazzo ex voluntate Fundatoris habere *la priorità ad ogni altra cosa*, atque institutos esse, *acciò la Cattedrale sia sempre servita con maggior perfezione*. Melioris insuper conditionis esse Mansionarios Capitulares, *qui quum genera percipiant, quorum pretium sæpe sæpius, & frequenter certe assignatum a Præsidibus excedit; quum iidem canonicis elargitionibus donentur; quum incerta musicorum conventuum, quæ certe ad ultra viginti scutata annuatim ascendunt, habeant, satis commode, aut saltem minus incommode vivere possunt*. Ex àugmento item præbendarum *non ea jactura Mendicantium loco pio evenire, quæ turbas excitaret*; nam *earum Conservatorium ita elapsis annis floruit, ut puellarum numerus non mediocriter auctus sit*. Testatoris denique dispositione duas tantum alendas puellas; & præbendarum augmento satis Locum pium locupletem remanere pro illarum manutentione. Atque ex his dignos censuit Oratores, *quibus aliquale augmentum, uti octo, vel decem scutatorum pro quolibet anno, & pro quaque præbenda concedatur*.

Præbendarum tenuitatem; onerum pondus; suamque capitularibus Mansionariis inferiorem conditionem urgent Oratores, ut præbendarum augmentum consequantur; & duas ad id allegant recentes Sacræ hujus Congregationis resolutiones *in Bononien. Commutationis*

nis Voluntatis, & *Faventina Capellaniæ* 21. *Junii* 1794. Ob auctum sane servitium Chori aucta quoque fuit *in Bononien.* ad obolos 30. eleemosyna canonicalium Missarum ex reditu in alias Missas destinato; & ob tenue stipendium, concessum fuit *in Faventina* illius augmentum Capellano; quem tamen indefinite manutenendum jusserat Testatrix ab herede. Consentaneum quoque dicunt suarum præbendarum augmentum voluntati Fundatoris, qui Mansionariis tribuit *la priorità ad ogni altra cosa*, & principaliter ad majus respexit servitium Cathedralis Ecclesiæ. Nisi ergo flagitatum concedatur augmentum, inutilem arbitrantur volitam prioritatem, neque ob tenues præbendas haberi posse majoris servitii finem, contra sententiam *Pignatelli consult.*90. *num.*5. *tom.*9.

Præ omnibus contra ponderandum rogant Præsides Conservatorii Mendicantium, satis ab anno 1710. fuisse præbendas scutorum 40. decessoribus Mansionariis Durazzo, satisque plures per annos Oratoribus ipsis, qui ultro Mansionarias cum iisdem acceperunt præbendis. Inferiorem immo affirmant conditionem Mansionariorum capitularium, quorum præbendæ, testimonio Rectoris Seminarii faventini, consistunt *in annue corbe* 10. *di grano, un carro d'uva; dodici scudi in denaro, ed altri scudi quattro d'incerti certi*; ex quibus omnibus constitui asserunt reditum scutorum circiter 36. Idque duplici probant facto Mansionariorum capitularium, qui Mansionarias optarunt, & retinent Durazzo. In hoc vero vim faciunt maximam, quod assignavit Testator reditum multiplici Conservatorio Mendicantium, & in dotalia pauperum puellarum subsidia; ideoque converti non debet in augmentum Mansionariarum, quibus certam Testator assignavit summam. Quandoquidem *ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata Fidelium, ad illum debent, non ad alium, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, converti*, juxta *Clementinam*, *quia contigit, de religios. domib.*

Eoque minus concedendum ajunt prætensum augmentum, quia minuendus esset mendicantium puellarum numerus, si quid detraheretur Conservatorio, juxta ejus Ratiocinatores; vel gravissimum afferretur præjudicium pauperibus aliis puellis Civitatis, quæ pluri-

mæ sunt, si minuerentur dotalia earum subsidia, ut plures testantur ejusdem Civitatis Parochi. Monent de cætero, sibi Oratores consulere posse postulando reductionem onerum, quæ præter fundationem decessores Episcopi addiderunt, si iis etiam respondere non censeant stipendium Fundatoris.

Quæstio itaque est.

An, ex quibus reditibus Operis Pii Duratii, & in qua summa sit augenda præbenda singulis Mansionariis in casu &c.

Negative in omnibus, & amplius.

Sess.21. cap.4. de Reform.

RECINETEN. ERECTIONIS PAROCHIÆ. Moriens declaravit anno 1786. Maria Melchiorri fiduciam acceptam a Tiberio Cruciani ejus viro, qui hæc in summa manu liverat; quod post illius nempe obitum una, vel duæ intra sexennium prudenti recinetensis Episcopi arbitrio novæ erigerentur Parochię in agro Recineti; de distincto jurepatronatus majorum natu de Turri, & Melchiorri, si duæ; & de indiviso cum alternativa, si una; quodque celebrare tenerentur Parochus, vel Parochi hebdomadalem Missam in suffragium ejus Animæ, alteramque annuam in die Visitationis B. M. Virginis; tres cum dimidio singulis annis tradere olei lecytos, seu *metri* Sodalitio S. Annæ Recineti, ut continuo lampadam retineret accensam ad Altare Beatæ Marię Virginis Lauretanæ; & annua solvere scuta sex ipsius Sodalitii Syndico ad idem ornandum Altare, & scuta tria Patribus S. Philippi ad celebrandum festum S. Aloysii Gonzagæ.

Vix obita fiduciaria, confici curavit Fiscalis Curię Episcopalis inventarium, & nomine Vicarii Apostolici recinetensis, & executoris fiduciæ, in possessionem ivit hereditatis, quæ annua reddit scuta 268. 02. 3., omni-

omnibus detractis oneribus; iis etiam per fiduciam impositis, excepta Missa hebdomadali. Quam primum deinde potuit, primam Vicarius Apostolicus erexit Parochiam in regione *di Moglie vecchia*, secundam alibi erecturus cum constructa erit Ecclesia, & domus parochialis. At duabus hisce Parochiis addendam optarunt tertiam recinetenses Agricolæ in districtu Parochiæ Montis Murelli, precibusque in id porrectis, modum EE. Vestris proposuerunt assignandi tertio Parocho congruam, ex redundanti nimirum summa redituum Cruciani, & ex annuis scutis 50., quæ Parochus Montis Murelli præstare deberet rurali Capellano Curato ex Apostolica collationis Parochiæ lege, & ob defectum suburbanæ Ecclesiæ, ędiumque non præstat.

In omnibus cum Agricolis conveniunt ii de Turri, & Melchiorri tanquam patroni primæ, & secundæ Parochiæ per Crucianum volitæ, dummodo æquis partibus tribuatur ipsis, & Parocho Montis Murelli juspatronatus tertiæ: convenit & Parochus, dummodo pręter dimidium juspatronatus, reservetur sibi, suisque successoribus honorificum aliquod jus supra novam Parochiam: eorumque consilia probat Vicarius Apostolicus, excepto jurepatronatus. Necessariam porro dicit tertiam Parochiam, quum *gravis sit Populi recinetensis ruri degentis necessitas alios habendi Presbyteros, aliosque Parochos accomodatos, a quibus & Fidei rudimentis instruatur, & Sacramenta recipiat*: æquam rursus juris honorifici reservationem favore Parochi Montis Murelli; *quum enim aliqualis damni, & detrimenti Parœciæ dismembratio sibi sit, grave haud esse poterit novo deputando Presbytero, si aliquod ejusdem subjectionis signum, quod & præeminentiam, & antiquum statum Curæ Montis Murelli referat, anno quolibet eidem præstet, exhibeatque*: non item vero reservationem jurispatronatus, illis præsertim de Turri, & Melchiorri; nam per transmissas ejus Vicarii Generalis animadversiones observat, satis ipsis tributum juris per designationem secundæ Parochiæ, cum una arbitrio Ordinarii erigi potuisset.

Novæ Parochiæ erectionem permittit *Tridentina Synodus sess. 21. cap. 4. de reform.*, ubi *ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt*. At ponderare dignentur Emi Patres, num dispersis recinetensis agri habitatoribus, qui sine magno incommodo ad suas accedere nequeunt Ecclesias parochiales, satis consultum non sit per duplicem novam Parochiam, & opus sit tertia. Hac utique indigere videntur providentia, qui in districtu sunt Parœciæ Montis Murelli; nam præ ipsorum numero, & distantia impositum fuit Parocho onus retinendi apud eos Capellanum Curatum; neque binæ aliæ Parochiales in aliis regionibus erectæ, vel erigendæ, commodum iis fortasse præbent accessum. Idque comprobatur facto ipsius Parochi Montis Murelli, qui sine ulla difficultate in dismembrationem consentit suæ Parochiæ. Tertiæ autem Paræciæ erectio adversari non videtur voluntati Cruciani, qui respexit in genere ad spirituale bonum incolarum agri, licet satis ad id unam, vel duas censuerit novas Parochias.

Major est difficultas circa modum. Facile quidem consuleretur congruæ tertii Parochi, ex redundantibus nempe reditibus Cruciani, nam detractis scutis 100. pro quolibet ex duobus aliis Parochis, superessent scuta 68. 02. 3., & ex scutis 50., quæ solvere pollicetur Parochus Montis Murelli, quasi juxta legem Pontificiam solveret Capellano Curato. At reservatio jurispatronatus adversatur dispositioni juris, quæ libertati favet Parochiæ, *Farqu. de jurepatr. part. 3. can. unic. cas. 1. num. 32.*, *Lotter. de re benefic. lib. 2. quæst. 13. n. 142.*, & 152. Et quamvis eam suadere posset æqua dotis constitutio per illos de Turri, & Melchiorri, Parochumque Montis Murelli, ex *can. nemo Ecclesiam, de consecrat. dist. 1.*, *Vivian. de jurepatr. part. 1. lib. 2. cap. 2. sub num. 4.*, & *Farqu. eod. tract. part. 1. can. 5. cap. 7. num. 19.*, notandum tamen, quod jam de Turri, & Melchiorri patronatum habent duplicis Parochiæ, quæ ex dispositione Fundatoris esse potuisset una; & Parochus Montis Murelli non liberaliter, sed ex Pontificia lege præstiturus esset scuta 50. novo Parocho, loco Capellani. Utrum autem reservari debeat aliquod præeminentię signum

Pa-

Parocho Montis Murelli, qui suæ Parochiæ dismembrationem patitur, & cedere etiam pollicetur novo Parocho incerta agri, EE. VV. decernent.

Deliberandum itaque proponitur.

An, & quomodo sit locus erectioni tertiæ Parochiæ in casu &c.

Affirmative juxta consensum Turri, Melchiorri, & Parochi Montis Murelli, excepto tamen prætenso signo honorifico, cujus loco habeatur rata Patronatus.

ARIMINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM, ET FABRICÆ ECCLESIÆ. Heredem instituit Julius Antonius Silvagni uxorem suam in usufructu, eique præscripsit Anniversarium; annuas Missas 1000., alteramque quotidianam; annuam rursus præstationem duplicis starii frumenti, & sarcinarum sex vini Cappuccinis Gradariæ; solutionem duplicis nummi aurei Sacro Oratori in novendialibus SS. Natalis: distributionem panis ex stario uno frumenti pauperibus familiis in pervigilio ejusdem Solemnitatis; annuamque præstationem unius starii frumenti pro qualibet Elisabethæ, & Victoriæ Bernabei, earumque descendentibus. Proprietariam vero scripsit Ecclesiam B.M. Virginis Gratiarum nuncupatam *della Scuola* oppidi Sancti Joannis in Marignano; & ita de hereditate disposuit. *Sess. 21. cap. 7. & sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Sex præ omnibus in eadem Ecclesia fundavit laicales quotidiani Sacri capellanias, annua cuique assignata summa scutorum 50., nominavitque Sacerdotes quatuor in Capellanos, relicta aliorum nominatione Communitati oppidi. Alteri ex nominatis Capellanis, & in primum œconomum designato, Sacerdoti nempe Jacobo Vici mandavit I. ut solutis prius Capellanorum stipendiis, superextantes deponeret reditus hereditatis donec fieret cumulus scutorum 1500. ad reædificandam Ecclesiam, depositumque augeret ad scuta

ta 3000., quatenus non sufficeret primum. II. ut unum ex tribus ejusdem Ecclesiæ Altaribus dicaret Divis Antonio Patavino, & Julio Pontifici, quorum in diebus festis celebrari in illo deberent generalia Missarum officia. III. ut hereditatis sumptu res faceret Divinas, ad quas tenebantur illi de Mancinis, & Communitas. IV. *che terminate saranno tutte le spese necessarie per la nuova Chiesa, tutti gli avanzi, detratte sempre le spese, come sopra, di tutte l'annue entrate siano annualmente depositati nel Sagro Monte della Pietà di Rimino fin tanto resterà, e si formerà un peculio, o sia cumulo di mille scudi, acciocchè questi debbano servire alle spese della mia eredità tanto per li Cappellani, quanto ad altri inconvenienti in caso degli anni calamitosi, e penuriosi con carestia, ed altri accidenti, che possono occorrere.*

Jussit V. successoribus œconomis, qui futuri essent Capellani de domo Vici, vel Bianchini, vel Trebbi, quod *seguita la morte come sopra* (heredis nempe usufructuariæ) *dalla mia eredità, cioè dall'annua entrata debbano dare ad ogni cadauna femina, che mariterassi, figlie discendenti dalla Casa Vici, Bianchini, e di Elisabetta Bernabei da Misano, e di Vittoria sorella carnale di detta Elisabetta ora abitanti in Scacciano, li siano somministrati, e dati in dote scudi trenta per ciascheduna figlia femina delli sudetti, e sudette, nominati, e nominate*. Ultimoque loco *seguita la morte come sopra, e dopo d'essersi fatta la nuova Chiesa, e formato il peculio nel Sacro Monte della Pietà . . . con l'avanzo delle entrate della mia eredità* duos manuteneri voluit Clericos in Seminario ariminensi, ut idonei fierent ad capellanias; omnia adimpleri legata imposita usufruariæ, annuis exceptis Missis 1000., & aurum, argentum, pretiosos lapillos, pretiumque reliquæ supellectilis in sacra converti Ecclesiæ vasa,& ornamenta.

Annuus hereditatis reditus scuta ex decenni calculo attingit 884., atque institutæ primum ex eo fuerunt capellaniæ, aliisque deinde adimpletis legatis perpetuis, *compreso quello ancora delle doti in qualche picciol numero pagate, si è avuto sino ad ora un'anno per l'altro un'avanzo di scudi* 190. *circa* (ut refert in sua informatione Episcopus) ex quo confectum fuit de-

depositum scutorum 1500. ad novam construendam Ecclesiam. Novæ autem Ecclesiæ opus (nondum perfectum) scuta excessit 3000., ut Testator ipse prævidit, & non modo in illud erogavit Æconomus deposita scuta 1500. cum altero in annos supesextante reditu, sed scuta etiam 250. passivi census, prætiumque scutorum 558. 80. hereditariæ domus positæ Arimini, quam legitima vendidit facultate, licet ex psæcepto Testatoris in aliis occuparcum esset bonis. Adhuc Peritorum judicio requiruntur ad perficiendam Ecclesiam scuta 372. 85., & ex superextaute reditu redimendus est census scutorum 250., investiendum pretium venditæ domus, & conficiendum depositum scutorum 1000. pro casibus fortuitis ad præscriptum Testatoris; nec facile præstari etiam valent dotes puellis descendentibus ex domibus Vici, Bianchini, & sororum Bernabei, quæ in maximum excreverunt numerum.

In hoc rerum statu supplicavit hodiernus Œconomus Sanctissimo pro facultate creandi passivum alterum censum in sorte scutorum 350. ad perficiendum ædificium Ecclesiæ, & pro restrictione subsidii dotalis ad fœminas existentes in familiis vocatorum, exclusis aliis, quæ ab iis descendunt. Illudque etiam postulavit, ut ex fœminis ipsis de familia dictarum essent proximiores primo vocatis, & nuptiis, ab anno ætatis 15. ad 30. tantum, cum sortitione in paritate gradus, ne propagatis earum familiis, difficilis etiam evaderet puellarum omnium dotatio. At post auditum Episcopum ariminensem remissæ fuerunt preces ad Sacram hanc Congregationem *cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis*. Reprobaverat Episcopus censum, ex quo perfici posset Ecclesia ex annuo superextante reditu; restrictionem probaverat subsidiorum dotalium juxta petitiònem Œconomi, quum impossibile esset tot adimplere legata, alienumque dimittere æs, ac descendentes omnes dotare nubiles puellas, quæ secundum schema genealogicum erant 59. Monuerat etiam, quod ex interesse habentibus in pio dotium legato, quatuor favebant instantiæ Œconomi, reliqui septem contradicebant. Hæc ipsa in altera informatione ad EE.VV. confirmavit. At qui initio erant contradictores, moniti deinde de mandato Vestro ad de-

deducendum jura sua in Sac. Congregatione, Causam deseruerunt.

Suas igitur instantias tuetur Œconomus, & notandum rogat quo ad restrictionem dotationis, prius Testatorem demandasse novum Ecclesiæ ædificium, depositum scutorum 1000. pro casibus fortuitis, pleraque ex aliis piis legatis, deindeque puellarum dotationem. Ex hoc siquidem scripturæ ordine locum non esse ait dotationi, nisi redempto censu scutorum 250., pioque redintegrato Opere de pretio venditę domus, in constructionem Ecclesiæ erogato; nisi depositum insuper conficiatur scutorum 1000., aliaque pia adimpleantur legata, ad tradita per *Gratian. discept. forens. cap.*586 *num.*33., & *Polit. de legat. dissert.* 109. *num.* 10., & *seq. tom.* 2. Eo magis, quia demandata fuit dotatio ex mero sanguinis impulsu, & absque requisito paupertatis, neque idcirco privilegium habet causæ piæ, juxta *Card. de Luc. de donat. disc.* 32. *sub num.*14., & *Rot. in nuperr. decis.*120. *num.* 5. *tom.*7., & *in Romana Servitutum* 21. *Junii* 1754. §. 7., & *seq. coram Borull*.

Quum ex superextantibus ergo reditibus expleri primum debeant multa, necessarium idcirco censet Œconomus, ut ad reprimendam puellarum turbam modus dotationi imponatur. Neque per restrictionem legati ad fæminas de familiis vocatis, injuriam fieri arbitratur reliquis cognatis ab illis descendentibus; nam contemplavit Testator fœminas ex designatis domibus cum adjectione cognominis *Vici*, *Bianchini* &c., ideoque cognatas exclusit, *Rot. in Ferrarien. Primogeniture de Trottis* 12. *Junii* 1731. §. 6. *coram Corio*, *in S. Agathæ Gothorum Jurispatronatus* 19. *Aprilis* 1765. §. 3. *in fin.*, & §. 5. *coram Azpuru*, & *in Romana*, *seu Neapolitana Immissionis* 5. *Martii* 1779: §. 5. *coram Eminentissimo Sentmanat*. Æquum autem censet, viribusque hereditatis consentaneum, ut inter puellas ipsas de familia præferantur proximiores primo vocatis, & nuptiis, atque majori pollentes ætate, secundum *Card. de Luc. de dot. disc.* 142. *num.* 10., *Polit. eod. tit. quæst.* 7. *num.* 39., & *seqq. tom.* 3., ac in paritate gradus, & ætatis eligantur per sortem, ut decrevit Sacra hæc Congregatio *in Nullius*, *seu Montis Casini Distributionis Subsidiorum dotalium* 24. *Septembris* 1729. *ad II. Dubium*.

Ve-

Verum ponderare di[illegible] Eminentissimi Patres, num restringere voluerit T[illegible] subsidia ad priorum vocatorum agnatas, qui puellas etiam vocavit descendentes ex fœminis [illegible] contra doctrinam [illegible] *collect.* 34. *num.* 109. *lib.* 2., *Mant. de* [illegible] *legal.* [illegible] 2 *qu.* 6. *art.* [illegible] *num.* [illegible] & sententia [illegible] Rotæ in [illegible] *Beneficii* 14. [illegible] 1770. § [illegible] *coram Olivatio*; quæ inter alios impressa est *decisio* 191. Illudque etiam animadvertendum, quod non [illegible] puellas [illegible] familiæ contemplatione, sed descendentes [illegible] *Casa Veri*. [illegible] *&c.*; [illegible] distinguat *dalla*, latine *ex*, simpliciter indicasse videtur illarum originem, [illegible] *coram Bich. decis.* 251. *num.* 20. Neque earumdem dotatio [illegible] cedere debet redemptioni census [illegible] pro nova ædificatione Ecclesiæ, redintegrationi Operis pii pro hæreditaria vendita domo, & deposito scutorum 1000. Quae siquidem demandata non fuit post completum ædificium, & depositum, sed immediate post obitum usufructuariæ verbis illis: *seguita la morte come sopra*, seu cum eadem ædificii, & depositi prælatione. Idque comprobat successivum legatum favore Clericorum, *di* [illegible]*tine* relictum non modo *seguita la morte*, sed etiam *dopo di essersi fatta la nuova Chiesa, e formato il peculio del Sacro Monte della Pietà*. Gravia utique hæreditatis onera, & maximus puellarum descendentium numerus, modum fortasse requirent dotationis; nec absonum esset certum ex medietate saltem superextantium redituum statuere dotium numerum cum proposita prælatione, & sortitione.

Quo ad secundam instantiam pro creatione alterius census ad perficiendam Ecclesiam, non dissentit Œconomus, ut in eam causam superextantes potius erogentur reditus juxta votum Episcopi; sed cavendum rogat, ne ante perfectum opus permittatur distributio dotium. Ad hoc tamen notandum, quod initio anni 1792., quo porrectæ fuerunt preces Œconomi, ad hæc usque tempora elapsum est triennium, intra quod ex annuis scutis 190. superextantibus, cumulari debuit summa scutorum 570., major quantitate scutorum 372, 85. necessaria ad perficiendum ædificium Ecclesiæ.

Deliberandum itaque.

I. *An, a quo tempore, & quomodo sit locus distributioni dotium in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum sumptibus necessariis ad perficiendum Ecclesiæ ædificium in casu &c.*

Ad I. Affirmative post perfectum ædificium Ecclesiæ, redintegratum capitale venditæ domus, extinctumque censum scutorum 250., nec non expletum depositum scutorum mille & favore Puellarum agnatorum tantum ex familiis vocatis, servata methodo juxta votum Episcopi.

Ad II. Affirmative ex reditibus superextantibus ab anno 1791. inclusivè, & Episcopus curet omnino rectam administrationem, iniuncta ad hunc effectum Administratori redditione rationis facienda quotannis eidem Episcopo.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ALBINGANEN. Gravatur familia Ajcardi annuis legatis undecim. *Primum* est Nicolettæ Ajcardi Dodera, quæ die 15. Decembris 1671. legavit Loca MM. romana octodecim, aucta deinde ad 24., ut erogarentur eorum fructus in celebrationem Missarum pro ejus Anima.

Secundum Pauli, aliorumque de Ajcardis, qui annis 1629., & 1630. ex fundo scutorum 480. monetæ romanæ, annui nunc reditus scutorum 20. 50. tot celebrari jusserunt Missas in ipsorum suffragium.

Tertium Missarum quatuor in singulos menses, relictum ab Antonio Leone cum annuo reditu scutorum circiter 4. 50.

Quartum hebdomadalis Missæ, indefinite relictum ab Antonio Ajcardi ex universa sua hereditate.

Quintum annuarum Missarum 40. Augustini Ajcardi, ex quibus Albinganensis Episcopus tot celebrari jussit, quot ad eleemsynam obolorum 12. pro qualibet, caperet legati reditus scutorum circiter 3. 50.

Sextum Catharinæ Leoni anni 1628. duplicis menstruæ Missæ, & unius hebdomadalis ex reditu capitalis scutorum 100. annui reditus scutorum circiter quinque.

Septimum Augustini Mariæ Ajcardi anni 1680., qui fructu

ctus suæ hereditatis erogari mandavit in Missas.

Octavum Catharinæ Ajcardi Messia, ex quo in Missas pariter erogantur annua scuta circiter 30.

Nonum relictum a Benedicto, & Baptistina Ajcardi, duplicis est Anniversarii, & Missarum 208. ex reditu scutorum circiter 27. cum dimidio.

Decimum Missarum 33. in singulos annos, relictum a Finarino Gabbo.

Et *undecimum* Camillæ Zerbi Torre, pro quo ex Locis MM. sex cum dimidio romanis tot quoque celebrantur Missæ.

Qui præsunt modo familiæ Ajcardi, Hieronymus nempe, & Joannes Baptista, quos inter divisum est patrimonium, ultro fatentur, tentatam anno 1704., & denegatam fuisse dd. Missarum reductionem. Post continuatam tamen illarum celebrationem ad annum 1793. EE. Vestris supplicarunt pro illarum suspensione, & applicatione redituum partim in manutentionem utriusque eorum familiæ, partim in cumulum pro respectivis dotandis filiabus; quotidiana interim pro Legantibus collective celebrata Missa: favitque albinganensis Episcopus pro dotalibus cumulis favore quinque filiarum Joannis Baptistæ, adversatus omnino non fuit tribus filiis Hieronymi. Quamvis enim non existimaret, *Oratorum familias extrema inopia quo ad vitæ, honestoque cultui necessaria laborare*; arbitrabatur tamen, *quo ad filiarum dotale subsidium, præcipue filiarum Joannis Baptistæ Ajcardi, indulgendum esse. Ipse enim quinque in sua familia filias enumerat, ex quibus duæ ratione ætatis celerem collocationem expostulant; præter filium masculum, studiorum causa in Collegio propriis expensis degentem.*

De viribus autem cujusque fratris referens, notabat Antistes ipse quo ad Joannem Baptistam, quod vix ejus patrimonium attingeret *summam scutorum TREDECIM MILLIUM, in terris, & fundis implicatam*, quorum incertus esset reditus, veluti pendens *ab aeris vicissitudinibus, ac tempestatibus, quæ illa in regione frequentiores sunt*: atque hinc concludebat, quod *perpenso dicto patrimonio, ejusque reditu, non videtur, quomodo Oratoris filiæ subsidia dotalia ex ipso consequi possint; nam congrua propriæ conditioni dos, ac familiæ decori conveniens juxta regionis morem saltem duorum millium rom. scutorum esse de-*

 bet,

bet ; quam sane congruam dotem dd. filiabus suppeditare nequit Joannes Baptista pater pro earum collocatione , quin ejus patrimonium maximum patiatur detrimentum ; & quum familia prædicta omni industria careat , dict. Joannes Baptista , ejusque filius decursu temporis prope ad inopiam vergere deberent .

Quo vero ad Hieronymum , hæc habebat : *Hieronymus , PRÆTER bonorum liberorum partem fratri æqualem , habet etiam bona , fideicommisso transversali primogenituræ masculinæ subjecta , scutorum UNDECIM MILLIUM romanorum valoris , quorum major pars in terris , seu fundis constituta est . Jam ipse in matrimonium duas collocavit filias , pro quarum dotatione scutorum 2000. rom. in earum singulas propria bona libera hypothecavit ; altera superest collocanda , ac unus filius masculus .* Et ita suum postremo aperiebat votum : *Quod attinet ad dotationem filiarum Joannis Baptistæ censerem , si ita EE. Vestris videtur , mille scuta romana in earum singulas e paterno patrimonio esse desumenda , alia vero mille ex legatorum fructibus coacervanda , aliquo adjecto onere ad Animarum Fundatorum suffragium . Quod autem spectat ad filias alterius fratris Hieronymi Ajcardi , perpensis jam ab me commemoratis ejusdem oneribus , Vestro sapientissimo judicio relinquendum esse puto .*

Hac tamen non obstante informatione , rescripserunt EE. Vestræ die 12. Julii elapsi anni 1794. ; *Lectum ad instantiam .* At eidem adhærentes informationi , supplicant modo Ajcardi pro cumulo reditus legatorum ad dimidias saltem præstandas dotes respectivis ipsorum filiabus , usque ad scuta nempe 1000. pro qualibet ; seque refert Episcopus ad priorem informationem , quæ , ut Ipse ait , *fuit omni cum diligentia , & causæ cognitione exarata , ac plane dixerim elucubrata .*

Urgent Oratores in novis precibus respectivas ipsorum circumstantias , ut æquam suadeant petitionem . Ita profecto calculos ponit Joannes Baptista super suo patrimonio . Pro dotatione filiarum ejus quinque requiruntur scuta decemmillia , seu scuta bismille pro qualibet ; *nam congrua propriæ conditioni dos , ac familiæ decori conveniens , juxta regionis morem saltem duorum millium rom. scutorum esse debet* , ut referebat Episcopus in prima informatione . Si ad cogendam autem

sum-

summam scutorum decem millium alienari deberent bona, vix integrum sufficeret capitale scutorum 13000. ob infixum legatorum onus: nil ergo remaneret filio masculo, & familia Joannis Baptistæ peribit. Sibi vero incommodam dicit Hieronymus dotationem suæ nubilis filiæ ob alienum æs contractum pro altera nupta, & manutentionem masculi in Collegio. Atque ex his respectivam desumit paupertatem, ob quam ex piis Missarum legatis, ad instar patroni beneficii, succurri debeat, ut *in Lucana* 17. *Januarii* 1789., & *in Alben.* 24. *Martii* 1792.

Ponderandum vero, num legata in piissimam Missarum causam relicta, converti valeant in subsidia dotalia, contra *Clementinam quia contingit de religios. dom.* Maxime, quia illorum capitale in unum est scutorum 4500. circiter, cujus fructus longissimum exigeret spatium annorum circiter 40. ad conficiendum cumulum scutorum sex millium pro dimidia dote filiarum quinque Joannis Baptistæ, & alterius Hieronymi. Nimis sane durum videtur, tamdiu privare Legantium Animas suffragiis ad servandum patrimonium Aicardi rerpectivis Oratorum filiis masculis; eoque durius, quia pinguem Joannes Baptista habet substantiam scutorum 13. mil., pinguissimam scutorum 24. mill. Hieronymus, & uterque aliquid quotannis detrahere posset ex superfluis sumptibus, eumque in dotationem fœminarum conficere cumulum, quem constituere mallent cum detrimento Animarum purgantium, ut servent *vitæ*, *honestoque culti necessaria*.

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit locus suspensioni Missarum, & cumulo dotium in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

NOVARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Testamento anni 1665. erigi jussit Sacerdos Jacobus Pirotius in Oratorio S. Rochi loci Cervati perpetuam capellaniam trium hebdomadalium Missarum de jurepatronatus suæ familiæ, eique in dotem tot assignavit capitalia, quot annuum redderent fructum libellarum imperialium 300., seu scutorum 40. monetæ romanæ. In primis deinde codicillis anni 1670. statuit illius capi- *Sess.25. cap.4. de Reform.*

pi-

pitale in libellis 5000., seu scutis circiter 170. cum annuo onere Missarum 150., mandavitque, ut si erigeretur Oratorium in Parochialem, traderetur Parocho cum onere unius Missæ hebdomadalis. Secundis tandem codicillis anni 1671., cum quibus decessit, eamdem reliquit summam libellarum 5000. Communitati Cervati pro constituenda Parochiæ, vel capellaniæ dote; duplicemque Parocho, vel Capellano imposuit hebdomadalem Missam. Quatenus vero intra quinquennium nulla fieret erectio, aliter de capitali disposuit.

Quum nulla tunc de nova Parochia esset dispositio, erecta idcirco fuit anno 1674. capellania, assumpsitque Communitas administrationem ejus capitalis libellarum 5000., quæ in pluribus consistebant censibus annui fructus scutorum quinque in singula centum, & scuta in unum reddebant 40. Ventum hinc anno 1736. ad erectionem Oratorii in Parochiam, ejusque doti aliter Communitas, quam per unionem capitalium capellaniæ consulere censuit, ut in difficillimo loco assisteret Capellanus Parocho; Missam diebus saltem festis ad commoditatem Populi celebraret; puerosque alphabetum saltem edoceret. Positum sane est Cervatum ad summas Alpes in culmine Montis, quem plures per menses copiosæ onerant nives, ibique propterea segetes raræ, fructus rarissimi, & magno cum sumptu aliunde advehitur annona. Populus per villulas dispersus, domunculas in jugis Montium, veluti rapacium avium nidos inhabitat: duplici, ac triplici etiam lapide ab Ecclesia distat parochiali; & fere impossibile est, ut omnes in eam, hiemali præsertim tempore, ad unicam parochialem Missam conveniant.

Ob imminutos censuum fructus, vix modo capellaniæ reditus in scutis consistit 36. 75., licet largitione Communitatis auctum sit illius capitale in scutis 115. Hac de causa, & ob alpinam positionem loci, capellaniam resignavit anno 1782. Sacerdos Camossi, nec quispiam alius sive Sacerdos, sive Clericus (quorum nullus est in Parœcia Cervati) eam hactenus, non obstantibus edictis, postulavit. Detracta idcirco eleemosyna Missarum, quæ infra justum interim celebratæ fuerunt numerum, supererant ad superiorem annum 1794. scuta 34., aliaque erant exigenda 100. Ne diutius autem vacet capellania, pro qua ob difficultatem Sacerdotum celebrandæ adhuc sunt Missæ 500., EE. VV. supplipli-

plicant Sindici, & Consiliarii Cervati pro facultate investiendi summam exigendam in augmentum capitalis capellaniæ, & reductione hebdomadalium ad annuas Missas in Festivitatibus primæ classis; eorumque instantiæ quoad reductionem favet novariensis Episcopus in hæc verba: *Exploratum est, nullum Presbyterum ibi moram facturum, nisi taliter reducto numero Missarum dicto beneficio incumbentium, ut ex hujusce reditu, nec non ex stipendiis Missarum, quas libere valet celebrare, aliisque modicis incertis honestum sibi victum comparet, ad quem in ea sterili, ac montuosa regione scuta centum ad minus puto necessaria pro clericalis ordinis decentia. Rationabiles propterea censeo Oratorum preces, nec Fundatori injuriosas, quippe Populi servitium potissimum præ oculis habuisse dignoscatur*.

er annos centum & ultra fuerunt Sacerdotes, qui capellaniæ onera adimpleverunt cum eodem fere, qui modo est, reditu; nam vix decrevit in scutis tribus. Concedenda ergo non videretur Missarum reductio, qua tanto tempore Capellani non egerunt. Duplex siquidem hebdomadalis Missa, qua gravatur capellania, annua requirit scuta 15. 30. ad taxam Concilii Romani, quæ Episcopo teste, in novariensi servatur Diœcesi; ideoque ex reditu scutorum 36. 75. libera remanent Capellano scuta 21.45., & si addatur, quod juxta Episcopum ipsum, percipit Capellanus *ex stipendiis Missarum, quas libere valet celebrare, aliisque modicis incertis*, honestum fortasse sibi comparare potest victum.

t ponderare dignentur Emi Patres gravissimas illas circumstantias, quæ difficilem reddunt moram Capellani in infelicissimo loco Cervati. Sufficeret enim eleemosyna ad taxam perpetuæ, *si vel ubique, vel in commodiori loco, ubi Sacerdotum copia est, foret persolvenda: at loci natura, & adjuncta diversam exigunt providentiam . . . & in ea sterili, ac montuosa regione scuta centum ad minus puto necessaria pro clericalis ordinis decentia*. Verba sunt Episcopi. Idque confirmatur ex facto; nam ultro capellaniam resignavit anno 1782. novissimus Capellanus, neque ab eo tempore alius est, qui illam accipiat, non obstantibus edictis. In his porro terminis æqua videri posset Missarum reductio, ut *Viglevanen. 4. Aprilis* 1789. Num vero concedenda esset juxta petitionem, EE. Vestræ decernent.

Deli-

Deliberandum præterea de applicatione superextantium redituum favore capellaniæ. Utilius profecto esset Animæ Fundatoris, si ex hujusmodi redditibus supplerentur Missæ 500. non celebratæ, ut monet *Pasqualig. de Sacrific. Miss. tit.1. quæst.291. num.1.* Aliter vero suadere videtur necessitas augendi, quantum fieri valet, dotem capellaniæ, ut perpetuæ consulatur illius conservationi, *Garz. de Benefic. par.2. cap.1. num.15. & seqq.*, *& Sacra Congregatio*, *in Rignum Capellaniæ 7. Maii 1791. ad III. Dub.*, *& in Usellen. 17. Augusti 1793. ad II.*

Proponitur itaque.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus applicationi superextantium redituum in casu &c.*

Die Sabbathi 28. Novembris 1795. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ALBINGANEN. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo sit locus suspensioni Missarum, & cumulo dotium in casu &c.

Negative in omnibus.

NOVARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus applicationi superextantium redituum in casu &c.*

Ad I. Affirmative pro diebus dominicis.

Ad II. Affirmative in augmentum capitulis; detracta tamen summa necessaria pro Missis nondum celebratis, & in Ecclesiis ab Episcopo præfiniendis, celebrandis.

CALLIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM: Tria in hac Causa sub die 15. Decembris 1787. proposita fuerunt Dubia; I. *An, & quomodo Conservatoribus Societatis S. Mariæ Misericordiæ liceat assignare dotes* *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

favore pauperum puellarum etiam nobilium , & in qua summa in casu &c. ; II. *An sustineatur assignatio dotis facta a Conservatoribus dictæ Societatis favore puellæ Biscaccianti in casu &c.* ; III. *An , & cujus sumptibus conficiendæ sint expensæ litis in casu &c.* ; & ad primum EE. Vestræ rescripserunt , *Dilata , & ad Emum Antonellum cum Episcopo juxta mentem , facto verbo cum Sanctissimo* ; ad secundum , *Negative , & amplius* ; ad tertium , *Affirmative propriis sumptibus Conservatorum, qui liti consenserunt* . Juxta mentem vero Sacræ Congregationis ad primum , demandavit *Sanctissimus* Emo Antonello , & calliensi Episcopo Apostolicam Societatis visitationem *cum omnibus facultatibus necessariis , & opportunis ad effectum visitandi statum œconomicum supradictæ Societatis , Statutaque illius reformandi , & nova condendi , quatenus opus fuerit , præsertim pro recta administratione bonorum , & annua redituum erogatione , habita ratione temporum , Fundatorum , & fundationis* .

Statim Emus Antonellus admovit manus operi , suasque omnes facultates eidem commisit Episcopo , in hæc verba præscribens , *ut visitationem utriusque nomine aggrediens , omnibus Societatis Gubernatoribus convocatis , Apostolicæ visitationis decretum solemniter recitari mandaret : debitam ab omnibus obedientiam exigeret, simul præcipiens , ne quidquam se inscio facerent , vel absque sua auctoritate : officio dignos confirmaret , male probatos reiiceret : Administratores officio jam functos , si qua probabilis in eos esset suspicio , ad rationes dispungendas cogeret , easdemque a præsentibus exigeret : Scribam etiam , qui acta visitationis conscribat , Ratiocinatorem , qui rationes conficiat , & rei agrariæ Peritum , qui fundos Societatis visitet , eligeret : tum fieri juberet tabulas universi Societatis patrimonii , seu ut ajunt , statum ejus activuum , & passivum , in quo recenserentur fundi , nomina debitorum , supellex , numerata pecunia ; indicarentur prœdia , quæ ob imminutionem passam sarcienda forte essent ; describeretur demum quidquid Societas annuatim pendit , sive æris alieni , sive canonum , sive impensarum causa : quæ tabulæ tamen ita ordinarentur , ut quoniam Societatis patrimonium multiplex est , a pluribus Fundatoribus cum diversis legibus ei relictum , singula bona singulis patrimoniis adscriberentur , iisque suum cuilibet peculiare*

liare onus adiiceretur, quod ex voluntate Fundatoris, vel ex legitima consuetudine proficisceretur.

Præterea, ne pateretur, nominum solutionem, diutius dilatam, incertiorem fieri: dumque Societas sub visitatione esset constituta, ut pia opera, quæ magis urgerent, exequi curaret, v. g. Nothos, seu Expositos exhiberi, ægrotos curari &c.; alia, quæ suo genere, moram ferre possent, suspenderet: quæ vero pia Funtores opera præscripsissent, si reditu bonorum forte imminuto reducenda essent, ad suum quæque patrimonium ita accommodaret, ut reditibus paria fierent: regulas demum, seu instituta conficeret, non de oneribus solum ferendis, sed de numero etiam, qualitate, & electione Gubernatorum; de modo & Congregationis habendi, & Fratres aggregandi; de Religionis operibus, quæ Sodales, instar aliarum piarum Societatum, exercerent; de eo denique omni, quod ad Societatem rite ordinandam, atque instituendam maxime conveniret.

His omnibus expletis, suam Episcopus misit relationem ad Emum Convisitatorem, & ducta ab ineunte sæculo XIV. origine Ecclesiæ S. Mariæ de Misericordia Callii, constare ait Sodalitium & Hospitale in ea erectum, quatuor patrimoniis. *Primum* est proprium annui reditus scutorum 318. 75. 2 ½. *Secundum* consistit in hereditate Joannis Antonii Ranaldi, redditque scuta 136. 38. 4 ½. *Tertium* in hereditate Hectoris Benedicti Felici, quæ dat scuta 44. 01.. Et *quartum* in hereditate Victorii, & Præsulis Benedicti Luperti annui census scutorum 40. Hæc vero cuique patrimonio incumbere onera. Proprios Sodalitii reditus erogandos esse juxta literas Clementis VII. *in dotes pauperum puellarum, in illius* [Hospitalis] *augmentum, pauperum, & miserabilium personarum receptionem & subventionem, & alia charitatis, & pietatis opera, quæ in ipso Hospitali exercentur*; atque ex consuetudine, & quibusdam superadditis fundationibus, in celebrationem Missarum pro defunctis Conservatoribus Hospitalis, distributionem panis inter pauperes, & similia. Reditus Ranaldi, relictos sub simplici prohibitione, ne erogarentur in dotes puellarum nubentium in sæculo, erogari consuevisse in subsidium expositorum infantium. Illas Felici in eleemosynas Religiosis mendicantibus, aliisque pauperibus, & dotes. Eosque demum Victorii Luperti in largitionem florenorum 50. puellis

erigendi Orphanotrophii, & dotes scutorum 25., ac Præsulis Benedicti in dotes spirituales primum, deindeque temporales.

Attingunt in summa universi reditus scuta 514. 15. 1 ½, onera summam scutorum 290. 56. 4 ½, ideoque superesse quotannis deberent scuta 223. 58. 2., ex quibus plurimum transactis annis augeri potuisset patrimonium Sodalitii. At unum omnino acquisitum est prædium habita fide de pretio scutorum 755., tribuitque Episcopus causam impensæ scutorum 1420. 58. ad reparanda terræmotus damna, inexactis creditis scutorum 1770. 20. 3 ½, quæ pro summa scutor.921. 26. 2. nullius sunt spei, & arbitriis potissimum Conservatorum in erogatione redituum. Prædia rustica de cætero in bono sunt statu, vixque nonnullis indigent plantationibus, ampliori armento, & grege; urbana sumptum exigunt scutorum 533.

Hæc Episcopus de statu œconomico: hæc vero de morali = *La Compagnia per se stessa è in una estrema decadenza, Pochissimi sono gli ascritti, e questi non si radunano mai alla Chiesa, nè mai vestono l'abito, salvo che quando fanno l'insignificantissima figura d'intervenire forzatamente in numero di otto, o dieci alle pubbliche processioni. Gli esercizj di pietà, e di carità, ai quali dovrebbero pur prestarsi secondo il loro istituto, sono onninamente trascurati, e ignorati anche. Che se v'ha pur qualche numero di Fratelli, che chieggono d'esser ascritti. ciò è in grazia della dispensa di pane, che a quando a quando ricevono, conforme si disse d'un certo dritto, che tengono di chieder qualche sussidio dotale per le loro figlie. Non solamente non è sperabile, ma non si crede ne pur conveniente e giovevole il procurare, che questa inutil Compagnia risorga.*

Retulit insuper, universam Sodalitii administrationem gerere Conservatores duodecim, quos eligunt Sodales In unum eos ad opportunitatem convenire, legitimasque censeri ipsorum resolutiones, si quatuor, vel tres interveniant: resolutionum executorem esse Priorem, qui cum annua mercede scutorum 10. codicem retinet rationum, exigit, contrahit, armentum, & agricolas curat; Depositarium vero, administratorem annonæ, reique infantium expositorum cum mercede scutorum sex cameralium: atque exemptionem jactare Consertores a jurisdictione episcopali ex verbis illis literarum Cle-

Clementis VII. = *De Hospitali, seu Ecclesia, uti de beneficio ecclesiastico, Apostolica, vel ordinaria auctoritate provideri, seu alias disponi, vel illius fructus, reditusque &c. aliæ Ecclesiæ, aut loco pio applicari, & appropriari nequeant, sed semper Hospitale pauperum existat, & PER EOSDEM FRATRES, ut præfertur, GUBERNETUR*. Quæ tamen verba præseferre ait simplex loci pii gubernium, non item illius exemptionem a sua ordinaria, vel delegata jurisdictione; idque pluramis comprobavit posterioribus exercitæ jurisdictionis actibus, rebusque etiam judicatis. Plura tandem ad componendum Sodalitium, & Hospitale, omnesque removendos abusus Emo Convisitatori proponebat.

I.

„ Che sopra ogn' altra cosa s' insista nella sollecita ricu-
„ pera de' crediti, che rimangono ad esigersi nella
„ somma di scudi 1770. 20. 3. $\frac{1}{3}$, o almeno di tutto
„ quel maggior valsente, che si potrà secondo le cir-
„ costanze.
„ Che questa somma sia onninamente riservata al solo
„ oggetto di compiere il ristauro delle fabbriche, di ri-
„ mettere i terreni in stato buono, e di pagare il prez-
„ zo, che devesi al Monastero di S. Nicolò in scudi 755.,
„ senza che sia lecito il farne altro impiego, al qual
„ fine si formi di questa azienda un conto distinto.
„ Che per l' avvenire sia ugualmente, come per lo ad-
„ dietro, in libertà del Consiglio di scegliere, e nomi-
„ nar dodici Conservatori a loro arbitrio, ma che non
„ possano mai esser meno di otto, tanto che s' abbia
„ per invalida ogni risoluzione, la quale si faccia in un
„ tempo, in cui il numeso de' Conservatori residenti
„ in Città non sia almeno di altritanti.

II.

„ Che i Fratelli abbian diritto, come hanno sempre avu-
„ to di confermargli, ma che non possan però entrare
„ in uffizio senza l' approvazione del Vescovo, a cui
„ sia riservata anche la facoltà d' approvarli, quando
„ trovi irragionevole il dissenso de' Fratelli, e di eleg-
„ gergli anche di sua autorità quando dopo un termine
„ prescritto primo ai Conservatori, quindi a' Fratelli

non

„ non si proceda alla elezione de' mancanti fino al detto
„ numero di otto.

III.

„ Che s' abbia per nulla qualunque risoluzione presa da
„ Conservatori quando non si sieno congregati in nu-
„ mero almeno di sei, e che gl' interessenti non abbian
„ favorita la proposta almen con un voto al di sopra
„ della metà.

IV.

„ Che neppur s' abbia per valida, quando Monsignor
„ Vescovo non intervenga, nè deleghi altri ad inter-
„ venire per lui al Consiglio, o pur quando la risolu-
„ zione presa non sia posteriormente approvata da lui
„ medesimo: e che per ciò il Priore abbia obbligo di
„ farlo avvertito del prossimo Consiglio, ogni volta,
„ che egli antecedentemente dichiari una volta per
„ sempre di volerne essere inteso.

V.

„ Che si rimetta in pratica la legge fatta dai Signori Con-
„ servatori ne' loro capitoli approvati nel Consiglio
„ del dì 7. Gennaro 1675., che assolutamente si deb-
„ bano adunare quattro volte l'anno la prima settima-
„ na dopo ciascun sabato delle quattro tempora, an-
„ corchè non vi fosse un particolar bisogno.

VI.

„ Che alla fine di ciascun anno si faccia la revisione da due
„ Conservatori da destinarsi nel Consiglio avanti Pas-
„ qua, e che questa revisione debba onninamente ri-
„ portarsi al Consiglio avanti Natale, e quindi esibirsi
„ a Monsignor Vescovo per ottenerne l' approvazione.

VII.

„ Che secondo i già detti capitoli, e secondo l' uso in-
„ veterato, ogn' anno nel Consiglio avanti Pasqua si
„ estraggano due Conservatori, che vadano a visitare
„ i beni della compagna, e riferiscan poi nel Consi-
„ glio seguente, e che per tutto quell' anno col nome
„ di Presidenti si prestino a tutti i bisogni della Com-
pa-

„ pagnia, e arbitrino di certe leggiere cose; dove non „ mette conto ragunar Consiglio a bella posta.

VIII.

„ Che non si faccian più le amministrazioni distinte de „ quattro patrimonj della Fraternità, del Ranaldi, „ del Felici, e del Luperti, ma che piuttosto sieno „ consolidati in un solo, o indistinto capitale, cioc- „ chè sembra potersi far, salva la mente de' respettivi „ Testatori, come si avvertirà meglio più sotto.

IX.

„ Che se ad ogni buon fine si credesse di dover aggiugne- „ re a questa unione, e incorporazione il peso dell'au- „ torità Apostolica, se ne avvanzino suppliche a No- „ stro Signore. Questo compenso non solamente ren- „ derebbe più comoda, e più facile l' amministrazio- „ ne, ma toglierebbe anche per sempre in avvenire „ ogni pericolo di derogar forse alla mente de' respetti- „ vi Testatori coll' impiego delle rendite in causa estra- „ nea della loro volontà.

X.

„ Che sia soppressa la Messa quotidiana, che si fa celebra- „ re nella Chiesa, come indipendente da qualunque dis- „ posizione, e come poco conforme allo spirito de' „ Testatori, i quali precisamente hanno lasciati i loro „ capitali al sollievo de' poveri: Che la celebrazione sia „ ristretta a soli giorni festivi: Che sieno salve le cin- „ que feste, che ivi si celebrano: Che le Messe in „ ciascuna festa non sieno meno di sei: Che si applichino „ quanto alle prime due feste di S. Biagio, e della „ Visitazione secondo la volontà di Girolamo Poli, „ quanto alla terza del Corpus Domini per l' anima di „ Giambattista Scarpellini, quanto alle rimanenti a „ suffragio de' benefattori, e de' Fratelli defonti, cui „ sieno applicabili anche quelle de' giorni festivi; e „ che alla morte di ciascun Conservatore sien celebra- „ te Messe cinquanta.

Che

XI.

„ Che frà l'anno in certo tal determinato giorno si cele-
„ bri una Messa nella Chiesa della Compagnia per l'
„ anima di Angiol Maria Felici.

XII.

„ Che sia eseguito secondo la lettera del testamento il le-
„ gato di Luca Baldo Cipolla, e che per lo tempo de-
„ corso s' impetri occorrendo da Roma la composizio-
„ ne, e la sanatoria di concerto coi Signori Canonici.

XIII.

„ Che si corrisponda alla Chiesa di Pigno annualmente un
„ sol fiorino per la celebrazione di tre Messe, e non
„ più baj. 72. 4., come si è costumato per l' addietro.

XIV.

„ Che sia soppressa la limosina delle sei rubbia di grano
„ panizzato come cosa insignificante al bene della po-
„ vertà: ma che si dia piuttosto qualche leggiera cosa
„ da fissarsi, e stabilirsi in Consiglio a' Fratelli interve-
„ nienti alle processioni, e qualche altra a gli Officiali
„ della Compagnia in luogo del pane, che vengon così
„ a perdere.

XV.

„ Che in esecuzione della mente di Ettore Benedetto Fe-
„ lici si dia ogni anno non in ragion di legato, ma di
„ limosina ai Min. Riformati, e ai Minori Cappuccini
„ che sono gli unici in Cagli, i quali entrino legittima-
„ mente nella cattegoria *de' poveri Religiosi mendi-
„ canti*, secondo la dichiarazione fatta dalla sa. me. di
„ Clemente XI. in un' Enciclica ai Legati, e Gover-
„ natori dello Stato Ecclesiastico sotto il dì 26. Agosto
„ 1708., un valor di scudi sei per ciascun Convento
„ in olio, grano, o altro genere, che più sodisfaccia:
„ salvo sempre l' arbitrio a' Conservatori di poter se-
„ condo le circostanze, e i bisogni accrescer di qual-
„ che altra cosa questo caritativo legato, o di poterlo
„ anche diminuire, quando le rendite d' un qualche
„ anno nol comportino.

Che

X V I.

„ Che le doti annue, le quali sono state fin qui confe-
„ rite in numero di cinque, sieno in avvenire accre-
„ sciute fino al numero di dieci, cinque delle quali
„ sieno date per scrutinio, e a maggioranza de vo-
„ ti fra le Zitelle concorrenti la festa del Corpus Do-
„ mini, e cinque il Natale, e che il loro valsente sia
„ accresciuto da scudi 4. 44. 4. a dieci scudi ducali,
„ o sieno romani scudi 6. 66. 3. un terzo, il qual ac-
„ crescimento è comportabilissimo in grazia delle an-
„ zidette soppressioni.

X V I I.

„ Che queste doti non si debban dar per necessità, ma
„ solamente in caso, che vi sieno Zitelle concorrenti
„ anche del Territorio.

X V I I I.

„ Che sia lecito ai Conservatori il conferire ne casi par-
„ ticolari più d'una di queste doti ad una stessa per-
„ sona, massime in circostanza del Natale qnando
„ veggasi, che quel tal anno per difetto di chi con-
„ corra non è stato esaurito il numero delle dieci.

X I X.

„ Che colla distribuzione delle doti nel Natale s'intenda
„ supplito nella possibil maniera alla mente del fu Vit-
„ torio Luperti, e di Monsignor Benedetto suo fra-
„ tello : salva nel resto qualche altra miglior prov-
„ videnza quando coll' andar del tempo riuscisse di
„ ricuperar altra porzione del loro capitale eredita-
„ rio : e specialmente poi salvo il diritto, che com-
„ peterebbe all' Orfanotrofio, ogni volta, che si eri-
„ gesse, di poter aver dalla Compagnia, se non
„ cinquanta fiorini, come dispone Vittorio, almeno
„ qualche annua corrisposta proporzionata ai frutti
„ della eredità.

X X.

„ Che oltre le dieci doti già dette, ogn' anno debbano

 i Con-

,, i Conservatori per obbligo, e in adempimento del-
,, la volontà di Ettore Benedetto Felici dar altra dote
,, di scudi 20. romani un anno a propria scelta, e un
,, altr'anno a scelta e nomina della di lui linea, prefe-
,, rendo secondo la di lui mente quelle Zitelle, che
,, meritassero forse per la loro estrazion nobile qual-
,, che riguardo di prelazione: al qual effetto, quan-
,, do tocchi alla Compagnia, sia antecedentemente
,, affisso un Editto invitatorio, e abbia diritto a que-
,, sta dote tanto chi volesse maritarsi, quanto chi volesse
,, farsi religiosa.

XXI.

,, Che sia lecito ne casi particolari, e concorrendo il
,, consenso de' Signori Felici di destinare ad una stes-
,, sa persona questa medesima dote anche per cinque
,, anni da decorrere.

XXII.

,, Che seguendo la lodevol pratica altre volte tenuta,
,, non sia mandata ad effetto nessuna concessione di
,, dote, quando non siegua la monacazione, o il ma-
,, ritaggio nel termine di un anno, e che in quest' ul-
,, timo caso s' insista sempre per la repetizione, quan-
,, do la donna così dotata vada a morir senza figli,
,, il che si è sempre trascurato di fare, non ostante
,, che questa tal legge fosse fatta fin dal Consiglio del
,, dì 20. Giugno 1557., a mano a mano inculcata an-
,, che dipoi, e ciò che è più, inserita sempre fino
,, a giorni nostri in ogni strumento di quietanza.

XXIII.

,, Che in adesione alla mente di Gian Francesco Ranal-
,, di, e per qualche modo anche di Monsignor Benedet-
,, to Luperti si possa da Conservatori ogni triennio
,, conferire nelle feste di Natale ad una Zitella, mas-
,, sime nobile, una dote monastica di scudi cento ro-
,, mani, o anche più secondo che si crederà conve-
,, niente, e proporzionato alle circostanze. Al qual
,, effetto si dovrà affiggere come si praticava per
,, lo addietro un Editto invitatorio. Essendosi co-
stu-

„ stimato fin da gran tempo, che le rendite Ranaldi si destinino al mantenimento de' bambini esposti, e a questo modo non essendo mai sopravvanzati annualmente più di scudi 9. 59. 1. come si disse al cap. II. §.3., quando si siegua in avvenire ad avere lo stesso intendimento anche nel sistema della progettata confusione de' patrimonj, è chiaro che non resterà mai derogata la mente del Ranaldi, perchè non vi sarà pericolo, che porzione delle sue rendite cadano a benefizio di Zitelle determinate al matrimonio. D'altronde i Conservatori col dar questa dote monastica si faranno incontro facilmente alla di lui intenzione.

XXIV.

„ Che non solamente possano, ma debbano anche i Conservatori estendere secondo lo spirito del loro istituto, e la mente de' primi benefattori, massime poi di Ettore Benedetto Felici, la loro carità a poveri infermi, ed invalidi così della Città, come del territorio, massime a petizione de' Parrochi, sovvenendogli dell' occorrente: il che sia un arbitrio de' soli Presidenti, i quali previa una schedola di raccomandazione del Parroco, possano in calce della memoria tirar ordine, e bolletta al Priore indipendentemente dal Consiglio, purchè nol facciano di più somma, che di venti paoli ad una stessa persona. Questa provvidenza è molto analoga ad altra, che fu presa nel Consiglio sotto il dì 20. Giugno 1557. per gli casi occorrenti di bisogni, e limosine, che non soffrivan dilazione, ne si potevan comodamente rapportare al Consiglio: anzi allo spirito del primo istituto, per cui siccome fu detto al cap. IV. §. 3., ogni dispensa à poveri era interamente rimessa all' arbitrio di tre Discreti, e diciam pur anche alla pratica de' nostri ultimi tempi, in cui si vede non rade volte confidato in mani di qualche Conservatore qualche somma di danaro da dispensarsi a poveri a suo arbitrio. Ma è più preciso poi lo stabilimento, che apparisce fatto nel Consiglio del dì 20. Giugno 1557., dove si conviene, che ogni due mesi sieno estratti dal numero de' Rettori due Mensali, i quali ab-

„ bian la incombenza = *di far le bollette , e sottoscri-*
„ *vere intorno all'elemosine di poca importanza* .

X X V.

„ Che si debba onninamente proseguire l' importantissimo oggetto del mantenimento degli esposti fino a quell' età , che i Conservatori giudicheranno propria , e conveniente : sulla quale azienda il Camerlingo non abbia il menomo arbitrio , salvo quello di trovar le balie , e di corrisponder la mensualità : che alle donne esposte sia determinata una dote di scudi 33. 33. 1. due terzi . Salva nel resto una qualche altra provvidenza , la quale tenda , come sarebbe necessario alla loro educazione , e sicurezza , ciocchè esige tempo , e maturità .

X X V I.

„ Che si dia albergo come prima à poveri Viandanti, ma solamente per una sera , essendosi trovata cosa molto pericolosa il trattenergli di più ; che in caso d' infermità sia loro somministrato tutto l'occorrente di cibarie , e di medicinali anche in adesione alla volontà d'Angiol Maria Felici : e che si faccia la medesima cosa ad altri infermi , che ivi sieno ricevuti .

X X V I I.

„ Che oltre ciò abbiano i Dodici facoltà ed arbitrio di estendersi di più oltre di così , e costituir anche maggiori doti , e limosine , quando dopo fatta la revisione , e non mai prima, si vegga , esser la Compagnia in avvanzi , e in possibilità di supplire a maggiori oggetti : tantochè in una delle feste di Natale si dovrà onninamente tener Consiglio , e ivi legger la revisione , che dovranno portare i due Deputati a ciò costituiti nell' antecedente Consiglio della Pasqua , dopo la qual lettura , e residuato l' avvanzo della Compagnia , si dovrà stabilir subito l'erogazione di una tal rimanenza , riservato ciò che occorra forse di tener addietro per assicurazione della dote Felici , e Ranardi , o pur non volendosi per allora stabilire, si dovrà onninamente collocar subito nel Sacro Monte di Pietà per farne opportunamente l'uso , che sarà giudicato proprio , e consentaneo a bi-

„ a bisogni : il qual deposito sarà conciliabile co' bi-
„ sogni , che ha continuamente di danajo il Camer-
„ lingo : subito che la revisione sia limitata sempre ,
„ conforme si pratica anche adesso , all'anno ante-
„ cedente, e così restino in di lui mani le rendite dell'
„ anno , che corre .

XXVIII.

„ Che di questo avvanzo possano i Conservatori far l'uso,
„ e l'impiego , che vogliono senza nessuna relazione
„ alle volontà degli ultimi Testatori , le intenzioni de'
„ quali restano così , come si è detto , a bastanza adem-
„ piute , giacchè con questo sistema ogni sopravvan-
„ zo dovrà riputarsi proprio della Fraternita , e quindi
„ non legato a verun preciso destino , salvoche in ge-
„ nere alla sovvenzione de' bisognosi .

XXIX.

„ Che l'amministrazione de' beni debba risieder come pri-
„ ma presso due Offiziali , il Priore cioè , e il Camer-
„ lingo : che il Camerlingo cioè non possa ricever
„ entrate , ne fare il menomo pagamento senza bol-
„ letta del Priore , salvo che per la spesa degli esposti:
„ e che il Priore non possa mai tirar nessuna bolletta
„ di pagamento , che non sia stato autorizato dal Con-
„ siglio : che l'uno e l'altro poi debban tenere il rispet-
„ tivo conto di amministrazione proporzionato al loro
„ diverso dipartimento .

Aliqua de his inter Episcopum , & Emum Antonellum fuit dissentio , remque Emus Convisitator ad Vestrum detulit judicium , ut quid in controversis optimum factu esset decerneretis , cætera confirmaretis . Diversam vero ab Episcopo in prima sua relatione servabat methodum , & hanc afferebat rationem = *Quoniam tot res , tamque diversas complecti debeo , unde obscura , ac prolixa fieret oratio mea , nisi singula , quæ pertractanda sunt , & suo loco , & quodam ordine disponantur , hinc in quatuor partes eam dividam , quarum prima erit de œconomico Societatis regimine ; altera de politico ; tertia de spirituali ; postrema de nonnullis extra ordinem capitibus, quæ facili atque expedita ratione statim dirimi possunt. Singulis partibus Dubia subiiciam ab EE. Vestris definienda .* De

De proprio igitur Societatis patrimonio in *primo* agebat relationis capite, & hæc habebat *sub* §. 1. = *Quum Episcopi sententiam in plurimis comprobare æquissimum judicem, nihil est, cur in iis, in quibus concordes sumus, referendis explicandisque tempus frustra teram. Igitur de illis solum, in quibus ab Episcopo dissentio, verba faciam. Hujusmodi primum sunt* 50. *Missæ, quas in funere cujuslibet Conservatoris celebrari jubet Episcopus* (in X. propositione) *At vereor, Emi Patres, ne cui videatur, nimis oneris Societatis patrimonio imponi, cui transactis temporibus non erat obnoxium. Quamvis enim deceat, Societatem gratam esse Conservatoribus, qui dum vita fruerentur, labore, studio, & diligentia sua ei profuerunt, tamen & patrimonii Fraternitatis, quod est pauperibus sublevandis destinatum, & pietatis, quam Conservatoribus defunctis debet Societas, rationem satis haberi puto, si suffragia ab Episcopo præscripta reducantur ad decem Missarum officium, in singulorum Conservatorum funere celebrandum. Itaque decernetis Emi Patres.*

Dub. I. Utrum in funere cujuslibet Conservatoris celebrandæ sint Missæ 50., *an decem Missarum officium?*

Sequitur pia quædam panis in pauperes largitio, cujus annua impensa est scutorum 26. 33., *quamque abrogat Episcopus* (in propositione XIV.) *ideo quod eam inquit esse = cosa insignificante al bene della povertà, e che si dia piuttosto qualche leggiera cosa da fissarsi e stabilirsi in Consiglio a Fratelli intervenienti alle processioni, e qualche altra agli Officiali della Compagnia in luogo del pane, che vengono così a perdere.*

At contra ego eam retinendam puto. Causæ, quæ me movent, sunt constantissima, plusque duobus sæculis antiqua consuetudo; plura Congregationum Societatis decreta, quibus ea largitio probatur & confirmatur; notissima pauperum conditio, quibus ea largitas in Festis Dominicæ Nativitatis, & Resurrectionis facta, licet tenue, tamen gravissimum levamen pauperibus est; plebis demque ingenium, quæ notissimo, atque optato hoc congiario privata, erumpet in querimonias, haud sane spernendas in ea Urbe, quæ Montibus circumscripta, sæpius annonæ inopia laborat. Quum enim eam vel ignotam plebs expetat, qui poterit carere cognita? Et re quidem vera recentioris Congregationis decretum habitæ die 30. *Martii* 1713., *quo panis largitio fuerat suspen-*

spensa, seu potius deleta, in irritum accidit: quod ipsum argumento esse debet, Confratres suum abrogare decretum, moremque pristinum hujus largitionis retinere, quadam veluti necessitate compulsos fuisse. Ita nunc quoque evenire facile posset, si plebs, hujus visitationis finem expectans, hoc uno permoveatur, ut eam, tota largitione sublata, latissime condemnet, retenta, quam maxime laudet. Quamvis autem Societatis utilitas, non populi voluntas nobis sequenda sit, tamen prudentiæ erit, causam ita popularem, nec perniciosam, ut possit reprehendi, tueri potius, & conservare, quam perdere, & delere.

At modus adhibeatur, scilicet excludantur Conservatores, Ministri, qui suorum laborum mercedem accipiunt; annona deinde nonnisi quam in pauperes a suo Parocho commendandos distribuatur. Vos nunc Emi Patres definitote.

Dub. II. Panis largitio supprimenda ne sit, an retinenda pro pauperibus, Parochi testimonium de sua paupertate afferentibus?

Alterum patrimonii Societatis grave onus est dotium distributio. Multa quidem sunt, quæ in regulis positis sub numeris 16. 17. 18. 22. recte, & prudenter Episcopus statuit de dotibus numero, & quantitate augendis; de tempore, & lege, quibus solvi illæ debent; de modo puellas dotem habituras eligendi. Verum tria sunt, quæ mihi quidem videntur addi, vel mutari posse. Primum servanda in primis esset perantiqua consuetudo, quam præteriit Episcopus, videlicet ne puellæ ad dotis petitionem admittantur, nisi Parochus testetur tum de earum honestate, tum frequenter ad Christianas Catecheses audiendas convenisse. Deinde nollem, puellas jam electas, post anni tempus a jure dotis decidere, uti statuitur in regula 22., quum multis de causis, justis quidem, & frequentibus possit contingere, ne statim puellæ aut nubant, aut Religionem ingrediantur; potiusque decernerem, ne dos antea solvatur, quin prius matrimonium initum, aut professio religiosa emissa esset.

Postremo optarem, ne certus annuus dotium numerus præfiniatur, sed exactis rationibus in fine cujuslibet anni, retentaque ea pecunia, quæ cuilibet diligenti patrifamilias ad extraordinarias impensas necessaria est, antequam novi reditus percipiantur, quod reliquum est, in dotes erogetur. Observatum enim a me est ex tabula

Pe-

Periti ratiocinatoris, impensas in ægrotis curandis factas, decem annorum spatio quam maxime excrevisse. Vellem equidem, contrarium evenire, hominumque sanitatem in posterum ita confirmari, ut Societatis reditus magis impendendi sint pro mulierum matrimoniis conciliandis, quam morbis depellendis. At quomodocumque res se habeat, quum ex his duobus oneribus, quæ Societati inhærent, multo quidem pluris urgeat ægrotorum curatio, quam dotium distributio, cur dotium numerus statuetur, qui debebit forte augeri, vel imminui, prout minus, vel plus in ægrotos curandos impensum fuerit?

Vestrum igitur erit Eminentissimi Patres definire.

Dub. III. Annuarum dotium, quæ præstantur ex Societatis patrimonio, sit nec ne præscribendus certus numerus? & an aliæ qualitates, præter illas ab Episcopo requisitas, exigendæ sint a puellis dotem petituris? Demum quo tempore dos illis solvenda.

Statim nunc progrederer ad cætera patrimonia, ne patientia Vestra abuti viderer Emi Patres. At me vel invitum cogit Episcopus de eo disserere, quod proponit sub numeris 8. 9. 19. 28., quod quidem æqualiter ad omnia patrimonia pertinet. Suadet igitur, ut ea quatuor patrimonia, quæ a Societate possideri diximus, in posterum confundantur, eorumque reditus non seorsim administrentur, sed in communi Societatis ærario immittantur, & prout opus opus fuerit erogentur. At ne assentiar Episcopo, vetant me juris regulæ; aliarum Societatum exempla; longæva consuetudo; demum lex ipsa, quam egomet Episcopo indixi initio Visitationis.

Et sane quis ignorat, a Synodo Tridentina in cap. 6. sess. 22. de reform. decerni, ut commutationes ultimarum voluntatum nonnisi justa, & necessaria causa fiant? At si tolleretur in Societate calliensi distinctio patrimoniorum, separata singulorum administratio, ac reditus passim, & confuse, non juxta cujuslibet patrimonii a Fundatoribus præscriptas leges erogarentur, commutarentur profecto voluntates Fidelium, qui sua bona diversis dissimilibusque legibus Societati reliquerunt, ut in certum pium opus impendantur. Immo pius largitor Ranaldi, qui Societatem heredem instituit, expresse vetuit, ne suis unquam bonis uteretur ad subsidia dotalia puellis comparanda. At diversa hæc Fundatorum placita, præcepta, & leges servari

pror-

prorsus nequeunt, nisi distincta fiat cujusvis patrimonii administratio, redituusque singulorum erogatio.

Frustra vero reponeret Episcopus, non hic agi de commutandis Defunctorum voluntatibus, quæ sancte, & inviolabiliter sunt servandæ, sed dumtaxat de varianda diversorum patrimoniorum administratione, ut facilius cujusque negotia, ac rationes expediantur. Hæc enim ipsa communis bonorum administratio tum lædit ipsa per se voluntatem cujuscumque Testatoris, quoniam unusquisque optat, & jubet, ne quæ liberaliter donavit, vel memoria excidant, vel cum alicuis largitionibus commisceantur, tum etiam fieri nunquam posset, quin aliqua saltem ex parte decedentis voluntas commutaretur.

Universum enim Societatis patrimonium constat vel censibus, vel fundis ab unoquoque Testatore relictis. Si census pereunt, si fundi evincuntur, si ex ipsa soli natura, aut etiam Coeli inclementia, aut beneficio uberiores, seu potius steriliores evadant, nonne lucrum, aut jactura singulis quibusque hereditatibus adscribenda est, a quibus fundi in societatem derivarunt? Ita postulat omnis justitiæ, & æquitatis ratio. Pari jure, si auctis, aut imminutis fundorum reditibus, onera quoque vel amplianda, vel immiunenda sint, istud quoque iis hereditatibus accensendum est, quarum vel auctæ, vel imminutæ opes, onerum, quibus gravantur, proportionatam exigunt vel moderationem, vel ampliationem. Collatis autem in unum acervum omnibus Societatis reditibus, iisque promiscue administratis, jam quisque videt, parvo temporis intervallo ignorari penitus, a quo pio largitore bona donata sint, nullamque haberi posse rationem, num injunctis oneribus respondeant uniuscujusque patrimonii vires; atque illud fieri posse, ut quæ dotibus addicta sunt bona, in alimoniam infantium expositorum, in medicamina infirmorum, aut vicissim impendantur. Non hoc est Defunctorum voluntates confringere, ac violare placita, ab ipsis pro Religione præscripta?

Antiquissima demum consuetudine moveri Episcopum oportebat, quæ & in hac Urbe, jubente præsertim Sacra hac Congregatione, atque in ipsa calliensi Societate semper observata est, dividendi, ac separatim administrandi cujuscumque pii Operis bona, quin ulla unquam confusio, ulla perturbatio orta fuerit, nisi

fraude, aut negligentia administratorum. Hæc qualiscumque sit mea sententia, Episcopo jam pandita fuerat in prima mea epistola, cum illi quid ego putarem, ab se in hac Causa gerendum esse significavi. Iterum scripsi, cum ad me primum egregiam suam relationem transmisit: at ille in suo sensu persistens, impetrandam potius dixit Pontificis veniam, quam in eo administrationis genere perservandum, quo usa fuerat Societas, quæque talem, ac tantam pepererat confusionem.

In hac sententiarum varietate vestrum modo erit Eñi Patres statuere.

Dub. IV. Utrum quatuor patrimonia, quæ tenet Societas, eorumque reditus administrari divisim, & distincte debeant, an confusim, & conjuncte, quemadmodum petit Episcopus?

Agebat Eminentissimus Antonellus *sub.* §. 2. de hereditate Joannis Antonii Ranaldi, qui prohibuit, ne illius reditus erogarentur in dotes nubentium in sæculo. Duo Episcopus proponebat *sub num.* 23., & 25., ut reditus nempe auctoritate vestra applicarentur pro pueris expositis alendis; utque ex reditibus ipsis desumeretur quolibet triennio dos monastica scutorum centum. Priorem igitur propositionem admittebat Eminentissimus Convisitator, non item alteram his verbis = *si a vobis confirmaretur, priorem destrueret, ac impossibilem redderet expositorum sustentationem. Quum enim annuus hereditatis Ranaldi reditus sit scutorum* 136. 38., *exitus autem cujusvis anni, computatis impensis tam ordinariis, quam extraordinariis pro bonorum conservatione, ac pro infantium expositorum alimonia, pertingat scuta rom.* 136. 79. 3. ½, *nequit prorsus, quod superest, triennii spatio conficere summam scutorum* 100. *Idque eo magis, quod expensæ pro expositis alendis factæ, in proximo decennio auctæ potius, quam imminutæ sunt, & verendum, ne in hac temporum colluvie, etiam inter montanos populos, libertatis nomine, quod totum fere pervasit orbem, crimina augeantur. Quamobrem opportunius, ut ego sentio, decerneretur, totum Ranaldi patrimonium in infantium expositorum solatio addicendum esse.*

Igitur de hoc etiam Patres Eminentissimi vestram dabitis sententiam.

Dub.

Dub. V. Utrum Ranaldi Patrimonium totum sit erogandum pro infantibus expositis, seu potius an etiam dos monastica 100. *scutorum rom*; ; *singulis trienniis sit ex eo solvenda, ut censet Episcopus?*

Loquebatur §. 3. de hereditate Hectoris Benedicti Felici, qui largitionem legavit Religiosis mendicantibus, dotes, & elemosynam in pauperes; & ponderabat, quod *annuus hujus hereditatis reditus non excedit scuta* 44. 01.; *unde si deducas scuta* 4. 55. *pro oneribus consuetis, & insolitis, supererunt scuta* 39. 45., *in tribus illis oneribus a Testatore jussis impendenda. Hæc autem quum ita fuerint ab Episcopo taxata, ut duodecim scuta Religiosis Minoribus Observantibus, ac Cappucinis* (propositio 15.) *viginti pro dote* (*proposit* 20.) *tenues admodum ex hac hereditate* [*quamvis addatur exiguum creditum scutorum* 40. 43.) *eleemosynæ desumi poterunt. Id tamen nihil prohibet Episcopum, quin plurimas eleemosynas a Societate dari posse putet. Quum autem is, panis largitionem deleri, & patrimonia confusim administrari censuerit, multo plures eleemosynæ, si ea fiant, ex aliis patrimoniis accedent.*

Verum paucæ ne, an multæ futuræ sint eleemosynæ, utrum ex hac hereditate, an ex aliis etiam patrimoniis exigendæ, nihil moror, quum id totum pendeat ex quæstionibus jam propositis de panis largitione, & de methodo patrimonia Societatis administrandi. Tantum igitur hic dicam, quod propius eleemosynas ex hac hereditate distribuendas attingit. Scilicet id ego statuendum esse censerem, ut subministratis scutis duodecim Religiosis mendicantibus, solutis scutis 20. *pro dote, quod superest, detractis impensis, integre in pauperes largiendum sit. Ita sane voluntas Testatoris exacte servatur. Cæterum reliqua, quæ jubet Episcopus, mihi quoque arrident, non ita tamen, ut liberum sit Conservatoribus Societatis addere, vel minuere eleemosynam Religiosorum mendicantium, nec ita pauperibus reliquum hujus hereditatis emolumentum distribuere, quin prius probati fuerint Parochi testimonio, sublato penitus omni Conservatorum arbitrio, ultra summam juliorum decem.*

Dub. VI. An in distributione fructuum hereditatis Felici approbandæ sint regulæ ab Episcopo præscriptæ, & quali modo?

Succedit §. 4. de hereditatibus Victorii, & Præsidis Benedicti Luperti, quorum alter largiri jussit florenos 50. erigendo puellarum Orphanotrophio, reliquos suæ hereditatis reditus in dotes scutorum 25.; alter integram suam hereditatem subsidiis destinavit dotalibus cum prælatione puellarum nubentium in Domino; & super hac hereditate Eminentissimus Antonellus notabat, quod *utriusque Fratris patrimonium, quod nunc existit, est domus annui reditus fere* 16. (juxta Episcopum 40.) *Puellarum Orphanotrophium nunquam Callii erectum est. Ex quibus omnibus fit, ut eorum Testatorum voluntas non melius impleri possit, quam si annua dos* 15. *scutorum assignetur pro pauperibus puellis calliensibus, ex quibus ea præferatur, quæ velit Religionem ingredi. Id igitur mihi speciali regula statuendum videtur. Verum quia Episcopus indistinctam patrimoniorum administrationem sequens, de hac dote una cum aliis loquutus fuerat in regulis positis sub num.* 19. 23., *statuatis Vos, Eminentissimi Patres.*

Dub. VII. Num pro dote patrimonii Luperii specialis regula sit statuenda, an satis sit quod de ea præscribit Episcopus in regulis positis sub num. 19. 23.

Transit post hæc Eminentissimus Convisitator ad politicum Societatis regimen, & ita sub *cap. II.* disserebat; *De hoc argumento plura sunt, quæ magna quidem æquitate, & prudentia Episcopus statuit ad removendos abusus, qui Conservatorum potissimum aut negligentia, aut nimia libertate in Societatem irrepserant. Ego meo, quo supra usus sum instituto, illa tantum persequar, in quibus vel addendum aliquid, vel mutandum pro ingenii mei tenuitate arbitratus sum.*

Hujusmodi est regula Episcopi (1) *che per l' avvenire sia ugualmente, come per l' addietro, in libertà del Consiglio di scegliere, e nominare* 12. *Conservatori a loro arbitrio = deindeque num.* 2. *addit. = che i Fratelli abbiano diritto di confermarli = Fateor equidem, id mihi cum iis, quæ prius ab Episcopo narrata sunt, satis cohærere non videri. Etenim in* §. 5. *suæ relationis pag.* 26. *refert, acerrimam litem fuisse excitatam anno* 1579. *inter Episcopum Paulum Marium della Rovere, ac Societatem, eo quod ille præsumpserat proprio marte Conservatores eligere, Societatisque jura circa Conservatorum electionem violare. Metropolitanus sententiam tulit, ac decrevit, sarctum tectum ser-*

van-

vandum esse quidquid Episcopus ea occasione gesserat, verumtamen in posterum Conservatores eligendos fore a Confratribus; eoque praesertim [Episcopus] suam in Sodales, ac Sodalitium auctoritatem mirifice tuetur, ac propterea addit, Confratres in generali Conventu habito die 12. Julii, ut puto, ejusdem anni 1579., sententiam Metropolitani ratam gratamque habuisse.

Hæc quum ita sint, non video, cur in præfata regula secunda decernatur, Conservatores in posterum eligendos esse ab ipsomet cœtu Conservatorum, & a Sodalitio dumtaxat confirmandos. Vellem equidem, tam solemnem rem judicatam non infringi, quamvis secus deinceps quandoque fieri contigerit. Arbitror quoque, satius esse, præcipuum hoc jus eligendi Conservatores ad universam Societatem potius pertinere, quam ad solos superstites Conservatores reservare. Non enim tunc erunt Societatis ministri, sed domini, eorumque nutu, & imperio, fraude etiam, ac vitio, omnis ruet hujus reformationis moles, quemadmodum præterita experientia edocti sumus.

Præstat igitur aliquod froenum Conservatoribus iniicere, ut Societatem colant, ac revereantur; atque aptissimum illud mihi visum est, si ab universo Sodalium coetu eligantur, & confirmentur. Cæteris, quæ in eodem num. 1. & 2. statuit Episcopus de auctoritate sua in Consesvatores retinenda, vel alicui prorogando tempus in muneris exercitio, vel aliquem ex justa causa reiiciendo, quum consentanea juri, atque æquitati sit, plenissime assentior.

Restat igitur, ut decernatis Emi PP.

Dub. VIII. An Conservatorum electio facienda sit ab ipso coetu Conservatorum, seu potius ab universa Sodalitate?

Altera est regula posita sub num. 3., quæ agit de interventu Conservatorum in Congregationibus, statutis temporibus habendis, ac de modo ferendi suffragia. Egregia regula est, ac nihil præterea adderem, quam singulos in Urbe, vel in suburbanis degentes, vocandos esse, irritumque, ac infirmum futurum quidquid a Conservatoribus fiet, aut deliberabitur, nisi ea denunciatio præcesserit: ex quo nascitur.

Dub. IX. An regulæ 3. addendum sit, Congregationem Conservatorum haberi non posse, nisi fiat singulis denunciatio, si in Civitate, aut suburbanis morentur, sub poena nullitatis?

Su-

Super Conservatorum etiam Congregationibus versatur regula posita sub num. 4. *, in qua cæteris omnibus quæ jubentur , integre retentis, unum demerem , seu magis emendarem . Jubet Episcopus , denunciari sibi singulas Conservatorum congregationes , antequam habeantur . Quum enim similis quæstio vobis Eminentissimi Patres proposita fuisset* in Assisiensi Edicti 21. Januarii 1786. = *An sustineatur Episcopi edictum in ea parte , in qua Confraternitatum Officiales jubentur certiores facere Episcopum in Civitate , & Vicarios foraneos in Diœcesi de congregationibus habendis , ne conveniant sine ipsius , seu Vicariorum interessentia in casu &c.* = placuit Vobis rescribere = *Affirmative pro certioratione quo ad extraordinarias tantum , in reliquis negative = Igitur idipsum hic decernendum puto , & ad rem præterea , nullius Congregationis decretum , quævis illa fuerit , vim habiturum , nisi ad Episcopum ante delatum , ejusque auctoritate fuerit sancitum : id , inquam , juberi eò magis debet , quia in his ipsis regulis decernitur , quatuor Congregationes singulis annis celebrandas esse , quin tamen certus illarum convocationis dies stabiliatur . Ex his nascitur .*

Dub. X. *Utrum regula quarta sit integre retinenda , an una ejus pars sit emendanda juxta rescriptum Sac. Congregationis in Assisien. Edicti 21. Januarii 1786. ad I. Dubium ? Et num præterea addendum ei sit , nullum cujuslibet Congregationis decretum vim habiturum, nisi ante ab Episcopo fuerit probatum .*

Ad idem quoque argumentum pertinent sequentes duæ regulæ positæ sub num. 5. 6. *In earum prima prudenter planè statuitur , singulis annis quatuor certas stabilesque Conservatorum Congregationes habendas esse : quando enim plures aliquid communi regunt consilio , nisi sæpius ii conveniant , nulla quidem capi poterit deliberatio .*

In altera præscribitur , ut mense Decembri ante Festum Nativitatis Dominicæ fiat annua rationum redditio . Optima sanè providentia , ac prorsus necessaria in qualibet rerum alienarum administratione rite instituenda . Verum quoniam difficilius anni nondum completi reddetur ratio , opportunius erit statuere , ut Congregatio , quæ annuis rationibus destinatur , proximo Januario celebretur . Atque major hæc rationis reddendæ commoditas satis causæ mihi esse videtur , ut dos Luperti, quæ

Na-

Natalitio Festo esset danda, post idem Festum una cum aliis conferatur. Itaque deliberabunt EE. Vestræ.

Dub. XI. Num Conservatorum Congregatio, quæ pro annuis rationibus reddendis destinatur, habenda sit mense Decembri, an proximo Januario?

Ponderanda nunc est regula posita sub num. 25. quæ plura quidem, & laudabiliter præscribit, ut ea mihi probentur omnino. Una tamen superest difficultas de annua dote scutorum 33. 33., quæ puellis expositis ibidem assignatur. Attamen non facile occurrit, ex quo patrimonio illa sit colligenda. Non ex patrimonio Renaldi, quoniam etsi illud infantium expositorum subsidio sit destinatum, ita tamen tenue est, ut ex suis reditibus nulla dos cumulari possit. At præterea obstat Testatoris voluntas. Is enim quum sodalitii arbitrio permisisset quemvis suæ hereditatis usum, expresse matrimonii carnalis dotes excepit.

Itidem desumi nequit ex hereditate Luperti. Nam hujus patrimonii dos & puellis calliensibus relicta est, & inter eas præferri debet quæ spirituales nuptias eliget. At expositæ non omnes callienses sunt, neque omnes religiosam vitam amplectentur, & forte ob illegitimos natales ne amplecti quidem possunt. Plures etiam causæ sunt, ne desumatur ex patrimonio Felici. nam unica dos, quæ ex illo præstatur, subjecta est alternis annis diversorum patronorum nominationi: atque ad eam præferri debent puellæ nobiles, in sæculo, vel in Christo nupturæ. Quum igitur modus deficiat puellis expositis hanc dotem ex iliis patrimoniis assignandi, nil aliud restat, quam ex ipso Societatis patrimonio, unde plures dotes præstantur, eam decerpere, vel delere. Vos igitur, Eminentissimi PP., decernetis.

Dub. XII. An, & unde dos scutorum 33. 33. puellis expositis sit assignanda?

Denique in hoc capite dicendum est de regula 27., in qua decernitur, ut redditis rationibus mense Decembri, detractisque omnibus oneribus, & dotibus, quæ novis hisce regulis statuentur, retentaque pecunia necessaria, antequam novi reditus percipiantur, si tantum superit, ut aliæ etiam dotes possint elargiri, id libentissime fiat.

Hæc regula, Eminentissimi PP., supervacanea videri potest, si probaveritis, ut dixi ad Dub. III., nullum dotium numerum esse præfiniendum, sed exactis ratio-

tionibus id omne, quod ex antiquo Societatis censu superest; in dotes esse erogandum. Deinde vero conciliari omnino debet cum altero quæstionis capite, de quo disserui ad Dub. IV. Si enim omnia Societatis bona confusè administrentur, neque ulla cujuscumque patrimonii, neque Testatorum voluntatis ratio habeatur, tunc profecto recte statuitur, ut ex toto redituum acervo id quod superest, singulis annis in dotes distribuatur. At si contra suo cuilibet patrimonio distincta administratio servanda est, si cujuslibet hereditatis fructus in pias largitiones a Fundatoribus præscriptas sunt impendendi, quum distinctæ rationes uniuscujusque hereditatis dispungendæ erunt, vel nihil supererit ad dotes distribuendas, vel si quidpiam reliqui fuerit, non pro dotibus augendis, sed potius in easdem causas, ab unoquoque Testatore præscriptas, liberalius, atque impensius erit erogandum. Hæc observanda, ut vos Eminentissimi PP. decernatis.

Dub. XIII. An regula 27. reformari debeat juxta ea, quæ proposita sunt in Dub. III. IV.

Versabatur caput III. circa spirituale regimen Societatis, & quamvis admitteret Emus Antonellus maximam illas Sodalium desidiam, de qua querebatur Episcopus, conservandam tamen arbitrabatur Societatem; hæc scite animadvertens = *Ipsemet Episcopus, etsi penes Collegium XII. Conservatorum rerum omnium arbitrium, & potestatem jam olim fuisse confirmet, eamque in posterum, quibusdam adhibitis conditionibus, eidem reservet, attamen (pag. suæ relationis 38. num. 1.) jubet Episcopus, electos à Collegio Conservatores ab universa Sodalitate esse confirmandos. Si eo munere fungi Sodales debent, illos quoque existere omnino necesse est. Nam non existentis nulla est causa. Deinde quid est causæ, cur Societas ista repudietur, & deleatur? Quod Sodales mali sunt. Reformentur: quod otiosi nullo se pietatis opere exerceant. Exerceantur. Quod fere numquam simul conveniant, cœtusque frequentent. Hortentur, moneantur, excitentur. Et re quidem vera aptissimum erit Sodalibus incitamentum, primo; si universo eorum cœtui reservetur jus eligendi Conservatores, quemadmodum supradixi ad regulam 1., secundo si statuatur, non extraneos, sed ex ipso Confratrum cœtu per secreta suffragia eligendos esse, qui Conservatorum munere fungantur;*

ter-

tertio, inopes, ac Parochi testimonio probatos Confratres, eosque diligentem navantes operam functionibus Societatis, in panis congiario (quod ego opinor contra votum Episcopi retinendum esse) pro modica aliqua quantitate esse præferendos; quarto eorumdem benemeritorum Confratrum filias, sorores, nepotes usque ad secundum gradum inclusive anteponendas esse in dotium assignatione, si paribus, ac cæteræ, polleant requisitis, quæ hisce novis regulis præscripta sunt. Hisce lenimentis excitari plurimos non dubito, ac Societati libenter nomen daturos, non modo ut illam à proximo interitu revocent, verum etiam ut illustrent, utque utilem, ac salutarem efficiant.

Quum vero cujusque Societatis institutum, ac consuetudo sit, ut in aliquo pio, ac religioso cultu Sodales conveniant, quod quidem ita certum, & exploratum est, ut in ipsa Ethnicorum religione, præter Sacerdotes, extiterint quædam Collegia personarum, quæ pietatis causa congregabantur: cum autem vitiosum id esset apud Ethnicos, superstitione omnia eorum opera inquinante, Christiani suæ religionis sanctitate Gentilium instituta purgantes, recte imitati eos sunt, Collegiis Laicorum vel ab antiquissima ætate institutis, in quibus, ut ait Concilium Narbonense habitum anno 1609. Cap. XXXIV., per particulares quasdam actiones, aliaque exercitia spiritualia faciliorem sibi salutis viam parare conantur Fideles.

Qua de causa haud levi ductus conjectura suspicor, huic etiam nostro Sodalitio, Divinæ Misericordiæ nuncupato, aliqua pietatis, religionisque opera ab initio fuisse præscripta, iisque exercendis potissimum addictos fuisse Sodales, sed lapsu temporis prout est proclive hominum genus à labore ad segnitiem, a pietate ad nequitiam, neglecta & abrogata fuisse. Id, inquam, mihi suadent ipsemet literæ Apostolicæ Clementis VII. testantis: Confratres in eo Hospitali ad preces Altissimo effundendas convenire consuevisse, & non solum circa illius augmentum, & pauperum ac miserabilium personarum receptionem, ac subventionem, sed alia etiam pietatis, & charitatis opera, quæ in illo Hospitali exercebantur, semper intentos extitisse.

Quæ vero preces, & quæ pietatis, & charitatis opera juxta mentem laudati Pontificis præscribenda nunc essent nostris hisce Sodalibus, id statuendum relinquerem

arbitrio, & prudentia Episcopi, ea tamen moderatione, ut ne nimis graventur, nec otiosi ac desides solo Confratris nomine glorientur. Quasdam jam olim edidit pro Confratribus regulas Episcopus Paulus della Rovere; iis igitur ad horum temporum usum accommodatis, facili negotio poterit hodiernus, ac prudens Episcopus novas condere. Quæstione igitur, quæ nunc proponitur, latius explanata, judicate jam vos Emi PP.

Dub. XIV. An Sodalitium sit extinguendum, seu potius quibusdam additis præmiis, ac conditionibus, iterum excitandum, ac redintegrandum? Et quatenus affirmative ad secundam partem = An novis legibus, ac piis exercitationibus arbitrio Episcopi præfiniendis sit stabiliendum?

Respiciebat tandem caput IV. exactionem nominum debitorum; & circa eam concludebat Emus Convisitator, quod *jure optimo decrevit Episcopus, nomina debitorum statim exigi, eorumque summam in bonis reparandis potissimum erogari. Verum quum tribus illis patrimoniis Sodalitii, Renaldi, & Felici sua cuilibet peculiaria & propria sint credita, quemadmodum constat ex tabulis Periti ratiocinatoris. Si jure a me positum ante est, distincte patrimonia administrari, reditusque impendi oportere, consequens sane est, ut ea nomina, postquam fuerint exacta, patrimonio cujus sunt, non alteri addicantur. Hinc igitur erit decernendum.*

Dub. XV. An nomina debitorum postquam exacta fuerint, sua singulis patrimoniis sint assignanda in bonorum reparationem?

Scitissima hac relatione imperio Sacræ hujus Congregationis Episcopo communicata, plerisque in rebus docilis Antistes cum Emo Antonello convenit, in paucis ab eo discrepavit. *Quod attinet igitur* [sunt ejus verba] *ad Dubium II.* (laudati Emi) *quo de panis distributione agitur, non possum, quin considerandum proponam, alias hic adesse Societates, quæ ex veteri consuetudine, privatam insuper quamdam familiam, ac ipsam Almam Domum Lauretanam, quæ ex legato annuam panis distributionem conficiant; subductisque rationibus, frumentum, quod in hanc quotannis impenditur, amplius viginti salmarum summam constituit.*

Nuper immo supplicatum retulit Sacratissimo Nostro Principi a multis omnium generum, & ordinum calliensis Civitatis, ut hujusmodi distributione panis sublata, vi-

viginti illæ frumenti salmæ, aliæque quinque, quas Sodalitium quotannis distribuit, novo addicerentur jam jam extruendo valetudinario; seque de Pontificia gratia juxta proprium votum non dubitare, quoad reliquas nimirum panis distributiones, excepta illa Societatis, *eo quod hæc Societas administrationis rerum suarum rationes referre quotannis Episcopo debet, & quod tenues admodum habet reditus. Neque vero*, inquit, *molestum cuiquam esse potest, ut cæteras panis distributiones, sic eamdem hanc abrogari. Hoc enim jam publica vota expetiere: tot vero in tenuibus facultatibus, & tam necessarii sumptus annui huic Societati faciendi sunt, ut iniquum prorsus videretur, in novum valetudinarium hujus frumenti utilitatèm derivare, quam æquius omnino esset aut in dotium confectionem, aut in alimentum convertere spuriorum infantium, expositorùmque, qui numero quotidie præter modum crescunt.*

Notavit insupèr ad III. Dubium, *quod Emus Antonellus ideo noluerit, dotium numerum esse definitum, sed ad residuas pecunias maluerit accommodari, quod in ea opinione fuerit, præcipuum hujus Societatis onus, & munus esse ægrotantium procurationem; itaque minime ipsi congruens ejusdem institutis videbatur, dotium numerum ante determinari, quam ex confectis rationibus apparuerit, quid annui sumptus in illam procurationem, quæ plurimi refert, factum fuerit. At ille, absit irreverentia, verbo, opinione sua fallitur; neque enim ullius memoria constat, hoc munus eidem Societati aut impositum fuisse, aut ab eadem forte susceptum, nisi inciderit aliquando casus, quo egentissimum aliquem & ab omnibus derelictum, cura & misericordia juvandum sibi esse putaverit; adeout hujusmodi procuratio sponte interdum suscepta, non tamquam proprium illius, & assignatum munus videatur æstimanda. Accedit autem, ut quum hic omnia nunc præparentur, quæ ad legitimum valetudinarium extruendum necessaria sunt, quæcumque tandem hæc cura sit, & quicumque sumptus, quos in eam facit Societas, ædificato valetudinario, penitus tolli debeant. Quod quum ita sit, equidem censeo, numerum dotium definiendum in posterum esse, earumque confectionem tamquam potissimum munus eidem Societati mandandam.*

In V. autem ex propositis Dubiis testor Vos, Emi PP., atque ipsum Emum Antonellum, duriorem paullo rem videri, universos patrimonii Ranaldi reditus ad spurios expositosque infantes alendos insumi, quum ipse Ranaldus suo testamento liberam quidem Societatis arbitrio erogationem fructuum reliquerit, exceperit tamen dotes, quæ nubentibus dantur; significavitque eodem tempore, placere sibi, ut dotes interdum etiam constituerentur nonnullis, quæ Deo virginitatem suam aliquo in Asceterio consecrare voluissent: cujus quidem desiderii tam aperta significatio, perpetuo negligeretur, statimac omnes illius patrimonii fructus in spurios curandos alendosque converterentur: nullumque insuper aliud id generis præsidium in hac Civitate haberetur pro Virginibus, quæ se Deo devoveant. Quod si unoquoque triennio de iis fructibus detraherentur scuta centum ad sacram hujusmodi dotem conficiendam, nimirum singulis annis scuta 33. 33. 3. , amplius tamen scutis centum quoque anno alimento expositorum relinquerentur. Fateor, hanc summam minimè necessariis sumptibus sufficere; sed quid est, cur de suo id explere Societas non debeat, quæ antequam hereditatem hanc adiret, jam tamquam proprium munus expositorum infantium procurationem retinebat? Qua tamen in re ne exiguam hanc jacturam faceret, si inutilis illa frumenti distributio, de qua paullo ante dixi, nova lege rescinderetur.

De VII. Dubio vestrum omnino arbitrium sit, Patres Amplissimi, atque ut æquius Vobis videbitur judicatote. Illud tamen reticere non debeo, hoc ipso temporis intervallo, quo Apostolica auctoritate inquisivimus, & posteaquam meam huc relationem misi, patrimonium Luperti, ex quo vix quindecim scutorum fructus quotannis percipiebantur, nunc latius aliquanto esse factum: quum enim tota hereditas ex una domo constaret, & hæc venierit scutis mille, venditor qui pretium apud se retinuit, fructus solvit scutorum quadraginta, & brevi apud alium majore fœnore occupabitur pecunia, scutorum scilicet quinquaginta.

Jam vero ad VIII. Dubium continère me nequeo, quin illud animadvertam, quod quæcumque tandem vis sit, quam habet sententia Metropolitani, quo auctore jus esse dicitur Fratribus istius Societatis Conservatores eligen-

gendi, nullius tamen memoria id factum fuerit. Accedit etiam, quod quum hæc Societas ex paucis, & infimi generis hominibus constet, publicæ utilitati expedire non videtur, eos nunc tam alte extollere, ut jus etiam tribuatur eligendi administratores eorum negotiorum, quæ nulla prorsus ex parte electores ipsos contingant, quum longo temporis intervallo in consuetudinem jam venerit, ut administratores isti ab equestri hujus Civitatis Ordine seligantur, atque ab ipso Conservatorum Collegio nominentur. Illud etiam addo, neminem ex Societate reperiri, qui hoc cogitet, aut ad hujusmodi jus adspiret: quod quidem si à plebe exerceretur, perennis turbarum causa existeret,

Quod attinet tandem ad XIV. Dubium, id quod à me sæpe alias dictum fuit, denuo nunc confirmo, fieri omnino non posse, ut hæc Societas ad pristinam vitæ institutionem, veteremque temporum, & morum sanctitatem revocetur: neque id ego nunc de hac una Societate dico, sed idem de antiquis aliis affirmo, quæ hac in Urbe existunt, quæque omnes à pristina institutione, ac integritate desciverunt. Quod si depravatæ disciplinæ causæ quærantur, duæ mihi præcipuæ esse videntur, quarum altera temporum inclinatione, & communi corruptione continetur, altera ex eo pendet, quod novi quidam hic bonorum cœtus, vereque Christianorum introducti his temporibus sunt.

Ad *primam* vero ex hisce Episcopi difficultatibus circa distributionem panis, replicat in secunda sua relatione Eminentissimus Antonellus, quod quum ex sperata Pontificis gratia *tollantur cæteræ panis distributiones; hæc una* [Societatis] *saltem relinquatur oportet ad quos nihil ex dotibus, nihil ex aliis piis operibus pervenit, vel hoc uno priventur solatio. At nolim hic repetere, quæ de ista re explicatius dixi in Dub.II. meæ relationis.*

Super *secunda* de præfiniendo dotium numero, quem Emus Antonellus indefinitum optaverat, hæc ipse ponderat: *scribit Episcopus, me ita sensisse, quia putaverim, ægrotorum curationem esse proprium, & assignatum munus illius Sodalitii: quod ipse negat. At nec illud ego aut umquam putavi, aut scripsi. Dixi solum, inter cætera Sodalitii opera esse tum dotium distributionem, tum ægrotorum curationem. Cur id ego non*

di

dicerem, cum ipse Episcopus in suis literis ad Sacram hanc Congregationem scriptis die 4. Septembris 1786. testatus fuerit, domum, quæ prope Templum Sodalitii est, valetudinarii nomen semper retinuisse, annuosque reditus bonorum, quæ propria sunt ipsius Sodalitii, insumi in pauperes ac inopes à miseriis sublevandos, in dotes conficiendas, & in alia hujusmodi opera pietatis, & misericordiæ? Cum in literis Clementis VII. Hospitale illius Sodalitii nominetur, & in eo fieri dicatur pauperum & miserabilium personarum receptio, & subventio, & alia pietatis & claritatis opera exerceri? Cum denique in ipsis tabulis Periti ratiocinatoris ponantur expensæ tam ordinariæ, quam extraordinariæ ad ægrotos curandos? Nihil est igitur dubitandum, transactis temporibus huic nostro Sodalitio onus infirmos curandi incubuisse. At esto, ex Summi Pontificis providentia novum nunc valetudinarium parari, in quo infirmi omnes recipientur, atque idcirco Sodalitium nostrum hoc onere deinceps sublevatum iri; verumtamen non video hinc sequi, necessarium fore, ut certus dotium numerus definiatur. Immo vero, si sublata pro ægrotis impensa, ampliores erunt reditus, eo vel magis erit opportunum, ut singulis annis dati & accepti rationibus confectis, quidquid superest, in dotibus elargiendis impendatur. Atque ita quidem fiet, ut sub præsidentia Episcopi, juxta patrimonii vires, habitaque etiam ratione numeri puellarum, earumque ægestatis, ac meritorum, prudens quotannis fiat dotium distributio ac collatio.

Tertiam de parte redituum Ranaldi in dotem monasticam cumulanda, his verbis reprehendit = *Duriorem meam sententiam appellat Episcopus: verumtamen ipse etiam fatetur, liberam à testatore datam fuisse Sodalitio facultatem suorum bonorum fructus in quamvis piam causam erogandi, excepta dote nubentibus in sæculo; tum præterea animadvertit, illam hereditatem jamdudum alendis infantibus expositis addictam fuisse, ac rationibus subductis imparem esse utrique oneri. Quæ cum ita sint præstat potius, ac charitati, quæ virtus præcipue est Christiani hominis, magis consentaneum est, miseros, expositosque infantes alere, eo vel maxime, quod hujusmodi charitatis officium consuetudine munitur, & Testatoris voluntati non repugnat. Quin-*

vel

vel parum officiat, dotem aliquam pro nubentibus in Domino a patrimonio Ranaldi præstari non posse, si omnes illius reditus in alteram infantium alendorum causam convertantur, neque hujus generis subsidium aliud Callii haberi posse. Nam in primis ad dotem hereditatis Luperti præferri debet puella nubens in Domino, deinde vero quid prohibet, quin dotes, quæ Callii distribuuntur, utrique matrimonio tam spirituali, quam temporali inserviant?

De dote a patrimonio Luperti præstanda quæstionem specialem proposui, ideo quod illa dos prœterita fuit ab Episcopo, confusam bonorum administrationem secuto. Contra autem ego cum bona distincte administranda, eorumque reditus in opera à testatoribus præscripta eroganda esse censuerim; statuendum mihi fuit, ut ex patrimonio Luperti dos annua distribueretur à testatoribus jussa. Quod igitur in mea relatione Dubium VII. proponitur de hac dote, dependet omnino à Dubio III., ubi agitur de modo administrandi bona. Quum autem Dubio III. nihil opponit Episcopus, non video, cur in VII. Vestrum ille, Emi PP., postulet arbitrium.

Ad *quartam* de jure eligendi XII. viros Sodalitii rectores, hæc habet: *id jus ego tributum volui Sodalibus, innixus tum antiqua re judicata, tum ipsa naturali ratione. Hac enim electione Sodalibus concessa, nexus quidam statuitur inter Rectores, & Sodales, inter caput, & membra, qui utilis erit conciliandis rationibus Sodalitii, tam œconomicis, quam politicis, ut accuratius exposui in VIII. Dubio meæ relationis. Sed Conservatores, seù Rectores a Sodalibus eligi ægrefert Episcopus, præsertim quod = longo tempore, ait, in consuetudinem jam venisse, ut illi administratores ab equestri illius Urbis ordine seligantur, atque ab ipso Conservatorum Collegio nominentur = At vos Emi PP. luculenter intelligitis, suscepto reformationis negotio incassum opponi consuetudinem in ea præsertim Societate, in qua multi irrepserant abusus. Abusus autem merito appellari potest, quod quibusdam dumtaxat, non autem Sodalibus universis reservetur jus nominandi Conservatores, qui cœteroquin summo jure ac potestate in Societatis regimine fruuntur ac gaudent. Ita visum est Metropolitano anno 1572., a cujus sententia a partibus acceptata recedendum esse non arbitror.*

Ita

Ita postremo *quintam* diluit Episcopi difficultatem circa suppressionem Sodalitii : *in priori mea consultatione animadverti, in ipso Sodalitio, quivis sit præsens illius status, haberi jam media, idest præmia, dotes, religiosos conventus, quibus Sodales ad Religionis opera in diebus festis alliciantur, & exerceantur. Restat igitur solum, ut illis prudenter utamur, eosque per regulas aptemus: hoc a nobis præstito, ad pietatem, & Religionem sponte sua revocabitur Sodalitium. Nisi Majores nostri, prudentissimique viri, & sapientissimi homines ita cogitassent, numquam ad pristinam integritatem revocassent tot præclara instituta vitio temporum delapsa, & corrupta. Neque si alii Christianorum cœtus Religioni utiles Callii sunt instituti, nostrum hoc Sodalitium erit idcirco negligendum: illi quidem serventur, & colantur; sed hoc ab interitu revocetur. Sic enim puto, Sodalitia, Collegia, aliaque similia esse veluti quasdam præcipuas delicatioresque arborum plantationes, quæ speciali cultura indigent: quo magis igitur illæ sunt distinctæ, & divisæ, eo etiam diligentius coli poterunt, fructumque uberiorem afferent.*

Ponderare igitur dignentur Emi PP., quæ Episcopus, atque Emus Antonellus vicissim disseruerunt, & infrascripta resolvere *Dubia*. quorum priora quinque ab ipso proponuntur Emo Antonello, sextum additur ex officio, ut juxta Ipsius vota de reliquis etiam Visitationis regulis decernatis.

Dubia sunt,

I. *Panis largitio supprimenda ne sit, an retinenda pro pauperibus, Parochi testimonium de sua paupertate afferentibus?*

II. *Annuarum dotium, quæ præstantur ex Societatis patrimonio, sit necne præscribendus certus numerus?*

III. *Utrum Ranaldi patrimonium totum sit erogandum pro infantibus expositis, seu potius an etiam dos monastica centum scutorum rom. singulis trienniis sit ex eo solvenda, ut censet Episcopus?*

IV. *An Conservatorum electio facienda sit ab ipso cœtu Conservatorum, seu potius ab universa Societate?*

V. *An Sodalitium sit extinguendum, seu potius quibusdam additis præmiis ac conditionibus, iterum excitandum, ac redintegrandum?* Et quatenus affirmative ad secundam partem, *an novis legibus, ac*

piis

piis exercitationibus, arbitrio Episcopi præfiniendis, sit stabiliendum?

VI. *An reliquæ Visitationis regulæ sint approbandæ in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam juxta votum Emi Antonelli.

Ad II. Negative juxta votum Emi Antonelli.

Ad III. Affirmative ad primam partem juxta votum Emi Antonelli, negative ad secundam.

Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam juxta votum Emi Antonelli.

Ad V. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, opportunis per Visitatores conditis Legibus.

Ad VI. Dilata, & ad Visitatores pro reformatione Regularum juxta superius resoluta.

BERGOMEN. IRREGULARITATIS. Semel die 23. Februarii 1793., iterumque die 21. Junii sequentis anni 1794. denegandam censuere EE. Vestræ Sacerdoti homicidæ Joanni Baptistæ Piccinelli dispensationem ab irregularitate. Tertio nunc ipse gratiam postulat; & Bergomensis Episcopus refert, *ex authenticis documentis productis & ex informationibus oretenus habitis ab admodum R. D. Donato Ginammi Archipresbytero, & Vicario foraneo loci de Calepio, Bergomensis hujus Diœcesis, constare Joannem Baptistam Piccinelli Presbyterum loci de Vico-lungo, Vicariatus Calepii supradicti, & Bergomensis pariter Diœcesis, post homicidium ab eo sub die 10. mensis Novembris anni 1789. commissum non dubia statim doloris, & contritionis signa dedisse, vitamque postea semper honestam, religione plenam, ac valde ædificantem duxisse, tum doctrinæ Christianæ scholam diligenter, & assiduè semper frequentando, in eaque pueros laudabiliter instituendo, tum ecclesiasticis omnibus propriæ Parœciæ functionibus attentè, ac devotè inserviendo, tum etiam alia plura pietatis, ac Religionis opera sectando, ac præsertim sese in pluribus voluntariis penitentiis exercendo in suffragium animæ hominis ab eo interfecti, ita ut non modo* *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

bonum ideo semper in singulis ejus actionibus exemplum populo dederit; verum etiam Sacerdotis haud dubie sapientis, ac vere religiosi universalem apud omnes sibi opinionem acquisierit. Refero pariter, ex eisdem documentis, & informationibus insuper constare, eumdem Piccinelli utillimum fore Ecclesiæ parochiali de Vicolungo prædicto, si quanto citius Sacerdotis officium obire posset; quum præsertim ob Sacerdotum deficientiam nonnulla inibi Missarum legata inadimpleta remaneant, ideòque ecclesiasticæ etiam functiones decenter satis ac decorose inibi administrari nequeant. Quod quum impediat sex fere ab hinc annis incursa dicti Presbyteri Piccinelli irregularitas, exoptarem vehementer in Domino, atque enixe ideo deprecor, ut attentis omnibus superius relatis, nec non attenta etiam prædicti Sacerdotis Piccinelli, hac quarta vice humillimè recurrentis, extrema fere paupertate super hujusmodi irregularitate absolvi possit, & valeat.

Iterum ergo quæritur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Prævio recessu a decisis, consulendum SSmo pro gratia absolutionis, & dispensationis.

Sess.21. cap.7. de Reform.

FAVENTINA TRANSACTIONIS. Super prædio Territorii faventini nuncupato *Portisano* tornaturarum circiter 20. instituit Comitissa Laura Castellini testamento anni 1735. laicalem capellaniam hebdomadalium Missarum trium ad Altare S. Francisci de Paula in Ecclesia tunc Congregationis S. Philippi Nerii, nunc Pii Suffragii Faventiæ; jussitque, ut ad nominationem Com: Gasparis sen: Ferniani, ejusque filii Octaviani sen:, & natu majoris ex illorum descendentibus masculis, in Capellanum eligeretur Nobilis pauper. Nominavit Gaspar sen: Canonicum Carolum Severoli in primum Capellanum; sed ex codicillis Fundatricis contendere cepit Abbas Thomas de Aste foroliviensis de prælatione, conventumque fuit per transactionem, quam Sacra hæc Congregatio probavit anno 1739., ut

post

post triennium succedere deberet Abbas de Aste Capellano Severoli, quo expleto iterum Severolius, & sic de triennio in triennium alternative. Quatenus vero Severolius vita migrasset, facultatem sibi reservavit Comes Gaspar nominandi novum Capellanum, qui alternative per triennium Capellania frueretur.

Ante triennium fere, diem obiit supremum Canonicus Severoli, & Octavianus Ferniani sen. in Capellanum nominavit anno 1759. vigore secundi transactionis capituli Nicolaum Pasi, Canonicum deinde Theologum Cathedralis Faventiæ cum clausula *per il corrente triennio tantum*. Quoniam vero in deterius abierant prædium, ejusque rustica ædificia, nec spes erat, quod ea Capellani, ex fundatione pauperes, restituerent, obtinuit præfatus Octavianus a Sacra Congregatione per rescriptum diei 18. Julii 1761. illorum incorporationem cum aliis ejus prædiis sub perpetuo trium hebdomadalium Missarum onere, & absque spe reductionis. Eo autem defuncto, incorporationem impugnavit Canonicus Pasi; sed duobus adversus illius filios Annibalem, & Gasparem jun. propositis Dubiis, I. *An gratia incorporationis prœdii capellaniœ, de qua agitur, sustineatur*; II. *An competat redintegratio, & debeatur fructuum restitutio*, rescripsit Sacra Congregatio die 8. Augusti 1767. ad I. *Dilata, & conficiatur processus, auditis omnibus interesse habentibus juxta instructionem*; ad II. *Dilata*. Quærendum sane erat, num reipsa deterius effectum fuisset prædium, atque ex negligentia Capellanorum; quo opus esset sumptu ad illud cum ædificiis restaurandum, & num pares ei essent reditus capellaniæ.

Impar tamen Pasius liti, diu siluit; filiique Octaviani sen. Annibal, & Gaspar Ferniani continuarunt in possessione prædii, illudque per nova etiam ædificia meliorarunt. Defuncto demum Annibale, cum Pasio transactionem iniit ejus frater Comes Gaspar uti Tutor, & Curator filiorum defuncti, nempe Octaviani, & Annibalis jun.. Hæc autem convenerunt, I. Ut solvere deberet Pasio scuta 300. pro eo, quod ex fructibus prædii in præteritum superlucrari potuisset,(nam onera capellaniæ adimpleverunt Ferniani) 2. Firma remanente ejusdem prędii incorporatione, soluturus esset in futurum Capellano annua scuta 50. ab omni

onere libera, excepta celebratione trium Missarum hebdomadalium, & utensilium solutione. Peritorum siquidem judicio consistunt reditus prædii in annuis scutis 60. *liberi da ogni aggravio, e caso fortuito*, sed detracto fructu capitalis erogati in rustica ædificia, in scutis remanent 40.

Super hac transactione flagitat modo Fernianorum Tutor Beneplacitum Apostolicum, ejusque instantiæ favet Episcopus faventinus in hæc verba: *Quum ex hac conventione certus fructus Capellano in perpetuum assignetur, qui excedit prædii fructum, detractis detrahendis, quum consulatur manutentioni bonorum, ac domus, nec Capellanus ullo subjectus remaneat periculo inmminutionis fructuum, reliquum tantummodo est, ut Sacer iste Conventus opportuna approbatione contractum donet, qua Oratores expressis de causis dignos arbitror.*

Capellanię siquidem fundus annua reddit scuta 60. *liberi da ogni aggravio, e caso fortuito*; neque ex legali aliquo documento constat de constructione rusticæ domus, & prædii bonificatione sumptu illorum de Fernianis, ita ut minui debeat reditus in scutis 20.. Ideoque aut damnosa est capellaniæ præstatio scutorum tantum 50., aut evidenter saltem non est utilis, ut ad probandam transactionem requiritur in *Clement.* 1. *de rebus Eccles. non alienan.*

Plura tamen ex transactione essent commoda. Absque Judice siquidem consequeretur Capellanus præteritorum fructuum redintegrationem in scutis 300., & invariabilis Capellaniæ constitueretur reditus scutorum 50. Ad vindicandum contra prædium prosequi deberet lis anni 1767., idque unum æquitatem suadere posset transactionis; nam hæc censetur utilis, si finem imponat liti, gravesque ejus sumptus avertat, per *Text. in cap. finem litibus de dol., & contumac.*. Notandum ulterius 1. quod ex ipso Folio propositionis Causæ 8. Augusti 1767. eruitur prædii deterioratio, & expensa necessaria ad restaurationem, & meliorationem fatiscentis domus in scutis 550., & annuus reditus scutorum circiter quinquaginta. 2. Periti denuo ex officio deputati retulerunt, quod *preso in esame lo stato, e la rendita del Podere*, invenerunt *corpo di terra arativo, alberato, vitato, morato* NELLA MAGGIOR PARTE

TE DI POCA ETA' CON CASA NUOVA GRANDE. 3. Quod annua pensio scutorum 50., quæ in transactione expromittitur, æquat, & forsan superat reditum prædii usque ad annum 1761., quo emanatum fuit rescriptum incorporationis, & quod hæc certa, & in perpetuum stabilis deteriorationi, & imminutioni non subjacet.

Deliberare itaque dignentur Emi Patres.

An, & quomodo sit approbanda transactio in casu &c.

Affirmative.

NARNIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Scripsit anno 1737. Petrus Blandolisi uxorem suam Theresiam Ciccalotti heredem in usufructu, Xenodochium Narniæ in proprietate, ut hereditarii fructus, qui per multiplicum perventuri essent ad summam scut. 100., in quatuor quotannis distribuerentur dotalia subsidia scutorum 25. pro qualibet *a quattro povere zitelle orfane di padre, e madre dell' istessa Città di Narni, o che in detta Città vi abbiano abitato continuamente per lo spazio di anni dieci, onorate, e timorate di Dio, che non servino, e non abbiano servito alcuno, ancorchè senza titolo di serva, e che abbiano l' età di anni diciotto.* *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Post obitum Theresiæ non leve hereditas passa fuit decrementum per detractionem dotis, & lucri dotalis, præter impensas funeris, ultimæ infirmitatis, & variarum litium, ac præter scuta 50. applicata vivente Theresia Hospitali projectorum per decretum clar. mem. Cardinalis Castelli illius Visitatoris Apostolici. Partem reliquæ hereditatis vindicare præsumpsit Joannes Franciscus Diofebi ex jam expirato Fideicommisso Venerei Adami, a quo ipse, & Blandolisius descendebant: sed cognito deinde suo malo jure, consultius impetravit tribus ejus filiabus a san. mem. Clemente XIII. dotes scutorum 100. pro qualibet ex fructibus hereditariis. Ampliorem deinde obtinuerunt gratiam tres ejus filii masculi Andreas, Aloysius, & Carolus; nam cuilibet ipso-

ipsorum concessit *Sanctissimus Dominus Noster* [illegible] centum *in levamen eorum respectivæ ind[illegible]*, etiam ex capitalibus hereditatis Venerei Ada[illegible] e Blandolisi ejus heredis. *Quo* (sunt verba narr[illegible] Vicarii Capitularis) *factum fuit, ut non solum s[illegible] huc usque maneat quæcumque pauperum hujus [illegible]is puellarum dotatio, verum etiam adhuc vigeat c[illegible]s scutorum centum in sorte principali super bonis her[illegible]tis Blandolisiæ impositus ad consulendam solution[illegible]n quotæ supradictis fratribus Diofebi ex gratia trib[illegible].*

Aliam præfatus Aloysius postulavit subministrationem, sed ter annis 1764., 1765., & 1792. rejectæ *a Sanctissimo* fuerunt ejus preces. Post ipsum vero eidem supplicavit Sanctissimo pro dotali subsidio scutorum 500. pro qualibet tribus ejus filiabus, Camillæ, Theresiæ, & Annę Mariæ; precibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, retulit Vicarius Capitularis, sex Deputatos, seu Rectores Xenodochii unanimi consensu censuisse, *piam largitatem jam pridem concessam sub Pontificatu san. mem. Clementis XIII. favore trium sororum Oratoris in scutis centum pro qualibet, nunc, si ita placebit Sanctissimo Domino Nostro feliciter regnanti, & isti Sacræ Congregationi, in eadem quantitate scutatorum centum pro qualibet concedi posse etiam tribus filiabus ejusdem Oratoris; ea tamen adjecta conditione, ut hujusmodi subministratio solvenda sit ex annuis reditibus, ne diminutis capitalibus, detrimentum in futurum afferatur irreparabile orphanis puellis, quæ vigore testamenti jus habeńt ad subsidia dotalia a Fundatore præscripta.*

Atque petitioni Oratoris pro subsidiis scutorum dumtaxat 100. in hæc favit verba: *agitur de puellis Testatori conjunctis in quinto consanguinitatis gradu, quæ aluntur tum a parente, Curiæ exercitio in hac Civitate addicto, numerosa onusto familia, bonisque fortunæ carenti, tum etiam a fratre hujus Cathedralis Canonico, & nullatenus ab iisdem de dote poterunt provideri; eamque ne facile quidem obtinere valebunt aliunde, dum in tota hac Civitate non distribuuntur a locis piis alia subsidia dotalia, quam tria singulis annis scutorum triginta a Congregatione Nobilium sub titulo Nativitatis B.M.V., aliud scutorum undecim a Societate S. Joannis Baptistæ; aliud scutorum quindecim per biennium a Capitulo Cathedralis; ac demum*

mum aliud scutorum triginta favore dumtaxat puellarum utroque parente orbatarum ab eodem Xenodochio. In quo parvo subsidiorum numero vix ulla spes esset filiabus Oratoris aliquod ex illis consequendi in concursu tot aliarum puellarum magis pauperum, ac majori laborantium inopia, etiam quoad alimenta. At quum reditus totius hereditatis Blandolisiæ vix annuatim ascendant ad scuta centum, quorum quinquaginta singulis annis solvenda sunt Hospitali expositorum, hinc videretur expediens, ut pia largitio favore filiarum Oratoris esset arctanda in scutis centum pro qualibet: alias enim vix umquam exequi posset distributio favore orphanarum a Testatore demandata, vel saltem nimis in longum protraheretur illius executio.

Nimia sane videri potest Oratoris petitio ex voluntate Testatoris, qui ad sua dotalia subsidia puellas vocavit pauperes, annorum 18., & utroque parente orbatas; ac filiæ contra Oratoris sospitem habent patrem; eumque causidicum, fratrem narniensis Cathedralis Canonicum, ac fortasse etiam matrem; nec constat cujus sint ætatis. Denegantur autem subsidia dotalia puellis, quæ præscriptis carent requisitis, secundum *Amost. de caus. piis lib. 4. cap. 6. num. 42., & seqq.* Nimia rursus ex gravi illa circumstantia, quod ob dotalia subsidia sororibus Oratoris concessa, copiosasque subministrationes ipsimet Oratori, ejusque fratribus, *non solum suspensa huc usque maneat quæcumque pauperum hujus Civitatis puellarum dotatio, verum etiam adhuc vigeat census scutorum centum in sorte principali super bonis hereditatis Blandolisiæ*. Et nimia tandem ex quo aliæ sunt Narniæ pauperiores puellæ, quibus Oratoris filias cedere oportere ait Vicarius quoad similia subsidia, quæ ibi ab aliis locis piis conferuntur.

Agitur contra de puellis consanguineis Testatoris, licet in quinto gradu, quæ respectiva saltem laborant paupertate, ob quam *Clemens XIII.*, & *Sanctissimus Dominus Noster* liberales fuerunt erga illarum familiam; ideoque præferri forsan merentur incertis puellis vocatis, ut *in Romana Dotium 24. Septembris 1718.*, & *in Romana Suasidiorum Dotalium 17. Augusti 1793.*, ne ad imparia præsertim judicentur, ac ipsarum amitæ, quæ ex eadem hereditate dotalia subsidia obtinuerunt, per *Text. in cap. in judiciis de reg. jur. in sexto*. Quatenus vero EE. Vestræ iis etiam indulgere velint, decernere in-

insuper dignentur de quantitate subsidiorum. Summam ipsæ per eorum patrem flagitant scutorum 500. pro qualibet. At dotes earum amitæ habuerunt scut. 100., nec juxta Vicarium Capitularem pares sunt reditus amplioribus subsidiis.

Proponitur ergo Dubium.

An, & in qua summa sint concedenda subsidia dotalia in casu &c.

Negative in omnibus.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

SPOLETANA REDUCTIONIS MISSARUM. Ad inducendos in Villis Spoletinæ Diœcesis proprios Parochos, eisque constituendum censum, cumulabant olim respectivæ Ecclesiæ pia Missarum legata; libenterque Sacerdotes ob tenuem adventitiarum Missarum eleemosynam, Animarum curam accipiebant. Ea igitur de causa parochialis Ecclesia Villemainæ terræ Sillani novemdecim gravata est annuis legatis, Missarum in unum 315., præter parochialem. Quinque ex hisce legatis Missarum 62. certum habent fundum annui reditus scutorum 11. 85.. Sextum censeri valet scut. 4., & Missarum 40., ob relicta in dotem a Hieronymo de Petro scuta 100.. Nullum de reliquis est dotium monumentum, & continentur in reditu parochiali, qui cum certis dictorum legatorum fundis scutorum est 64.. Periit enim census in sorte scutorum 27., & ad parochialem reparandam domum nonnulla vendita sunt prædiola.

Aucta nostris temporibus Missarum eleemosyna reductionem postulat legatorum hodiernus Villemainæ Parochus Antonius Antonini. Ei vero adversatur potius, quam favet Spoletinus Episcopus. Ait enim, quod *demptis Missis dictorum quinque legatorum habentium fundum certum num.* 62., & 40. *alterius legati Hieronymi quondam Petri, remanent Missæ pro incertis legatis, & permixtis cum bonis Curæ*, 124. (verius 213., nam juxta notulam ab ipso transmissam, sunt Missæ legatæ 315. non 216. ex quibus subducit Mis-

sas

sas 102.) *Missæ celebrandæ in totum, comprehensa parochiali, ascendunt ad numerum* 308. (seu 397.) *& efformant quantitatem scutorum* 30. 80. (39. 70.) *ad rationem manualis obolorum* 10., *remanent Curæ fructus in scutis circiter* 33. (24. 30.) *adjunctis Ecclesiæ incertis*. Atque ita concludit: *De Altari vivere potest Orator; maxime quod est incola loci, & familiæ divitis; vivebant, & adimplebant ejus Antecessores pauperiores. Casu vero, quod respici velit bonum Curæ successivi temporis, in sententiam venio, posse imminui & reduci ad medietatem Missas* 124. (213.) *applicandas pro legatis confusis.*

Si persona spectetur Oratoris, deneganda videretur reductio; quum ei, cæteroquin diviti, & incolæ loci, ad sustentationem judicio Episcopi sufficiant annua scuta 64. Maxime quia Parochiam, licet Missis gravatam, post amissum etiam censum scutorum 27., & vendita in reparationem Ecclesiæ prædiola, libenti animo accepit, ejusque decessorum exemplo legata adimplevit. Acceptatio siquidem, & adimplementum oneris, reductionem impediunt, ut censuit Sacra hæc Congregatio *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii* 1790.. Si ad futuros vero respiciatur Parochos, qui facile accepturi non erunt gravem Animarum curam, totque Missarum onus cum reditu scutorum 64., præoccupari posset hujusmodi difficultas, Missas reducendo ad tolerabilem numerum, quem proponit Episcopus. Quandoquidem justa reductionis causa est difficultas Sacerdotis, qui Parochiam, vel Beneficium accipiat, ut *in Viglevanen.* 4. *Aprilis* 1789., *& in Novarien. Reductionis Missarum* 7. *Septembris* 1793. Notandum tamen, quod hęc difficultas est futura, & futuram mereri poterit providentiam.

Deliberare ergo dignentur Emi Patres:

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Negative.

Sess. 24. cap. 7. de Reform.

FAVENTINA IRREGULARITATIS. Clerico Matthaeo Rossi, qui per traditionem igneae ballistulae causam dedit homicidio, denegandam censuerunt EE. Vestrae in Congregatione diei 22. Novembris elapsi anni 1794. dispensationem ab irregularitate. Pro hac igitur obtinenda renovat Clericus preces, & haec Faventinus habet Episcopus: *Quatuor ab hinc annis Matthaeus Rossi Clericus eam duxit vitam, eaque fuit exemplaritate, ut quantum humana prudentia nosse sinit, recte omnino de eodem sperari possit. Sacrae Theologiae moralis scholam diligenter utiliterque frequentavit; ad Sacramenta Poenitentiae, ac Eucharistiae saepe saepius constanter accessit; orationi sedulo vacavit propriae Paraeciae omni studio inservivit; eaque omnia constantis poenitentiae specimina praebuit, ac perseverantem Sacerdotii voluntatem ostendit, ut illius emendatio vera, sinceraque esse non obscure argui possit, Haec omnia ex duabus attestationibus Parochi, & Ludimagistri Oratoris Clerici, quas originaliter adnecto, perspecte apparent.*

Praeceptum meae Curiae de non offendendo jam eidem Matthaeo injunctum, numquam revocatum fuit, tum quia de hujusce Curiae stylo istiusmodi numquam revocantur praecepta, tum quia nulla ad meum Tribunal pro eo revocando instantia delata fuerit. Quum itaque de poenitentia oratoris, de illius emendatione, de exemplaribus moribus, ac vita Ecclesiastico digna per quatriennium circiter constet ex depositionibus Parochi, & Praeceptoris ejusdem; quum in Oratore constans appareat vocatio ad Presbyteratum ascendendi; quumque tandem Ecclesia parochialis ipsius Sacerdotibus maximè indigeat, dignum eumdem existimo, cui petita absolutio ab irregularitate concedatur.

Decernere itaque dignentur EE. Vestrae.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

NO.

NOVARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Sodalitium SSmi Sacramenti oppidi Pallantiæ erigi curavit anno 1610. ad Altare majus insignis ejusdem oppidi Collegiatæ S. Leonardi perpetuam capellaniam cum onere hebdomadalium Missarum sex, *ac inserviendi diebus festis Missæ Conventuali, quæ cantatur per Canonicos dictæ Ecclesiæ, & vesperis, ac singulis processionibus, ac aliis Divinis Officiis diebus festis, ac inserviendi in Sacristia, & officio Sacristæ fungendi*, ac reservato sibi jurepatronatus, annuas Capellano ex suis reditibus despondit mediolanenses libellas 300., seu scuta romana 40.; comprehensis scutis 16. 66 legati relicti a Joanne de Theodoris cum onere Missarum ad ratam fructuum, quæ sunt circiter 120., aliaque despondit scuta 13. 33., si quando ejus reditus augerentur. Anno deinde 1622. commutata fuit hujusmodi capellania in canonicatum sub titulo S. Maximini cum onere hebdomadalium dumtaxat Missarum quinque, & aucta per Sodalitium dote ad libellas imperiales 400., seu juxta antiquum earum valorem, scuta 53. 33., sub lege assignandi quotannis ex ea portionem *massæ residentiali dictæ Collegiatæ, quæ congrua, & competens fuerit pro viribus, & importantia hujus dotis, & ad ratam aliorum canonicatuum ejusdem Ecclesiæ, & illorum redituum*. *Sess.25. cap.4. de Reform.*

Accurate hactenus Sacerdos Georgeus Viani hodiernus Canonicus onera adimplevit; fideliterque ei Sodalitium libellas persolvit 400. Adeo tamen ab annis circiter sexaginta decrevit libellarum valor, ut antiquæ libellæ 400. æstimentur nunc 300., seu scuta 40.. Qua de re EE. Vestris supplicat Canonicus pro reductione Missarum; eique novariensis favet Episcopus. Præmittit sane, quod *cogenda fortassis videbitur Societas, ut justum valorem persolvat, & ego quidem lubentissime fateor; verumtamen hoc tentatum sæpius est, sed frustra: instantius autem agere, idem esset, ac operam perdere; quandoquidem reditus ipsius, prout ex statu activo, quem vocant, & passivo mihi exhibito cognovi, ob eleemosynarum decrementum, & ob notissimam censuum reductionem, valde imminuti sunt; ut proinde solvendæ doti juxta hodiernam computationem, cæterisque oneribus, & ipsis gravibus, pro cul-*

ti SSmi Sacramenti sustinendis, rigidiori etiam adhibita œconomia, vix ac ne vix quidem sufficiant. Dempta hinc a scutis 40., quanti nunc valent libellæ400., summa scutorum 15. in massam residentialem immittenda, canonicalem præbendam, & Missarum eleemosynam ad scuta restringit 25. Pro eleemosyna rursus Missarum biscentum quinquaginta novem, quot præscriptæ sunt in erectione canonicatus, requiri ait ad taxam synodalem, quę conformis est *Benedictinæ*, scuta 34. 53.!, quæ nec Canonicus percipit. Habet quidem hic, ut alii Canonici, alia in annum scuta circiter tresdecim; (*sed hæc*) sunt verba Episcopi) *quum extraordinariorum nomine veniant, oneribusque respective injunctis respondeant, cum ipsa canonicatus dotatione nil habent commune*.

Refert insuper Episcopus, cæteras præbendas scuta attingere circiter 92., *quin tanto Missarum onere prægraventur*: gemino Sodalitium pollice reductioni subscribere; eamque Capitulum justitiæ consonam pronunciare, *ubi augmentum* (præbendæ) *fieri non possit*; jam tempore accepti per Oratorem canonicatus, monetarum abusum inolevisse; *non tamen eo usque, sicuti nunc est*: & Missas denique in fundatione impositas, (exceptis 120. legati de Theodoris) originem ducere *ex pia solum voluntate Confratrum, non vero ex aliquo legato, aut contractu*. Ex his autem *nedum summam, quæ a Societate nunc vere & realiter persolvitur, verum & ipsam, quæ in fundatione assignata est*, imparem censet, tot retento Missarum onere; *ad congruam Canonici sustentationem in oppido insigni, & insigni pariter Collegiata, & in regione suapte natura non satis fœcunda, ubi victualia non pauca, aliunde advecta, pluris propterea emuntur. eoque magis, quod Canonicus iste nec domum habeat, quam inhabitet*. Suamque postremo sententiam in hæc aperit verba: *Quare in tot adjunctis Canonico faventibus censerem, eam reductionem non fore denegandam, qua tres dumtaxat Missas in hebdomada celebrare teneatur. Hunc reductionis modum moderno Canonicatus reditui consonum video: demptis enim scutis quindecim pro distributionibus, eam pro unaquaque Missa eleemosynam habebit, quæ manuali quidem ma-*

major; non tamen perpetuam attinget ad taxam san. mem. Benedicti XIII., in postrema Romana Synodo impressam, quæ & pro hac Diœcesi statuta est.

Expedita profecto non esset adversus Sodalitium actio pro solutione libellarum 400. ad præsentem valorem: nam licet sint, qui in promissione quantitatis attendendum censeant valorem monetæ de tempore solutionis, ut *Brun. de monet. partic. 6. sub num. 6., Cenc. de cens. part. 2. cap. 2. quæst. 4. art. 4. num. 25., Card. de Luc. de emphyt. disc. 78. num. 3.*, contrarium tamen sentiunt *Budell. de monet. cap. 4. num. 17., Gob. eod. tractat. quæst. 4. num. 8., Rot. coram Dunoz. jun. decis. 139. num. 2.*, ducto exemplo ab annuis legatis; nam *legatum pecuniæ, cujus valor variat, solvendum juxta valorem, qui fuit tempore testamenti*, ut hisce verbis notat *Brunneman. in Pandect. lib. 34. tit. 2. ad leg. cum certum 9. in fin., Thesaur. de augmen. monet. part. 2. sub num. 71.*; & definivit *Sacra hæc Congregatio in Apuana Reductionis Missarum* 24. *Novembris* 1792. *ad 1. Dubium, & 20. Septembris* 1794., eoque difficilior esset actio, quia Sodalitii œconomia augmentum non patitur dotis, ut re cognita testatur Episcopus. Obesse item posset reductioni Missarum, quod jam tempore, quo Orator accepit canonicatum, minui ceperat libellarum valor, & tamen onera assumpsit, implevitque. Difficile enim post acceptationem, & adimplementum conceditur, ut *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii* 1790.

Dum Sodalitium contra fieri ex Capellano voluit insignis Collegiatæ Canonicum, respexisse censetur ad decentem illius manutentionem, ut cæteris æquaretur, vel paullo inferior esset Canonicis, *Piton. discept. eccles. 25. num. 15.* Si autem difficilis est adversus ipsum actio pro solutione libellarum 400. ad præsentem earum valorem, neque ex præbenda, quam accipit, decenter Orator vivere potest *in oppido insigni, & insigni pariter Collegiata*, & in regione, in qua carius vivitur, nec domum habet quam inhabitet, ut ponderandum rogat Episcopus; jam aliter ei ad æquandum onus cum emolumento succurri non posse videretur, quam per reductionem Missarum, ut in *Romana Commutationis Voluntatis* 14. *Martii* 1789.

Num

Num vero fieri debeat hujusmodi reductio ad hebdomadales Missas tres, ut proponit Episcopus, Vestrum est decernere. Servarentur porro Missæ de Theodoris; & originem non ducunt reliquæ *ex aliquo legato, aut contractu, sed ex pia solum voluntate Confratrum*, qui in reductionem conveniunt.

Deliberandum ergo.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 19. *Decembris* 1795. *in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij , in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

FAVENTINA IRREGULARITATIS. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.* *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

In decisis.

NOVARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.* *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Affirmative juxta votum Episcopi.

TURRITANA MATRIMONII, ET BOSANEN. VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. Postulante Episcopo Besæ in Visitatione Sacrorum Liminum, tria in Congregatione 28. Novembris 1789. proposita fuerunt dubia, I. *An sustineatur synodale decretum*, quod Pro-parochi nempe, nisi specialem a Parocho in scriptis accepissent facultatem pro casu particulari, assistere non possent matrimonio, subtracta iis amplissima, quæ in id concedi solebat potestate; II. *An per idem decretum adempta sit Pro-parochis potestas assistendi matrimoniis, ita ut irrita sint matrimonia coram ipsis celebrata*; III. *An iterari debeat matrimonium coram Pro-parocho celebratum contra formam ejusdem* *Sess. 24. cap. 1. de Reformat. matrim.*

de-

decreti : & ad I. EE. Vestræ rescripserunt , *Affirmative* ; ad II. *Affirmative ad primam partem , negative ad secundam , & matrimonia inita cum assistentia Pro-parochi contra formam decreti synodalis esse valida, sed illicita* ; ad III. *Negative* .

Turritano deinde postulante Archiepiscopo , hæc alia proposita fuerunt Dubia in Congregatione 13. Junii labentis anni ; I. *An prudenter , ac salubriter legem ferat Episcopus in synodo , vel extra synodum , qua vetentur Parochi illimitatam facultatem matrimonio assistendi Coadjutoribus , seu Pro-parochis concedere* ; II. *An matrimonia coram ejusmodi Pro-parochis celebrata, non modo illicita , verum etiam invalida censenda sint* ; III. *An validum sit matrimonium , de quo agitur* ; & ad I. prodiit rescriptum , *Negative* ; ad II. *Provisum in primo* ; ad III. *Affirmative* .

Animo Turritanus Archiepiscopus advertit , similia fuisse utriusque postulati Dubia , ac præsertim priora , a quibus pendent reliqua ; nam in *Bosanen.* agebatur de synodali lege jam lata , *in Turritana* de simili lege ferenda ; & tamen contraria prodiisse rescripta , ad I. scilicet *Bosanensis* pro validitate jam editi synodalis decreti , ad I. *Turritanæ* pro denegata facultate idem decernendi : ideoque postulat denuo , ut declarare dignentur EE. Vestræ , quam ipse sequi debeat resolutionem , num eam *Bosanensis* , per quam liceret sibi ferre legem in illa probatam ; vel alteram *Turritanæ* , quæ hanc sibi adimit facultatem . Ex canonicis autem legibus , in utroque relatis Folio 19. Septembris 1789. , & 13. elapsi Junii , prudentia sua respondent Emi Patres ad Dubia .

I. *An , & quomodo sit standum , vel recedendum a decisis in Bosanen. 28. Novembris 1789. in casu &c.*

II. *An , & quomodo sit standum , vel recedendum a decisis in Turritana 13. Junii 1795. in casu &c.*

Ad I. In decisis in omnibus .

Ad II. Prævio recessu a decisis , affirmative quoad I. Dubium ; quo vero ad II. esse valida , quatenus fuerit a Parocho delegatus , sed illicita ; quo vero ad III. in decisis .

AS-

ASCULANA ERECTIONIS PAROCHIÆ. In Parochia Castri S. Petri asculanæ Diœcesis duæ Appojani nomine sunt Villæ Animarum centum, quę ad radices positæ Apennini, duplici & ultra lapide per asperum præruptumque iter, torrente etiam intercisum, a superiore distant Ecclesia parochiali. Multoties idcirco appojanenses pueri, senes, valetudinarii, hiemali præsertim tempore, carebant diebus festis Sacro; interdum Sacramenta exquirere debebant a vicinioribus Parochis; & non raro decedebant infirmi sine assistentia Sacerdotis. Aliquantulum hisce malis consultum fuit anno 1639. per erectionem simplicis Beneficii in Oratorio Appojani sub titulo S. Athanasii cum onere unius Missæ singulis diebus Dominicis, & festis de præcepto, & alterius hebdomadalis; & cum reservatione promiscui jurispatronatus favore Appojanensium. At quum adhuc plura ad curam deessent Animarum, Sacræ huic Congregationi supplicarunt Appojanenses decurrente anno 1794. pro erectione novæ Parochiæ, vel institutione Capellani curati in eodem Oratorio cum assignatione decimarum, quas tunc vacanti Parochiæ S. Petri præstare consueverant, & unione Beneficii S. Athanasii, quod pluribus ab hinc annis vacat. Monitis tamen concurrentibus ad Parochiam S. Petri de hujusmodi instantia, venit interim Vicarius Capitularis asculanus ad electionem, & institutionem novi Parochi, neglecto *nihil transeat* per illos apposito; atque iteratas deinde ad EE. Vestras dedit informationes super petitione Oratorum. *Sess.21. cap.4. de Reform.*

Confirmavit siquidem distantiam Villarum Appojani ab Ecclesia S. Petri, itinerisque difficultates. *Quo ad præteritum*, ait, *Rector prædictæ Parœciæ suo munere ita functus est, ut tam Appojani Villæ, quam cæteris, in quantum posset, provideret*: quo ad futurum vero, paratum esse hodiernum Parochum *providere Populum præfatæ Villæ de Sacerdote, qui omnibus festivis diebus celebrare teneatur; dummodo tamen prædicti Beneficii reditus ipsi Parocho assignarentur, prout mihi relatum est*. Annuos ejusdem Parochi reditus in scutis statuit 70., *deductis Missarum oneribus, aliisque Parœciæ adnexis*; præter annua scuta 30., quæ ex decimis percipit Appojani: reditus vero Beneficii S. Athanasii in scutis 14. Paratos esse retulit, seque immo solidaliter obligasse Appojanenses ad augendam decimam

 mus-

musti, unum scilicet præstando pro quibuslibet viginti cadis, quum præstare consuevissent unum ex singulis 28., & hujusmodi augumentum duos quotannis attingere aureos; ac ad totidem insuper in moneta præstandos aureos, ut congruam novo Parocho, vel Capellano curato instituant.

Ac suum denique aperiens votum, hæc habuit: *De idoneo Capellano, qui saltem hiberno tempore resideat, Oratores providere, non solum opportunum, sed necessarium judico; cum facultate non solum excipiendi sacramentales confessiones, verum etiam administrandi alia sacramenta, cum conditionibus, ac præeminentiis favore Parochi Castri S. Petri, quas Eñi Patres statuere judicabunt.* In casu autem, quod id EE. Vestris arrideat, Vestra etiam prudentia decernendum relinquit, *num novo Rectori Castri S. Petri sit onus imponendum sumptibus propriis Capellanum collocandi in Villa Appojani, durante tantum hiberno tempore, cum nempe difficilior accessus est ad Paræciam*, & num in altero casu, *quod ad totum annum Appojanenses fixum Capellanum exoptent, debeant ipsi de proprio partem congruæ Capellano assignare, ne Parochi reditus nimis æquo depauperarentur, emissa formali obligatione de hoc, & conditionibus præscriptis, ne lapsu temporis inter Parochum, & Capellanum oriantur dissidia.* In contumaciam modo Parochi Sancti Petri proponitur Causa.

Diutissime Appojanenses fuerunt absque residenti Parocho, vel Capellano curato, nec unquam de iis questi sunt incommodis, quæ modo exponunt. Nec deesse videntur rationes, cur tandiu tacuerint. Fortasse enim satis eis consultum fuit per Beneficiatum S. Athanasii, & pastoralem sollicitudinem Rectoris Paræciæ S. Petri, qui *suo munere ita functus est, ut tam Appojani Villæ, quam cæteris, in quantum posset, provideret.* In proximis utique terminis dismembrationem Parochiæ denegavit Sacra hæc Congregatio *in Eugubina Dismembrationis* 31. *Julii* 1790. *ad* I., & II. *Dubium*.

Ponderare tamen dignentur Eñi Patres, facilem, brumali præsertim tempore, non esse Appojanensium accessum ad Ecclesiam parochialem, facileque ad eos per præruptum duplicis lapidis iter accedere non posse Parochum, vel missitium Capellanum; ac satis propterea consultum non fore spirituali illorum indigen-
tiæ

tiæ. Ob distantiam porro, & difficultatem itineris, novæ Parochiæ erectionem permittit *Tridentina Synodus sess.21. cap.4. de reform.*, & sufficiens reputatur duplicis milliarii distantia, quę in nostro themate Appojanum inter, & parochialem Ecclesiam Sancti Petri intercedit, *Pirhin. in jus canon. cap. 16. num.31.*, *Fagnan. in cap. ad audientiam de Eccles. ædifican. num. 19.*. Neque in similibus circumstantiis desunt dismembrationis Parochiæ exempla, ut in *Meliten. Dismembrationis 29. Januarii* 1736., *in Ariminen. Dismembrationis 26. Martii* 1763., *in altera Ariminen. Erectionis Parochiæ* 18. *Junii* 1789., & *in Placentina Dismembrationis* 28. *Maii* 1791.

Quoties EE. Vestræ erigendam censeant in Villa Appojani distinctam Animarum curam, deliberare etiam dignentur de modo: num scilicet per institutionem veri Parochi, vel deputationem Capellani curati: & quomodo alterutri constituenda sit congrua. Veri siquidem Parochi institutionem mandat *Sacrum Concilium Tridentinum in cit. sess. 21. cap.4. de reform.*. At contenti sunt Oratores Capellano curato, eumque proponit etiam Vicarius Capitularis; & solum inter se discrepant, quod illi Capellanum flagitant continuo residentem, Vicarius Capitularis vero temporarium, qui nempe *saltem hiberno tempore resideat*.

Sive unus autem, sive alter instituatur, assignari alterutri deberet competens *portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus*, ut in hæc verba præcipit *Sancta Synodus loco cit.*, sed cum Vicario Capitulari dubitandum, quin reditus Parochi S. Petri *nimis ęquo depauperarentur*. Ejus namque congrua non excedit conciliarem summam scutorum 100., comprehensis decimis Appojani. Hac sane de causa æquiorem Oratores proponunt constituendæ congruæ modum, per dismembrationem scilicet decimarum Appojani (in scutis 30.), earumque augmentum, (in scutis duobus) unionem vacantis Beneficii S. Athanasii, (annui reditus scutorum 14.) cujus ipsi sunt patroni, aliamque prętationem duplicis aurei, quæ simul sumpta constituunt summam scutorum 46.. Multum dismembratio decimarum non detraheret Parocho S. Petri jam parato ad providendum suis sumptibus *Populum præfatæ Villæ de Sacerdote, qui omnibus festivis die-*

bus celebrare teneatur; & compensata quodammodo esset, si aliqua favore ejusdem Parochi decerneretur præeminentia supra instituendum Parochum, vel Capellanum curatum.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit locus erectioni novæ Parochiæ, seu potius institutioni Capellani curati residentialis in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit constituenda congrua in casu &c.*

Dilata, & scribatur Emo Episcopo juxta mentem.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

CÆSENATEN. CAPELLANIÆ. Sua deficiente Familia, instituit anno 1666. Joannes Franciscus Alberi *nella Chiesa del Carmine di Cesena all' Altare della B. V. una cappellania non collativa, ne sacra, ma laicale, e profana sotto il titolo di S. Gio. Battista*, suaque omnia ei assignavit bona hereditaria cum onere Missæ quotidianæ, duplicisque annui officii simplicium Missarum duodecim, & alterius solemnis cum cantu pro quolibet, in diebus nimirum festis SSmæ Annuntiationis, & S. Joannis Baptistæ. Ad hanc autem capellaniam vocavit Sacerdotem, vel Clericum sæcularem, annorum etiam decem, cui administrationem dedit bonorum; & jus nominandi Capellanum suis primum reservavit consanguineis, deindeque Consilio Generali Civitatis Cæsenæ, cujus favore ab anno 1779. purificata fuit substitutio.

Ad petitionem Communitatis transtulit anno 1784. *SSmus D. N.* ad publicum Oratorium Terræ Portus cæsenatici quotidianam Missam, servata Testatoris dispositione quo ad duo officia, & administrationem bonorum. Atque in executionem Pontificii rescripti pu-

publicavit Communitas capitula, ab eligendo Capellano observanda, illudque præsertim, quod = *mancando il Cappellano eletto di celebrare, o far celebrarla detta Messa quotidiana nell' Oratorio sudetto, dovrà il Signor Podestà pro tempore farla celebrare a carica del Cappellano sudetto, con pagare al Sacerdote che avrà celebrato l'elemosina di bajocchi* 15. *per ogni Messa*. In Capellanum deinde electo Clerico Leonardo Gentilini, per publicum ipse instrumentum, & sub solidali fidejussione Silvestri ejus patris se obligavit *di pienamente osservare, ed adempire* (capitula) *in ogni parte: altrimenti vuole poter essere forzato mediis juris, & facti remediis, omni exceptione remota*. Bona capellaniæ tempore collationis locata erant pro scutis 57. 40., ab anno vero 1787. ad 1794. pro scutis 62. Gravata autem reperiuntur in scutis 2.75. pro oneribus cameralibus, scutis 5. pro duplici officio, & in reliquis pro Missa quotidiana.

Assumptam Orator adimplevit obligationem ad annum 1793., sed ab ea tunc deflectens, committere debuit Prætor Terræ cæsenatici PP. Cappuccinis celebrationem Missæ in Oratorio, Hinc die 18. Martii elapsi anni 1794. in jus vocavit Communitas Gentilinum pro redintegratione eleemosynæ usque tunc solutæ, & futuro assumptæ obligationis adimplemento; obtinuitque die 21. subsequentis Julii a Vicario Capitulari cæsenatensi utrumque; confirmata ad formam capitulorum facultate deputandi Sacerdotem celebrantem, quatenus eum Gentilinus non deputasset. In limine autem Judicii, supplicavit Gentilinus *Sanctissimo*, ut soluta per ipsum eleemosyna manuali obolorum decem celebranti, reliquam summam ad obolos 15. solvi mandaret per Communitatem, vel Prætorem Terræ, in cujus præsertim commodum cedit celebratio.

Precibus die 12. ejusdem Julii, ante editum nempe judicatum Vicarii Capitularis, pro informatione remissis, retulit Vicarius Capitularis, reditus *non tempore, nec culpa supradicti Clerici Oratoris* decrevisse, augeri tamen posse, *si cum aliquo crumenæ incommodo stabilia illa bona ad pinguiorem fundum reducta essent*. Refert insuper, quod *manualis eleemosyna intra Civitatem communiter, exceptis diebus festivis, est decem obolorum, extra vero Civitatem duodecim, & in* die-

diebus festivis viginti , & aliquando etiam vigint quinque ; hocque evenit non solum propter grave incommodum ob temporum intemperies , & vias non bonas , sed etiam propter paucitatem hac in Diœcesi sæcularium Sacerdotum , præcipue in Portu cæsenatici . Et a suo abstinens voto concludit , familiam Alberi extinctam esse , & bona dumtaxat superesse capellaniæ .

Vim omnem facit Communitas in pacto de celebranda quotidie Missa in Oratorio Portus cæsenatici ; nam maxima est pactorum religio per *Text. in leg. 1. ff. de pact. , & in leg. non minorem ff. de transact.* Sibique Gentilinum imputare debere contendit , quod accipere voluerit capellaniam tenuis reditus, qui testimonio Vicarii Capitularis *non tempore Clerici oratoris decrevit*, quodque plures per annos illius onera adimpleverit . Post perfectum enim , atque exequutum contractum , locus amplius non est pœnitentiæ , *Text. in leg. ea conditione 14. Cod. de rescind. vendit. , & in leg. incivile 12. Cod. de rei vindicat.* Impugnat de cætero tenuitatem reditus ex legali præsumptione , quod tot per annos supplere voluerit Gentilinus proprio ære congruam Missarum eleemosynam ; & hujusmodi præsumptionem appellat juris , & de jure, adversus quam obloqui non licet , juxta *Jo. Andr. in cap. nonnulli de rescript.*

Impugnari etiam posset ex facto ; nam de tempore collationis ascendebat reditus ad scuta 57. 40. , ut eruitur ex capitulis conventis cum Capellano , ex verbis nempe illis = 9. *la dote consiste in un podere . . . presentemente affittato . . per annui scudi* 57 40. = & ab anno 1787. ad scuta 62. , uti testatur colonus ab ipso Oratore productus : ideoque auctus potius , quam imminus est . Magis immo augeri posset juxta relationem Vicarii Capitularis , Jam vero si ex scutis 62. demantur scuta 2.75. pro oneribus cameralibus , & scuta 5. pro duplici officio , supersunt scuta 54. 25., quæ satis superque sunt pro eleemosyna Missæ quotidianæ , ad obolos etiam 15. Sive igitur ex jure , sive ex facto teneri videtur Orator , donec capellaniam retinuerit , per se , vel per alium celebrare in Oratorio Portus cæsenatici .

Contendit altera ex parte Gentilinus, neque ex facto , neque ex jure cogi posse ad quotidianam celebrationem cum eleemosyna obolorum 15. Ex facto , quia

juxta informem, & non juratum calculum annorum 13. ab ipso exhibitum, annuus capellaniæ reditus est scutorum dumtaxat 46., onera scutorum 61. 75., scutorum nempe 2. 75. pro oneribus cameralibus, 5. pro duplici officio, & 54. pro Missa quotidiana ad rationem obolorum 15. Unde esset quotannis in damno scuno scutorum 15. 75., & sic mereri posset reductionem Missarum, non obstante acceptatione, & adimplemento, ut censuit Sacra hæc Congregatio *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778. Ex jure vero, quia aliqua ex Beneficio remanere debet quota libera pro Beneficiato, ut *in Laquedonien.* 20. *Septembris* 1788.

Reductionem tamen non postulat Gentilinus, ut minuantur suffragia Testatori, sed ut cæsenatensis Communitas, vel Prætor Portus cæsenatici suppleat, quod deficere arbitratur pro quotidiana celebratione Missæ in Oratorio. Capellaniæ enim patrona est Communitas, & causa translationis Missæ, ob quam major requiritur eleemosyna. Prætor vero commodum habet *di ascoltare quotidianamente la S. Messa nella cappellina pretoriale, e di esimersi dagl'incomodi, che coll'andar fuori deve soffrire, massimamente nell'inverno, e nel calore dell'estate*, ut exposuit Communitas in supplici libello ad *Sanctissimum* pro obtinenda translatione. Qui autem sentit celebrationis commodum, sentire debere videretur majoris elemosynæ incommodum, per *Text. in leg. secundum naturam* 10. *ff. de regul. jur.*

Deliberandum igitur,

An, & cujus sumptu sit celebranda Missa quotidiana in Oratorio Portus cæsenatici in casu &c.

Affirmative sumptu Capellani.

VI-

Sess.25. cap.4. de Reform.

VITERBIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Obtinuit anno 1778. Aloysius Mastini Canonicatum collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Barbarani annui reditus scutorum 28., eumque majoribus gravatum oneribus, quam ceteri ejusdem Ecclesiæ canonicatus. Preter enim servitium Chori, quod multiplici ex capite grave est, onus ex fundatione habet Missæ qualibet feria secunda, quarta, sabbatho, & diebus festis; nec non recitandi Rosarium Marianum feria quarta, sabbatho, & diebus Dominicis, ac benedicendi aquam lustralem singulis sabbathis. Hisce autem cognitis oneribus, statim Sacræ Congregationi supplicavit pro illorum reductione. At re ad investigandum fundationis instrumentum per aliquot annos dilata, in Congatione tandem 6. Decembris elapsi anni 1794. propositum fuit Dubium, *An & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*; atque EE. Vestræ rescripserunt = *Negative*.

De hoc Mastinius queritur rescripto, & quædam notat, ut denegatam Missarum reductionem obtineat. Collatum sibi ait canonicatum, dum aberat studiorum causa a Barbarano; sed vix cognita onerum gravitate, nulla se interposita mora Sacram hanc adiisse Congregationem pro illorum reductione; unde dici nequeat, æquo animo talem canonicatum ab initio accepisse. Ponderanda insuper rogat onera fundationis, & Chori relata in Folio 22. Novembris predicti anni, Vestraque æquitate deliberandum flagitat, num ob tenuem reditum scutorum 28. reductionis gratiam mereatur. Eo magis, quia a tali reditu demenda esse asserit scuta 4. pro sumptu ceræ. Testimonio tandem Canonici Decani Collegiatæ probat, omnes fere suos decessores canonicatum dimisisse *per non potervi vivere*, suamque præbendam reliquis omnibus esse miserabiliorem; nam *li due canonicati di prima erezione non rendono meno di scudi 80. annui, ed i pesi di Messe, oltre il Coro, non sono più che scudi 18. Gli altri quattro di seconda erezione rendono sopra li scudi 60. per ciascuno, ed i pesi di Messe ascendono a scudi 18. per ciascuno*. Additque Canonicus Decanus de auditu, canonicatum Oratoris de tempore proximo fundationi majoris fuisse reditus scutorum 90., ex quo bona pro hac summa assignata, ampliorem redderent fructum.

Su-

super his autem novis precibus refert Emus Episcopus viterbiensis, cum eis suffragiis Capitulum Collegiatae favere petitioni Oratoris, *quia tempore collationis* (canonicatus) *ipse absens reperiebatur a regione Barbarani, & adhuc erat adolescens; quia insuper admodum tenues sunt reditus canonicatus non excedentes annua scuta* 28. Et in hæc concludit verba = *Equidem onera Missarum gravia sunt, si reditus præbendæ inspiciantur; si rursum demantur expensæ, de quibus supplex adjunctus libellus; si demum habeatur ratio servitii Chori statutis diebus, & recitationis Rosarii ad quam accedere tenetur; ad differentiam aliorum Canonicorum, quibus tale onus non incumbit, quamvis reditus præbendarum majores sint, & minori Missarum celebrandarum onere graventur. Aliquo igitur in pretio habendæ mihi videntur Oratoris preces, saltem, ut in diebus feriatis, quibus celebrare ex injuncta fundationis lege compellitur, proportionata fiat Missarum diminutio arbitrio EE. Vestrarum, & modo quo levior sit Oratori satisfactio, habito respectu ad reditus, ut supra tenues & exiguos.*

Resumere itaque dignentur Emi Patres Folium 6. Decembris 1794., atque decernere.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Iterum proponatur.

SPOLETANA SUBSIDII DOTALIS. Legavit anno 1630. Antonius Caputius annua subsidia dotalia quinque ducatorum centum in spiritualia, vel carnalia conjugia; eaque tribui voluit per publicum Consilium Communitatis Spoleti pauperibus puellis *ex Civitate Spoletana*, & in earum defectum, *ex Territorio*. Pluribus autem de causis imminuta sunt hujusmodi subsidia ad scuta 25., nam hæreditatis Caputiæ re- *Sess.22.cap.6. de Reform.*

reditus consistunt modo in annuis scutis 138. 89., dempta taxa scutorum 50. favore Brephotrophii ejusdem Civitatis, & salario Exactoris in scutis 4. 51. Uno propterea anno conferuntur subsidia quinque scut. 25., altero *sex* ex cumulo scutorum 13. 89., quę ex scutis 138. 89. quorannis supersunt.

Hereditatem administrant PP. Repræsentantes per Camerarium Montis Pietatis Spoleti, qui ab anno 1740. ad annum 1772. plures ære Montis fecit præ naturas dotium solutiones ad summam scutorum 862. 04. ½, licet gravaretur Mons passivis capitalibus, eorumque usuris scutorum quatuor in singula centum. Huic malo occurrere tentavit spoletinus Episcopus in Sacra Visitatione, convenitque cum PP. Repræsentantibus, ut suspenderetur alternatim extractio, & collatio dotium ad redintagrationem Montis. Hæc quidem expleta asseritur redintegratio ab anno 1791. ab 1794. in summa scutorum 190. 20., & compensatum etiam usurarum damnum ex dotibus non solutis ob non celebratas puellarum nuptias: At in reliquis saltem neglecta apparet providentia Episcopi.

Quamplures siquidem ab anno 1779. expletæ fuerunt præmaturæ collationes dotium, quinquaginta sex nempe per consiliares resolutiones, quatuordecim ex rescriptis *Sanctissimi*; & cessuri erunt solutionum dies a labente anno 1795. ad annum 1809. Cumulum inter cæteras subsidiorum quatuor, seu scutorum centum a Consilio obtinuit anno 1792. nobilis puella Constantia Luci, solvendum anno 1806., & sub illius fide solemnem anno 1794. emisit professionem in Monasterio S. Mariæ de Stella Spoleti. Moræ vero impatiens, EE. Vestris supplicat ejus vidua mater Cleria Mancinelli, ut permittere dignentur creationem æris alieni super capitali pii Operis in summa scutorum 100., quæ statim pro desponso solvantur cumulo, vel aliter præsenti suæ indigentiæ provideant.

Instantiæ adversantur PP. Repræsentantes, & concessisse fatentur dotalem cumulum in obsequium Episcopi: eumque de cętero ob defectum paupertatis dicunt immeritum; nam quæsitum affirmant per viduam Cleriam prædium quoddam pretio scutorum 1000., proximamque familiæ Luci spem esse successionis ad duplicem hereditatem ex linea paterna, & ma-

materna. Se vero purgat Episcopus ab illorum imputatione, & ob variatas a concessione cumuli circumstantias Viduæ, & ipse petitionem reprobat.

En ejus verba: *PP. Repræsentantes pro eorum excusatione, aut melius effrenata libertate, quamvis frequenter id egerint, maxime annis ante 1772., insimulant Episcopum sub obtutu agendi cum ipso comiter, adhærendo nimirum meæ solicitudini subsidiandi infelicem Viduam; sed ignorare non debebant salutarem clausulam = prævio Beneplacito Apostolico = a supplicante obtinendo; eoque magis, quod circumstantiæ Oratricis non satis commodæ tunc temporis habebantur ad dotandas ejus filias fœminas, attenta tenuitate reditus, conjunctis infirmis, & alimentis præstandis dictis filiabus, in Monasteriis educatis. In dubium non revocatur, nunc ejus industriæ oeconomicæ causa meliorasse suam conditionem, allegatum prædium acquisivisse pretio scutorum 1000., creavit tamen ad hunc effectum census passivos. Hereditates, fortasse obventuræ familiæ Lucj, non sunt fideicommissariæ, ideoque prorsus eventuales, quæ non augent modo divitias favore dictæ familiæ. Quomodocumque se habeat res, instantiæ Oratricis non convenire arbitror; nedum quia claudicat collatio ejus cumulatæ dotis, sed quia non adhuc evenit dies solutionis, quum Constantia Lucj fuerit quidem admissa ad dotem scutorum 100.; attamen solvendam anno 1806., multo minus quod debeat ejus damno suffragari, solvendo nunc dotem ex capitalibus vel piæ Operæ, vel Montis Charitatis, id totum evidens est, submitto judicium EE. VV., quibus Montis interesse jure ac merito commendo.*

Prematuram Oratrix mereri posset solutionem cumuli dotalis ob jam emissam ab ejus filia sub illius fide religiosam professionem. Nec multum pio Operi inferret præjudicii, si fieret modo per creationem æris alieni, dimittendi anno 1806:; quo ventura erit illius dies juxta resolutionem consiliarem. Maxime, quia de nobili agitur Vidua, quæ prędium quidem acquisivit, sed per creationem censuum; & cujus angusta res familiaris, ob quam cumulum obtinuit filiæ, immutata non est ex incerta spe heteditatum. Haud constat contra, quod professionem emiserit Constantia

 absque

absque solutione integræ dotis, & fidem habuerit Monasterium de cumulo scutorum 100. Nec inverisimile est, integram a Vidua solutam fuisse dotem, & præmature modo redintegrari velle pro quantitate cumuli. Et in hoc supposito commode expectare posset diem solutionis, quin pium Opus alieno gravetur ære. Id tamen, quatenus cumulus debeatur. Quandoquidem relicta sunt dotalia subsidia puellis pauperibus, nec juxta Episcopum paupertate laborat familia Lucj. Illudque etiam pondarandum, num absque Beneplacito Apostolico conferre valuerint PP. Repræsentantes dotes quatuor uni puellæ contra voluntatem Testatoris.

Ultra Episcopus progreditur, & Montem commendatPietatis, qui redintegrari adhuc debet de sc. 671. 84. ½ pro aliis subsidiis præmature solutis, si vera est redintegratio pro summa scutorum 190. 20. ab anno 1791. ad 1794. Dimitti quidem posset illius creditum per suspensionem solutionis promissarum dotium; sed jam ad certum tempus data fide pauperes fraudarentur puellæ. Alius esset modus, si adjudicarentur Monti dotalia subsidia per obitum innuptarum puellarum devolvenda; sed res potius pendet a prudenti EE. Patrum dellberatione, qui advertere etiam dignentur, quod Mons creditor alieno gravatur fructifero ære.

Quæritur itaque.

I. *An, & quomodo sit locus solutioni cumuli dotalis in casu &c.*

II. *An, quomodo, & in qua summa redintegrari debeat Mons Pietatis Spoleti pro dotibus præmature solutis in casu &c.*

Ad I. negative, & unica dos persolvatur post redintegrationem Montis.

Ad II. Affirmative, suspensa collatione dotium usque ad omnimodam redintegrationem Montis Pietatis.

BRU-

BRUGNATEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Capitulum Insignis Collegiatæ S. Marię de Nazaret Oppidi Sigestri Canonicis constat octodecim, quos inter Archidiaconus, Primicerius, Archipresbyter, & Poenitentiarius, quibus dumtaxat actualis incumbit Animarum cura. Pinguior præbenda est Archipresbyteri, singulisque annis scuta reddit 23. Annuus fructus certus, & incertus, quem ex communi præbenda percipiunt Archidiaconus, Primicerius, & Poenitentiarius scuta attingit circiter 30. pro quolibet. Præbenda duorum Canonicatuum jurispatronatus laicorum, altera est scutorum circiter 9., altera scutorum 4. Communis aliorum sex præbenda cuique Canonico dat scuta circiter 8.; præter distributiones in annuis scutis 3. Reliqui sex Canonici, qui nullam habent præbendam, & supranumerarii nuncupantur, distributiones tantum participant quotidianas, Canonicis omnibus communes, quæ ex ceris funerum proficiscuntur, & quorumdam capitalium fructus, seu scuta circiter sex pro quolibet. Punctaturæ, seu fallentiæ Canonicorum non interessentium Choro, non accrescunt inseressentibus, sed deponuntur omnes in arca nuncupata *di riserva*, ut ex eis confici valeant capitalia pro occurrentibus expensis, & ipsarum distributionum augumento.

Sess. 22. decret. de observan. & evitan. in celebr Miss.

Ab ineunte Collegiata ad diem 15. Septembris 1760. quotidie Canonici Missam celebrarunt Conventualem, quum prẹter suos reditus, eleemorynas a quibusdam piis viris accipere consuevissent. His vero defectis, suppleri posse censuerunt Missæ Conventuali privatis orationibus, & ad annum 1766. ab ea applicanda destiterunt. Resumpserunt deindè illius applicationem diebus Dominicis tantum, sumpta ex massa communium distributionum eleemosyna, eamque continuarunt ad elapsum annum 1794. Tunc ad suasionem proprii brugnatensis Episcopi eamdem applicare ceperunt Missam reliquis diebus festis de præcepto, & accepta ab ipso Episcopo eleemosyna, etiam profestis. Quousque autem illam quotidie celebrarunt, celebrare consueverunt lectam diebus profestis, ac tempore etiam, quo recitabantur horæ canonicę in Choro; cum cantu diebus festis; & cum Diacono, ac Subdiacòno in solemnioribus. *Sanctissimo* tandem *Domino Nostro* supplicarunt pro ipsius Missæ reductione ad novissimum statum, seu ad dies omnes festos de præcepto.

Pre-

Precibus hisce ad Sacram hanc Congregationem remissis, hactenus exposita confirmavit Episcopus in relatione status suæ Ecclesiæ. Testatus insuper fuit, quod *in visitatione Capituli, quam nuper peregi, magis magisque novi tenuitatem præbendarum, per quam consona mihi videtur æquitati petita à Canonicis reductio*; quodque hujusmodi tenuitas *eadem semper fuit ab erectione Collegiatæ, nec ulla spes adest, ut augmento redituum possit ea abduci*, nisi longo temporis decursu ex novis investimentis punctaturarum. Præstare ait eleemosynam pro celebratione Conventualis diebus pro festis; *sed paupertas mensæ meæ episcopalis, cujus fructus, oneribus non deductis, annua non excedunt scuta romana quingenta, quum reliquos abstulerit injuria temporum, non sinit, ut in hoc subministrando stipendio diutius perseverem*; ideoque Canonicorum precibus suas adjunxit *enixas* pro reductione. Addidit postremo, supplicare etiam Canonicos pro absolutione omissæ, & inordinatæ celebrationis tempore præsertim recitationis horarum in Choro, ipsumque demum esse *in expectatione Vestri sapientissimi oraculi quoad cantum ipsiusmet Conventualis Missæ*.

Facilè quidem reducenda non videretur Missa Conventualis, de qua agitur, dum eam in Collegiata insigni, ut est illa Sigestri, præscribit *Honorius III. in cap. cum creatura* 11. *de celebrat. Miss.*, magisque impense *Benedictus XIV. in Encyclica cum semper oblatas* §. 14. *& seqq.* Potissimum, quia ab erecta Collegiata ad annum 1760. celebrata quotidie fuit ad formam antiqui, & recentioris canonici juris. Fas enim non erat recedere ab ea consuetudine, in qua *Benedictus XIV. sub* §.22. *cit. Encyclicæ*, in durioribus etiam terminis secundæ, & tertiæ Missæ Conventualis, perseverandum imperat,

Admodum vero tenues sunt Canonicorum reditus; nam si ii excipiantur, qui curam habent Animarum, nulli summam attingunt scutorum triginta, ut notatum est in facto. Locus idcirco esse posset reductioni Missæ Conventualis ad dies festos de præcepto, ut postulant Oratores, flagitat Episcopus, & sæpe Sacra hæc Congregatio decrevit *in Amerina Missæ Conventualis* 12. *Martii* 1746., *in Placentina* 30. *Julii* 1785., *& in Camerinen. Missæ Conventualis* 14. *Decembris* 1793.

Quoad

Quoad omissum ipsius Missæ conventualis cantum, & celebrationem chorali tempore, prodesse Canonicis posset antiquissima observantia: nisi censeatur abusus; nam cantum præscribunt *Canones*, teste *Fagnano in lib.*3. *Decret. cap. cum creatura de celebr. Missar. num.*11., & præscribit *Benedict. XIV. in cit. Encycl.*, celebrationem vero chorali tempore prohibuit Sacra hæc Congregatio *in Vicen. Missæ Conventualis* 2. *Septembris* 1747.

Quid de absolutione ob eam in præteritum celebratam Missam chorali tempore contra decretum Sac. Congregationis *in cit. Vicen. Missæ Conventualis* 2. *Septembris* 1747. ad secundum Dubium, EE. Vestræ decernent. A lata quidem culpa excusari non posse videntur ecclesiastici viri, qui canonicam in id dispositionem scire tenebantur. Eam tamen de facto ignorasse videntur, dum vix ab Episcopo moniti, promptè destiterunt ab inordinata hac agendi ratione, eodem Episcopo teste. In his sane terminis in quadam fuisse censentur bona fide, ob quam concessa fuit absolutio à conventualibus etiam Missis non celebratis *in cit. Vicen. ad I. Dubium*. Decernere etiam dignentur de absolutione pro eadem diebus profestis celebrata Missa sine cantu a fundatione Collegiatæ, & pro omissa celebratione ab anno 1760. ad 1766. Non licuit sane diversam adhibere rubricam, ac præscribunt *Canones*: sed excusari possent ob tenuitatem præbendarum.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

I. *An & quomodo sit locus reductioni Missæ conventualis in casu &c.*

II. *An, & quomodo eadem Missa celebrari debeat quoad futurum in casu &c.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

NEPESINA CAPELLANIÆ. Jamdiu Francisca Borelli heredem scripsit Capellam Animarum purgantium archipresbyteralis Ecclesiæ S. Laurentii Formelli, ea lege, ut reditus omnes hereditarii, annuis detractis scutis quinquaginta pro manutentione Capellæ, & re- *Sess.*22. *cap.*6. *de Reform.*

restauratione bonorum, erogarentur in tot Missarum celebrationem, quot illi ad rationem obolorum viginti pro qualibet caperent, tributa antiquiori Capellano administratione bonorum cum annuo stipendio scutorum duodecim, & reservato jurepatronatus Laurentio Manganelli, deindèque Prioribus Communitatis Formelli, qui modo illud retinent. Reque vera tum ex hereditate Borellæ cum ex altera pii etiam Testatoris Francisci de Comitibus, quatuor anno 1697. erectæ fuerunt Capellaniæ, imposito insuper Capellanis onere alterne interessendi quolibet die festo functionibus Ecclesiæ.

Multum decursu temporis alienum æs contraxerunt administratores, favore præsertim Capellanorum pro non soluta Missarum eleemosyna. Ne ii igitur debito in posterum fraudarentur stipendio, inter se diviserunt bona, quorum portiones annua cuique reddebant scuta 41. 60. Hoc tamen remedium haud omne sustulit malum: nam creditores amplius non fuerunt Capellani pro Sacris deinceps celebratis, semper tamen creditor renunciabatur administrator tum pro expensis Cappellæ, & restauratione bonorum, cum pro solutione eleemosynarum debitarum Capellanis ante divisionem, itaut postremus administrator, qui nuper decessit, in novissima rationis redditione declaratus fuerit creditor scutorum 380., pro quibus administrator ipse, antequam decederet, facultatem obtinuit a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium creandi censum super bonis Capellaniæ, licet morte præventus, ea usus non fuerit.

Præter autem hoc debitum, gravatur Capella passivis censibus in sorte scutorum 350., impositis de licentia ejusdem Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, & Vestra; annuum tamen depositum ab utraque Congregatione præscriptum pro illorum extinctione, & nonnullos per annos omissum, superiore expletum fuit biennio. Ad rem itaque Capellaniarum componendam Sacræ huic Congregationi supplicarunt Capellani pro suspensione ad decennium collationis Capellaniæ vacantis per obitum novissimi administratoris; & nepesinus Episcopus refert de consensu Priorum Communitatis petitioni Oratorum; de legali administratorum redditione rationis per probatas syndacationes;

nes; de liquidato credito postremi administratoris ab anno 1780. ad annum 1790. in summa scutorum 380., & de causa depositi ante ultimum biennium omissi, de necessitate scilicet erogandi impares reditus in eleemosynas Missarum, aliaque onera per Borellam imposita: quod nedum verisimile, sed verum quoque dicit, eo quod præcipui reditus *ex locationibus trahuntur domuncularum, quarum ab inopia inquilinorum incerti & exigui proventus*; addiditque certas in reparationibus expensas, *pendentibus cæterorum stabilium fructibus ab aversis plerumque anni temporibus*. Idque probat per activum, & passivum decennem statum, ex quo exitus superat introitum in scutis 454. 30 $\frac{1}{2}$.

Atque hinc ita favore Oratorum concludit = *Dubium non est, quin reditus Capellæ satis sint & pro emolumentis Capellanorum, & pro subministratione scutorum 50. Capellæ; sed quum obveniant plerumque ex pensionibus domorum assiduis restaurationibus indigentium, annui idcirco sumptus ut plurimum reditus excedunt; quibus accedunt etiam & inquilinorum decoctio, & negligentia fortasse administratorum. Quæ cum ita sint, mihi videtur, annui posse petitæ suspensioni: præsertim quia Missarum reductioni non obstat testatricis voluntas; nam ipsa mandavit, tot Missas celebrari, quot ex suis reditibus haberi poterant ad rationem juliorum duorum. Ulterius in Capellaniarum erectione nulla peracta fuit ab Ordinario Missarum taxatio: Patroni per me auditi suspensioni assentiuntur, quam ad decennium concedi posse censerem*.

Dubium non est, inquit Episcopus, *quia reditus Capellæ satis sint & pro emolumentis Capellanorum, & pro subministratione scutorum 50. Capellæ*. Dum reditus ergo omnes patiuntur institutas Capellanias, nulla esse videretur ratio, cur una ex illis ad longum tempus supprimatur, ut in terminis reductionis Missarum decrevit Sacra hæc Congregatio *in Ostunen. Reductionis Missarum 4. Decembris* 1734., & *in Derthonen. Absolutionis & Reductionis Missarum 7. Julii* 1787. *ad I. Dubium*.

Pares tamen reditus ipsi non sunt dimittendo oneri alieno, quo gravatur Capella, neque assiduis domorum reparationibus, & frequenti pensionum amissioni. Hac sane de causa omnino absurda dici nequit suspensio vacantis capellaniæ ad decennium, ut dimisso ex

ejus fructibus ære alieno, in pristinum Capella restituatur, quemadmodum censuit Sacra Congregatio *in Firmana Præbendæ 26. Martii 1791. ad II. Dubium*; Eo magis, quia *Missarum reductioni non obstat Testatricis voluntas; nam ipsa mandavit, tot Missas celebrari, quot ex suis reditibus haberi poterunt ad rationem juliorum duorum*.

Quæritur ergo.

An & quomodo sit locus suspensioni Capellaniæ in casu &c.

INDEX

INDEX
RESOLUTIONUM
Quæ prodierunt in Causis in Sac. Congregatione Concilii propositis anno 1795.

D

Le-

Præ.

O

P

Re

INDEX CONCLUSIONUM.

Quae adnotatae sunt in foliis Causarum anni 1795.

CAPELLANIA CAPELLANUS

COMMUTATIO VOLUNTATIS.

CONSUETUDO.

DOS.

ORDO

PAROCHIA. PAROCHUS.

REDUCTIO

SIMONIA

Se-

TRANSACTIO

VISITATIO SACRA

F I N I S.

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. JULIO GABRIELLIO

Prodierunt in Causis sub annum 1796.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LXV.

TRIPLICI INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCXCVI.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sac. Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1796. per Diœceses dispositus.

Par-

Die Sabbathi 23. Januarii 1796. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

BRUGNATEN. MISSÆ CONVENTUALIS.

Sess. 22. Decr. de observan. & evitan. in celebr. Miss.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missæ conventualis in casu &c.*

II. *An, & quomodo eadem Missa celebrari debeat quo ad futurum in casu &c.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quo ad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad dies festos de præcepto quoad applicationem tantum.

Ad II. Affirmative cum cantu, & extra tempus horarum canonicarum.

Ad III. Affirmative.

NEPESINA CAPELLANIÆ.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

An, & quomodo sit locus suspensioni capellaniæ in casu &c.

Affirmative usque ad extinctionem æris alieni scutorum 380.

Sess. 25. cap. 4 de Reform.

VITERBIEN: REDUCTIONIS MISSARUM. Sub judice remansit Causa ista in præterita Congregatione diei 19. Decembris elapsi anni per rescriptum *iterum proponatur*.

Secundo ergo queritur.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Prœvio recessu à decisis, affirmativè juxta votum Emi Episcopi.

Sess. 22. decr. de observan. & evitan. in celebr. Miss.

FIRMANA CAPELLANIARUM. Quum binis in oppido Montis S. Martini suppressis Coenobiis primævus defecisset Missarum numerus, hinc Præsul Armindus Riccius, olim san. mem. Clementis XI. Subdatarius, testamento anni 1705. millia quotannis ex sua hereditate celebrari jussit Sacra *nelle Chiese di Monte S. Martino, e suo Territorio, che riusciranno più comode a celebrarsi, con stipendio di un giulio per Messa, e quelle si ripartiscano tra quattro almeno Sacerdoti, a quali si diano a celebrare Messe duecento cinquanta per uno al più*. In casu vero, quod augerentur hereditarii reditus, augeri etiam jussit numerus Missarum; certisque designatis executoribus testamentariis, in eorum defectum substituit Archiepiscopum firmanum *con facoltà di poter interpretare, e decidere (omni recursu & appellatione remota) qualsivoglia dubbio, che potesse nascere sopra le materie contenute in questo suo testamento*.

Omnibus adimpletis in testamento dispositis, reipsa redundabant reditus; sed loco augendi manuales Missas, Sacræ huic Congregationi supplicavit Communitas oppidi, ut tres erigi permitteret capellanias cum onere Missæ quotidianæ, easque in censum assignari alicui religiosę Familiæ, quam in oppidum revocare cupiebat. Proposito igitur Dubio = *An sit locus erectioni trium capellaniarum ex fructibus superextantibus, & illarum assignationi alicui ex Religionibus reformatis introducendæ in Terra Montis S. Martini in casu &c.* = Sacra Congregatio rescripsit die 5. Junii 1700. *Affr.*

= *Affirmative ad rationem eleemosynæ manualis, unius nempe julii pro qualibet Missa favore Religiosorum capacium, arbitrio Eminentissimi Archiepiscopi, & amplius*. Et vigore hujusce rescripti clar. mem. Cardinalis Cincius tunc firmanus Archiepiscopus tres erexit capellanias cum onere quotidiani Sacri, easque addixit Agostinianis PP. discalceatis cum annuo stipendio scutorum 36. pro qualibet.

Licet autem hujusmodi capellanias accepissent Patres, nunquam tamen quotidianas celebrarunt Missas, sed justum illarum numerum intra annum, hac in tabella Ecclesiæ scripta annotatione = *Per fù Monsignore Armindo Ricci per tre cappellanie perpetue di Messe num.* 1080. *annue erette con facoltà della Sagra Congregazione del Concilio dall' Eminentissimo Cenci Arcivescovo di Fermo, distribuite per comodo de Padri in ciascun mese in detta Chiesa Messe num.* 93. Nuper tamen de quotidianis Missis solicitus, stipendium Patribus retardavit Administrator hereditatis; passusque a firmano Archiepiscopo relaxationem mandati executivi pro summa scutorum 54. ad totum mensem Octobris 1793., provocavit ad A. C. Causa vero per decretum Eminentissimi Præfecti S. J. ad Sacram hanc Congregationem remissa, Partibus modo contradicentibus, infrascriptum disputatur Dubium.

Nititur Administrator instrumento erectionis capellaniarum, in quo onus imponitur Missæ quotidianæ. Ex hac enim lege quotidie omnino, & sine ulla vacatione celebrare tenentur Capellani, ut probat *Ferrar.* in *Biblioth. verb. Missæ art.* 3. *num.* 15., & 18. Attenta potissimum acceptatione Patrum, quorum procurator in eodem erectionis instrumento promisit *celebrare tre Messe quotidiane secondo la pia mente di Monsignor Armindo Ricci*. Accedunt acta sacræ visitationis anni 1756. firmani Archiepiscopi Borgia, qui onus iisdem capellaniis esse dixit *Missæ quotidianæ*. Atque hoc ipsum in pluribus accepti stipendii syngraphis fassi fuerunt Priores Coenobii. Ex his profecto omnibus dubitandum non esse ait Administrator de obligatione celebrandi quotidie; ideoque tollendum abusum anticipatæ, & posticipatæ celebrationis; quam hactenus expleverunt Patres contra monitum *Pasqualigi de Sacrific. nov. Leg. part.* 2. *quæst.* 1150.

E diverso fonte desumunt Religiosi capellaniarum qualitatem, ex rescripto nempe Sacræ Congregationis an-

ni 1706., quod pro fundatione habendum arbitrantur. Quidquid enim Communitas Montis S. Martini petiisset, propositum fuit Dubium pro erectione capellaniarum *in genere*, & *in genere* rescripsit Sacra Congregatio *affirmative*. Si in hoc igitur fundationis rescripto addita non fuit lex quotidianæ celebrationis, neque, inquiunt, Religiosi, præscribi potuit in erectione capellaniarum, ex doctrina *Fagnani in cap. cum in cunctis de elect. num. 72., Card. de Luc. de benefic. disc. 95. num. 10., & 18. Piton. de controv. patron. allegat. 42. num. 5.* Neque vero non ad tenorem erectionis, sed rescripti annotata fuit in tabella Ecclesiæ obligatio celebrationis Missarum, non distributive in singulos dies, sed *per comodo de' Padri in ciascun mese*; & ita celebrarunt Religiosi spatio annorum octoginta, & ultra. Quam quidem observantiam probavit in sacra visitatione anni 1711., triennio scilicet post erectionem capellaniarum, Ripanus Episcopus, firmanæ tunc Ecclesiæ administrator; iterumque anno 1783. Commissarius Rev. Fabricæ S. Petri.

Si quod vero inter hæc dubium est de modo celebrandi, solvendum censent Patres ipsorum favore ex assignato stipendio. Taxavit porro Sacra Congregatio obolos 10. pro qualibet Missa, statuitque firmanus Archiepiscopus Cenci pro qualibet capellania scuta 36., quæ non respondent diebus anni 365. Congruere ergo non videtur hujusmodi assignatio Missis quotidianis, sed tot Missarum celebrationi, quot intra annum ad manualem eleemosynam obolorum 10. capiunt stipendia. Alias per incommodam, minusque Religiosis proficuam quotidianam celebrationem, in eorum verterentur damnum tenues capellaniæ, quæ juxta instrumentum erectionis assignatæ fuerunt *per supplemento dell' entrate ricercate dalle Costituzioni Apostoliche per il mantenimento di dodici Religiosi*.

In quæstionem igitur venit.

An, & quomodo sint celebrandæ Missæ, de quibus agitur in casu &c.

Affirmative intra annum.

ROMANA QUOTIDIANARUM DISTRIBUTIONUM. Novariensi Sacerdoti Joanni Petro Aghina datus fuit Angelus Comolli per Literas Apostolicas in coadjutorem canonicatus S. Mariæ ad Martyres Urbis. Senio autem confectus, *Sanctissimo D. N.* supplicavit anno 1793. pro facultate redeundi ad Patriam, ut reliquos vitæ suæ dies inter consanguineos expleret; duplicique ratione facilem reddere studuit gratiam, quia nempe *la Chiesa è ben servita dal suo coadjutore*, & quia ad majorem in illo excitandam diligentiam *l'Oratore è pronto di cedergli porzione degli emolumenti del detto canonicato, consistenti nelle distribuzioni quotidiane*. Sanctissimus autem *attentis expositis, Oratorem a residentia locali &c. donec vixerit, exemit & liberavit; & nihilominus ut ipse omnes & singulos ejusdem canonicatus, & præbendæ fructus, reditus, & proventus, ac etiam distributiones, quotidianis tamen exceptis, quas in favorem sui perpetui coadjutoris cedere intendit, percipere &c. valeat, cum ea integritate, cum qua illos & illas perciperet, si apud prædictam collegiatam Ecclesiam personaliter resideret, concessit & indulsit*. *Ses. 24. cap. 12. de Reform.*

Inverso naturæ ordine prædecessit coadjutor coadjuto; obtinuitque a SSmo coadjutoriam Sacerdos Aloysius Tazj, cui cedere noluit Aghina quotidianas distributiones, ut fecerat cum primo coadjutore Comollio. *Sanctissimo* propterea supplicavit Tazius *a deguarsi di rinnovare tal grazia, e rescritto*, super perceptione scilicet distributionum; sed dimissus fuit cum rescripto *utatur jure suo*, iterumque cum altero *satis rescriptum*. Expeditis igitur in forma solita Literis Apostolicis, in possessionem ivit coadjutoriæ, deindeque Sacram hanc adiit Congregationem, ut ex jure obtineret, quod consequutus non fuerat ex gratia. Hæc vero Emus Antonius ab Auria, S. Mariæ ad Martyres Diaconus, in suo habuit voto.

Aghinius reversurus ad patrios lares postulavit indultum exemptivum a residentia, exponens, ejus absentiam non obesse servitio Ecclesiæ; quod erat præstandum ab Angelo Comolli, quem Summus Pontifex jamdiu præstiterat in coadjutorem, & cui ad excitandam majorem diligentiam in Ecclesiæ servitio, distributiones quotidianas promptum se cedere offerebat. Nil igitur hic occurrit, quod egrediatur favorem, ac personam Sacerdotis Comollii primi coadjutoris a Sanctissimo designati. Nec diversimode sonat Pontificium Indultum; quia Summus Pontifex plenarie exemit, ac liberavit Oratorem Aghina a re-

a residentia, reservatis eidem omnibus & singulis canonicatus & præbendæ fructibus, reditibus, & distributionibus, exceptis tamen quotidianis, non quia sic Pontifici facere placuisset, sed adhæsive ad voluntatem supplicantis, qui easdem distributiones coadjutori suo cedere intendebat. Quoties itaque cessio Canonici coadjuti respiciebat unam solamque personam Comollii coadjutoris, Pontificium indultum relativum ad vota ejusdem coadjuti, nihil addidit, vel detraxit personalitati cessionis.

Quin faciat, coadjutorem in hoc ipso indulto nuncupari perpetuum iis verbis = in favorem sui perpetui coadjutoris. Non enim hinc sequitur, distributiones quotidianas perpetuo avulsas fuisse coadjuto, easque perpetuo in coadjutores quoscumque translatas; quia perpetuitas relativa ad coadjutorem denotat discrimen, quod intercedit inter coadjutorem temperaneum, & perpetuum, cujusmodi erat Comollius, qui datus fuerat, ut perpetuo maneret cum spe futuræ successionis, ad differentiam coadjutoris temporanei, ac removibilis, qui datur ad tempus, donec scilicet coadjutus ab aliquo impedimento solvatur, vel ab infirmitate reconvalescat. Perpetuitas itaque hic expressa, tanquam conveniens naturæ, ac proprietati coadjutoriæ, verti haudquaquam valet ad significandam perpetuitatem cessionis, quæ relicta personalitate, evaserit perpetua, abdicativa, ac realis, omnibus, & quibuscumque coadjutoribus profutura.

Minusque locum hic habere videtur regula subrogatorum, quia si fas est, coadjutorem Tazj dici subrogatum priori coadjutori Comollio, subrogatio in hoc themate idem valet, ac positio in locum defuncti pro muneris exercitio, non pro ingressu in omnibus juribus ejus, in cujus locum facta est subrogatio, ideoque etiam in jure percipiendi distributiones quotidianas, quas nemo ipsi concessit. In hac enim materia subrogatorum subrogationes fieri necesse est in totum, non in partem, nullamque adesse diversitatem rationis inter subrogatum, cumque, in cujus locum subrogatio facta est.

Memorat Tazius coadjuto obligationem residendi in loco suæ Ecclesiæ, ex *Benedicto XIV. de Synod. diœc. lib.3. cap.9. num.15.*, memoratque pœnas non residentibus inflictas a *Sac. Conc. Tridentino sess.24. cap.12. de reform.* Noscens tamen, ab iis solutum esse, qui Apostolicum habet, ut Aghinius, abessendi indultum, canonicam alteram urget dispositionem, quæ indultarios ex-

excludit a perceptione quotidianarum distributionum, testibus *Covarr. var. resol. lib.3. cap.13. num.2.*, *Ricc. in prax. eccles. tit. praxis fidei professionis resol.201. num.5.*, *Franc. de Eccles. Cathedr. cap.28. num.346.* Pressius vero ad rem contendit, finalem causam cessionis distributionum, expletæ favore primi coadjutoris Comolli, Divinum fuisse cultum, ideoque cessionem fuisse *abdicativam*, sibique etiam ex eadem causa favere ex doctrina *Castrens. in leg. Plane §. Si duobus ff. de legat.1.* Maxime quia expleta fuit cum nota perpetuitatis, *in favorem sui perpetui coadjutoris*. Ex hoc namque desumit, censeri non posse temporariam, sed tamdiu duraturam fore, quamdiu Divini cultus causa, quæ perpetua est, permanebit; ideoque per obitum primi coadjutoris resolutam non esse, ad tradita per *Rot. in Romana Immissionis 11. Januarii 1751. §.4. cor. Bussio, & in Reatina Immissionis 17. Junii 1754. §.5. cor. Borrull*.

Eam altera ex parte esse ait Aghinius indolem coadjutoriæ, ut absenti coadjuto acquirat præsens coadjutor distributiones etiam quotidianas, secundum *Garz. de benefic. part.4. cap.5. de coadjutor. num.53.*, *Tondut. resol. beneficial. part.2. cap.1. §.13. de coadjutor. nu.25.*, eumque ab illarum perceptione excludi indultarium, pro quo nullus intersit Choro, ut est qui studiorum abest causa. Idque confirmat consuetudine Capituli Lateranensis, in quo non sibi, sed coadjutis percipiunt coadjutores quotidianas distributiones; nisi coadjutis sponte cedentibus, ut Canonicus Nicolaus de Bubalo, qui annua primo ejus coadjutori assignavit scuta 100., secundo, & tertio 50., quarto nihil.

Ad suadendam autem personalem distributionum cessionem favore primi coadjutoris Comolli, literam appellat supplicis libelli, in quo ipse, ad unum respiciens Comollium, paratum se dixit *di cedergli porzione degli emolumenti del detto canonicato, consistenti nelle distribuzioni quotidiane*. Nec aliter sentiendum autumat ex indefinitis illis Pontificii rescripti verbis = *quas in favorem sui perpetui coadjutoris cedere intendit* = Per hæc sane verba loquutus fuit Summus Pontifex de voluntaria distributionum cessione in precibus Aghinii oblata favore Comollii, qui reipsa perpetuus erat coadjutor cum spe futuræ successionis; ideoque trahi non posse videtur rescriptum ad futuros etiam coadjutores, quos coadjutus, ob remotum casum mortis primi coadjutoris, non contemplavit. Dum enim cessio

ei-

eique consentaneum Principis rescriptum directa sunt certæ personæ, nequaquam realia, sed personalia censentur, ut dixit *Rot. coram Falcon. de miscell. decis. 68. num. 6.*

Negligitque abdicativæ cessionis argumentum a Divino cultu desumptum. Quandoquidem causa augendi per cessionem distributionum diligentiam coadjutoris in Divino cultu, personam ipsam respexit Comollii, de quo Aghinius dixerat = *la Chiesa è ben servita dal suo coadjutore D. Angelo Comolli* = proindeque & ipsa videri potest personalis. Addit immo, quod etiamsi distributionum cessio dici velit realis ob excellentem diligentioris cultus Divini finem, censeri tamen debet mixta ob contemplatam personam Comollii, & per consequens ad vitam dumtaxat cessionarii abdicativa, veluti observat *Rot. cor. Falcon. de miscell. in cit. decis. 68. num. 7., & cor. de Veri decis. 93. num. 29.*. Atque hæc omnia confirmat ex facto ipsius Tazii, qui de sua dubitans comprehensione sub prima Aghinii cessione, *Sanctissimo* supplicavit *a degnarsi di rinnovare tal grazia, e rescritto*.

Notandum vero, quod si EE. Vestræ distributiones decernant Tazio, resolutionem eludere poterit Aghinius redeundo ad residentiam: Si Aghinio, lucrabitur hic etiam absens distributiones, quas Apostolicum ipsum abessendi indultum excepit; quodque si neque Aghinio absenti, neque Tazio, ob personalem illarum cessionem favore primi coadjutoris, deberentur, eas lucraretur Capitulum cum detrimento forsan choralis servitii. In his sane terminis resolvenda potius videri poterit dubia quæstio favore Tazii, qui integra fert onera canonicatus.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

An, & cui competant distributiones quotidianæ in casu &c.

Affirmative favore Tazj.

LAU-

LAURETANA CAPELLANIÆ. Comes Joannes Baptista ab Arcu Canonicus olim, & Custos metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis, & Archidiaconus tridentinæ Cathedralis per procuratorem fundavit anno 1700. *simplex opus pium laicale, & temporale, ita quod nullo unquam tempore aliquam qualitatem beneficii ecclesiastici, sive capellaniæ ecclesiasticæ assequi valeat, sub titulo, & ad Altare SS. Annunciationis in hac insigni Cathedrali Ecclesia Laureti, de jurepatronatus mere laicali*, prohibuitque, *quod dictum pium opus mere laicale, & de jurepatronatus, ut supra, nunquam censeatur affectum Datariæ Apostolicæ, sive pro tempore Ordinario, tantoque minus Protectoribus hujus almæ Domus, etiamsi pro tempore Rectores, seu Capellani in alma Urbe decederent*. In fundum vero hujusce pii operis quoddam assignavit prędium in regione recinetensis Territorii nuncupata *Campi longhi*, imposito onere *Rectori, seu pro tempore Capellano dicti pii operis laicalis celebrari faciendi per alios quinque Missas qualibet hebdomada pro suffragio, & salute animæ Fundatoris, ejusque proximiorum; sed inter dictas quinque Missas omnino comprehendi debeant dies mercurii, veneris, & sabbathi*. *Sess.25.cap.5. de Reform.*

Activum juspatronatus, seu jus eligendi Rectorem pii operis reservavit Francisco Leopolto ejus genitori, si sibi supervixisset, eoque defuncto, seniori proximiori de ipsius domo, & linea, ultimoque loco seniori proximiori familiæ ab Arcu. Quo ad passivum vero, post binos ab ipso ex ordine nominatos Sacerdotes, mandavit, ut *debeat institui, nominari, & præsentari in Rectorem, & Capellanum dicti operis pii aliquis ex filiis D. Philippi de Magistris, & in deficientiam filiorum dicti D. Philippi nondum uxorati præsentari debeat aliquis filius D. Barbaræ de Magistris uxoris D. Paschalis Cesarini, & istis deficientibus, præsentari, & nominari debeat unus ex liberis D. Clementiæ de Magistris nunc nubilis, & quatenus tempore vacationis, seu vacationum sint plures filii, & descendentes de Magistris, dignior, & magis habilis præferatur*.

Anno deinde 1719. ampliavit Fundator dotem pii operis, addiditque prædio *campi longhi* alia capitalia scutorum 900. cum additamento duplicis Sacri hebdomadalis. Passivum vero juspatronatus extendit ad filios Elisabethę, & Pasqualinæ Cesarini filiarum Barbaræ de Ma-

gistris, mandavitque, ut *deficientibus propriis, & legitimis filiis capacibus earumdem Elisabethæ, & Pasqualinæ pro Rectoratu dicti operis pii, teneantur substituere aliquem ex filiis ex primo matrimonio Caroli Josephi Morganti, ut singulas Missas celebret cum stipendio consuetæ eleemosynæ, reliquum vero, quod superrerit ex fructibus bonorum pro dicto opere pio assignatorum, cedere voluit in eorum emolumentum, & utilitatem, dummodo tamen d. Sacrificia indeficienter omnino celebrentur*. Atque in defectum lineæ masculinæ, & fœmininæ de Magistris, ac Elisabethæ, & Pasqualinæ Cesarini, vocavit seniorem capacem Familiæ Morganti.

Una ex passive vocatis superest linea Pasqualinę Cesarini, a qua descendit Carolus Franciscus Galeotti. Hic igitur EE. Vestris supplicat pro facultate retinendi hujusmodi legatum pium annui nunc reditus scut. 164. 20. in statu etiam, quem assumpturus est, conjugali; eique favet maceratensis Episcopus, Vicarius Apostolicus Laureti, in hæc verba: *Particula testamentaria, & pacifica possessio bonorum capellaniæ, de qua agitur, apprime declarant jus passivum ipsius Oratoris, & prædilectionem Fundatoris in auctores hodierni Caroli Galeotti. An autem ipsa capellania possit frui a conjugato, affirmare haud audeo. Punctum Juris est, & quæstione non caret; propterea nimis auderem, si coram EE. PP., qui me docent, & in brevì epistola rem explanare contenderem. In hoc tamen consistit gratia ab Oratore petita, quam nec incongruam, nec irrationabilem puto. Nemini siquidem jus læditur, nemini officitur, quum nemo ad capellaniam adspirare queat. Obsequitur immo aliquo pacto voluntati Fundatoris, qui si in linea prædilecta tam masculos, quam discendentem ex fœminis honoratos voluit, præsumi posse videtur, quod si modo viveret, non renueret excitatos intueri ex hodierno Oratore alios descendentes masculos, qui dicta capellania frui possent*.

Dubium non est, quin de simplici agatur pio opere, quum non semel Fundator, sed pluries in utroque fundationis instrumento id dixerit. Sed dubitari posset, num retineri valeat a conjugato. Instituit profecto Fundator pium opus, ut illud eximeret a potestate ecclesiastica, regulisque Cancellariæ, sed possideri voluit a *Rectore*, seu *Capellano*, qui ejusdem operis pii *capax* esset.

Lai-

Laicus autem conjugatus capax fortasse non est retinendi titulum Rectoris, qui est quid ecclesiasticum, & qualitatem requirit ecclesiasticam in possessore pii operis, *Cæs. de Grass. dec.* 104. *de præben. per tot.*. Idque comprobatur ex facto ipsius Fundatoris, qui duos in primos Rectores nominavit Sacerdotes, vocavitque deinde masculos etiam descendentes ex fœminis, non item fœminas, quæ juxta indolem simplicis legati pii, illud, æque ac conjugati, retinere potuissent, secundum *Rigant. ad regul.* 58. *Cancell. num.* 54., *Piton. de controv. patron. allegat.* 33. *num.* 1., & 2., *& Sacra hæc Congregatio in Urbevetana* 11. *Decembris* 1784.. In his ergo terminis statim concedenda non videretur Oratori facultas retinendi Rectoratum in statu conjugali, contra decreta S. Congregationis *in Reatina Capellaniæ* 22. *Septembris* 1714., *&* 9. *Februarii* 1715. *lib.* 64. *Decret. pag.* 387., *& in Balneoregien.* 29. *Julii* 1775.

Favent tamen Oratori, quæ in sua informatione animadvertit Vicarius Apostolicus; additque Orator ipse, quod de opere agitur pio cum facultate celebrandi Missas per alium; quodque nec abhorruit Fundator ab illius administratione penes fœminas, dum in defectum filiorum Elisabethæ, & Pasqualinæ Cesarini substitui voluit filium ex primo matrimonio Caroli Josephi Morganti, ita tamen, ut assueta detracta eleemosyna, *reliquum, quod superererit ex fructibus bonorum, pro dicto opere pio assignatorum, cedere voluit in eorum emolumentum, & utilitatem*. Sunt autem exempla concessæ retentionis Capellaniæ laicalis in statu conjugali, & præsertim *in Auximana Capellaniæ* 22. *Martii* 1755., *eademque* 15. *Decembris* 1787.

Deliberandum itaque proponitur.

An, & quomodo pium Missarum opus, de quo agitur, retineri valeat in statu conjugali in casu &c.

Negative; sed consulendum SSmo pro suspensione nominationis ad decennium, deputato ecclesiastico Administratore, qui, satisfactis oneribus, superextantes reditus Galeotti consignet.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

FERRARIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Reliquerat Canonicus Marcus Antonius Treguglia in testamento anni 1630. annua subsidia dotalia duo scutorum 25. *a due Zitelle nate di padre, e madre di buoni costumi, vita, e fama, e che anch' esse siano tali*; tributa heredi facultate præstandi *tutti li scudi 50. ad una sola Zitella, o più a suo arbitrio, che abbiano i requisiti già detti*. At mutata deinde voluntate, tria ejusdem quantitatis præscripsit subsidia in codicillis anni 1632.; quæ ob variationem antiquæ monetæ consistunt modo in scutis 18. 18. Hujusmodi subsidiorum cumulos scutorum 300. pro qualibet obtinuerunt ex rescripto Sacræ Congregationis 16. Januarii 1782. Marianna, Theresia, & Barbara Treguglia, in quarto consanguinitatis gradu Testatori conjunctæ; cumulumque pro dote monastica scutorum 363. 63. Elisabeth Treguglia, conjuncta in quinto, ex rescripto 15. Septembris 1787.

Expletus, & solutus fuit anno 1788. primus cumulus jam nuptæ Mariannæ. Expletus quoque secundus anno 1793., & inceptus tertius, finem habiturus anno 1798. pro Theresia, & Barbara, quæ *adhuc innuptæ manent, & fortasse manebunt*: *enumerant enim altera ætatis suæ annos 52., altera vero 43.*, ut refert Emus ferrariensis Archiepiscopus. Et ab anno 1798. ad annum 1804. conficiendus erit quartus pro dote monastica Elisabethæ, jam in actu emissæ professionis promissa. Hisce autem freta exemplis, *Sanctissimo* nuper supplicavit Maria Theresia Venturini annorum 12., & per duplex medium fœmininum in septimo gradu Testatori conjuncta, pro cumulo scutorum pariter 300. post completum novissimum; præcibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, testatur Emus Archiepiscopus, quod *Familiæ Venturini œconomicus status talis profecto non est, ut extrema paupertate prematur, licet stabilibus bonis, aliisque fructiferis careat. Alitur enim ex emolumentis artis liberalis, ratiocinatoriæ nimirum, quam pater dictæ Theresiæ exercet, ut sibi suæque familiæ, ex uxore & tribus filiis constanti, victum aliaque ad vitam necessaria comparet*.

Duplici hinc modo annui posse ait petitioni Oratricis, vel per assignationem alterius ex cumulis Theresiæ, & Barbaræ Treguglia, quatenus innuptæ decedant, vel per quintum cumulum. *In primo autem casu* (sunt

ejus verba) *minus præjudicium extraneis puellis a Testatore contemplatis inferretur, quum unus ex-voiatis cumulis completus jam sit, quam si novus cumulus, qui initium habere deberet anno* 1804., *præordinaretur*. Utcumque vero res futura sit, censet, *super reditibus Operis pii assignari posse Oratrici dos, quæ summam scutorum* 300. *non excedat*.

Obesse quidem posset Oratrici remota sanguinis conjunctio cum Testatore, per duplex nempe medium fœmininum in septimo gradu; nam Sacra hæc Congregatio puellas non vocatas, ut in nostro themate, ultra quartum gradum rejecit *in Ferrarien. Subsidiorum Dotalium* 11. *Januarii* 1755. Defectus insuper extremæ saltem paupertatis, quum concedi soleant dotales cumuli pauperibus consanguineis, *Card. de Luc. de dot. disc*. 100. *num*. 5., *Polit. eod. tit. quæst*. 6. *num*. 40. *tom*. 3. . & *Sacra Congregatio in Romana Subsidiorum Dotalium* 6. *Decembris* 1778. Et præmatura denique cumuli petitio, quam Sacra ipsa reprobavit Congregatio *in Firmana Subsidiorum Dotalium* 31. *Maii* 1766. *ad II. Dubium*.

At indulgentes quandoque fuerunt EE. Vestræ puellis consanguineis nedum a Testatore remotis, sed de consanguinitatis etiam gradu incertis, ut *in Romana Subsidiorum Dotalium* 13. *Julii elapsi anni* 1794., quandoque etiam præmature, *satisfactis nempe aliis dotium cumulis jampridem concessis, ut in Romana, seu Auximana Subsidiorum Dotalium* 15. *Martii ejusdem anni*. Eoque magis indulgentes esse possent Oratrici, quæ nisi extrema laboret paupertate, ut refert Emus Archiepiscopus, censeri tamen valet pauper, dum vivit ex temporanea arte patris. Num magis vero expediret, alterum concedere ex cumulis probabiliter vacaturis Theresię, & Barbaræ Treguglia, ut sentire videtur Emus Archiepiscopus, Vestrum erit decernere, ac statuere etiam quantitatem cumuli.

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit concedendus cumulus dotium in casu &c.

Negativę.

POR-

Sess.25. cap.4. de Reform.

PORTUCALEN. Monasterium Villæ Novæ de Gaya portucalensis Diœcesis sub invocatione SSmiCorporis Christi, & regula S. Dominici, hisce ab antiquissimo tempore gravatur piis legatis: annuis nimirum Missis 464. cum cantu; 726. lectis; ternionibus quatuor in Nativitate Domini; sacris concionibus tribus; officiis Defunctorum 32. sine cantu, aliisque recitatis quatuor; Defunctorum pariter vesperis cum cantu semel in anno; congiis 9. 3 - 4. olei; in quem usum, non constat. Nonnulli ex fundis legatis periere; & qui supersunt, annua reddunt lusitana regalia 137000., seu scuta romana 137., imparesque sunt oneribus, pro quibus vix sufficerent regalia 1360000., seu scuta 1360. Qua de re Monasterii Priorissa, & Moniales, unam pro omnibus in propria Ecclesia celebrare consueverunt quotidianam Missam cum cantu, & aliquot alias minori cum eleemosyna Hispanis committere (a quo tempore, latet) Quod suo autem fecerunt arbitrio, in posterum facere cupiunt auctoritate Vestra; ideoque onerum omnium reductionem postulant ad eamdem unicam Missam cum cantu hactenus celebratam: ac supplicant etiam pro absolutione quoad præteritum; licet jurejurando affirment, jam se absolutionem a Sede Apostolica tribus ab hinc annis obtinuisse.

Hæc omnia confirmat Vicarius Capitularis portucalensis; atque insuper refert, adeo antiquam esse dictorum legatorum institutionem, *ut de nonnullis traditione tantum a Majoribus accepta constet: ipsam antiquitatem in causa esse, cur bona, ad illorum satisfactionem addicta, partim perierint, quum deficiant monumenta, unde veritas erui possit*: investigari idcirco non possè, num culpa vacent, nec ne Moniales; illudque dumtaxat per testes ab ipsis indicatum, annuam pensionem regalium 5000., seu scutorum quinque, destinatam celebrationi hebdomadalis Missę, aliarum trium in die Nativitatis Domini, & officii Defunctorum, venditam fuisse, ejusque pretium in utilitatem Monasterii conversum. Addit deinde: *De Sacris omissis minime certa ratio. Asserunt enim Moniales jurejurando adductæ, ab hinc tribus annis a Sancta Sede indultum condonationis impetrasse; antea vero in Castellam commisisse aliquot Missas, cantata quotidie una Missa in sua Ecclesia*: eleemosynam manualem

præ

præsentem in Diæcesi esse obolorum duodecim pro Missa lecta; & in hæc demum concludit verba: *Sex & quadraginta Moniales in prædicto Monasterio adhuc existunt, quæ vix, ac ne vix quidem ad vitam habent necessaria, & nihil fere, præter panem, a Monasterio accipiunt: quum enim summa redituum annuorum vicies, & sexies centena millia regalium monetæ lusitanæ, seu 2600. scuta romana non excedat, Monialium manutentioni, & ædificiorum reparationi non sufficit, ita priscorum, ut a fundatione Monasterii quatuor ab hinc sæculis condita tradantur; nec hujusmodi redituum augmentum, attento rerum statu, prudenti arbitrio sperari potest. Unde liquidum fit, veram esse supplendi impotentiam. Itaque talis est animi sensus mei, ut Moniales prædictas legatorum condonatione pro præterito, & reductione in futurum indigere judicem.*

Religio, pietas, & debita Defunctis fides pati non viderentur, ut tot pia legata ad quid minimum reduceretur, contra dispositionem *canonis ultima voluntas* 13. *quæst.* 2. Eo magis, quia ex alienatione pensionis scutorum quinque in utilitatem Monasterii aliæ præsumi valent capitalium legatorum alienationes, itaut supplere teneretur Monasterium ex suis reditibus, quod deficit ad implenda legata. Urget contra, quod annua redituum Monasterii summa *Monialium manutentioni, & ædificiorum reparationi non sufficit*, ita ut Moniales *vix, ac ne vix quidem ad vitam habent necessaria, & nihil fere, præter panem, a Monasterio accipiunt*. In his sane terminis flagitatam Oratrices mereri possent legatorum reductionem, quæ concedi solet, ubi oneribus pares non sunt reditus, *Petr. ad Constit.* 7. *Eugen. IV. sect.* 2. *num.* 28. *tom.* 3., & *Sacra hæc Congregatio in Vigilien. Decanatus* 23. *Junii* 1729. Quatenus vero concedenda sit reductio, ponderare dignentur EE. Vestræ, num ad unam dumtaxat quotidianam Missam cum cantu reduci debeant pia omnia legata, quorum indistincti reditus summam attingunt scutorum 137.

A resolutione primi Dubii quo ad futurum, pendet altera quo ad præteritum. Si enim cogendæ sunt Moniales ad implenda legata, præteritam quoque supplere tenerentur omissionem. Si defectus vero capitalium, redituum imminutio, & illarum impotentia suadet reductionem, eadem ratione à supplendis omissionibus ab-

absolvi possent, ut *in Romana Oneris Missarum* 11. *Martii 1709. ad IV. Dub. lib. Decret. 59. fol.* 146.

Num aliqua tamen pro unica vice imponenda sint Sacra, ut quodammodo omissa suffragia suppleantur, vel alia Pia opera, EE. VV. decernent.

Quæritur itaque.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni legatorum quo ad futurum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quo ad præteritum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess.22. cap.6. de Reform.

VELITERNA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Præscripsit anno 1783. Joannes Carolus Innocenti germanæ suæ sorori, & heredi Erminiæ, ejusque successoribus triplicem quotidianam Missam cum eleemosyna manuali ad designata veliternæ Ecclesiæ Cathedralis Altaria, & pro illarum fundo certos hypothecavit fundos valoris scutorum 4290., annuique reditus scutorum 147. 50., voluitque, ut alii illis suo tempore accrescerent fundi valoris scutorum 1960., quorum reditus scutorum 69. 75, pro vitalitiis assignavit uxoris suæ Birgittæ Menicoccia, & ancillæ Venerandæ Pacini. Hujusmodi vero capitalium administrationem concessit heredi, & successoribus, indicta in casu omissionis Missarum caducitatis pœna.

Pro hujusmodi Missarum, aliorumque onerum reductione Sacræ huic Congregationi supplicavit Annuntiata Cesaretti Erminię filia; atque Eminentissimus veliternus Episcopus, qui ei adversabatur, aliam proponebat Missarum reductionem ad unicam Missam celebrandam in spiritualem agricolarum utilitatem sub auroram in eadem Ecclesia Cathedrali. At proposito Dubio = *An, & quomodo sit locus reductioni onerum* = rescripserunt EE. Vestrę in Congregatione diei 8. Februarii 1794. = *Negative* = Pro eadem nunc trium Missarum re-

reductione ad unicam sub auroram supplicat Fiscalis Curiæ ecclesiasticæ Velitrarum; atque Emus Episcopus difficile dicit trium Missarum adimplementum *ob tenuitatem eleemosynæ manualis, atque ob ingentem numerum Missarum, quibus celebrandis impar est Clerus tum sæcularis, tum regularis veliternus*, & hæc habet pro petita illarum reductione = *Caret quippe Civitas veliterna hujusmodi saluberrima institutione, qua nulla aptior ad Divinas benedictiones implorandas, & Fidelium pietatem excolendam excogitari potest; cum præsertim Sacerdoti, qui ad hujusmodi Sacrum peragendum electus esset, onus etiam imponi posset recitandi, juxta præscriptum san. mem. Benedicti XIV. pro capellis ruralibus, actus virtutum theologalium, & contritionis, aliaque pietatis exercitia pro Festorum opportunitate peragendi.*

Quamvis autem hujus institutionis utilitas ita exoptanda sit, ut probationibus non egeat, nulla tamen alia suppetunt media eamdem exequendi; nisi forte alia legata ejusmodi Missarum, quæ ob camdem rationem tenuitatis eleemosynæ difficile habent adimplementum, in unum contraherentur, ut simili ratione ad hunc effectum sufficerent; quod tamen, cum de plurium testatorum voluntate permutanda, & fortasse etiam de Missarum ab una ad aliam Ecclesiam translatione agi deberet, minus opportunum videretur. Frustsa vero quæreretur Sacerdos, qui tantum incommodum subiret celebrandi quotidie ad auroram, nisi emolumento ad id excitaretur: triginta autem obolorum eleemosyna sufficiens quidem videri potest, & attenta ratione assidui gravisque incommodi minime immodica videri debet. Auditi heredes, dummodo jus nominandi Sacerdotem penes ipsos maneat, libenti animo hujusmodi permutationi assentiuntur, & pii Testatoris voluntatem interpretari quodammodo videntur, qui profecto de suis civibus, & de Religione multo magis meritus evadet ob hujus Missæ ad auroram institutionem, quam ob legatum trium Missarum, quæ ne vix quidem celebrari possunt, & quæ vix umquam tot Fideles adstantes haberent, quot Missæ ad auroram celebrandæ adfuturi sunt, & pro illius, & suorum heredum Animis Divinam Misericordiam sunt deprecaturi. Censerem itaque, Fiscalis Curiæ episcopalis veliternæ preces dignas esse, quæ a Sacra Congregatione benigne exaudiantur.

Rem Fiscalis veliternæ Curiæ ecclesiasticæ proposuit commendabilem; nam celebratio Missæ sub auroram in spiritualem cedit agricolarum utilitatem, ex *cap. necesse de consecrat. distinct.* 1., *Nicol. in Flosc. verb. Missa num.* 31., *Ceccoper. lucubr. eccles. lib.* 3. *tit.* 12. *n.* 7., præsertim si ei ad præscriptum *Benedicti XIV.* addantur actus virtutum theologalium, & contritionis. Tali quidem frequens Velitrarum civitas destituta est beneficio, & Missæ tres, ex quibus induci vellet, facile ibi ob maximum aliarum Missarum numerum celebrari nequeunt cum simplici eleemosyna manuali per Testatorem præscripta. Reductio propterea duarum Missarum legati Innocenti ad aliud fieret opus celebrationis Missæ sub auroram, quod magis forsan præ animarum utilitate est pium, & ob difficultatem earum celebrationis concedi posset, per *Text. in cap. nos quidem de testament.*, *Barbos. de offic.*, & *potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 83., & *Card. de Luc. annot. ad Sac. Concil. Trident. disc.* 21. *num.* 3. Minori autem in numero fieri non sinerent majores sumptus, qui pro celebratione Missæ ad auroram requirentur, juxta relationem Emi Episcopi.

Ponderandum tamen, quod duplici privaretur anima Testatoris quotidiano suffragio, quodque adeo Testator solicitus fuit de triplici Missarum celebratione, ut pœnam indixerit caducitatis ab administratione bonorum, quatenus non expleretur, & quod subrogati in casu caducitatis interpellati minime fuerunt. Id enim impedimento esse posset, ne adeo enixa illius voluntas commutetur, ex dispositione Sacri Concilii Tridentini *sess.* 22. *cap.* 6. *de reformat.* Illudque etiam notari debet, quod maximo non obstante aliarum Missarum numero, celebratæ hactenus fuerunt tres Missæ Innocenti, quod annuus reditus pro earum celebratione assignatus, ascendit ad scuta 217. 25., & per hanc reductionem obtineret forsan heres lucrum jam ab hac S. Congregatione anno 1794. denegatum.

Vestræ igitur proponitur deliberationi.

An & quomodo tres Missæ legati Innocenti reduci debeant ad celebrationem unius Missæ sub auroram in casu &c.

D

Die Sabbathi 20. Februarii 1796. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PORTUCALEN.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni legatorum quo ad futurum in casu &c.* *Sess.25. cap.4. de Reform.*

II. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quo ad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative quoad Missas tantum juxta votum Vicarii Capitularis, & celebratis tribus Missis in die Nativitatis D. N. J. C.

Ad II. Affirmative.

VELITERNA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

An, & quomodo tres Missæ legati Innocenti reduci debeant ad celebrationem unius Missæ sub auroram in casu &c.

Negative.

CÆSENATEN. CAPELLANIÆ. Quæsitum fuit, *an, & cujus sumptu sit celebranda Missa quotidiana in Oratorio Portus cæsenatici*, & rescripserunt EE. Vestræ in Congregatione 19. Decembris elapsi anni 1795., *Af-* *Sess.22. cap.6. de Reform.*

 fir-

firmative sumpta Capellani. Obtenta autem per Capellanum licentia de redeundo, quæritur modo.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Sess.22. cap.6. de Reform.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Alias in Folio 12. Julii 1794. exposita fuit pia dispositio clar. mem. Cardinalis Benedicti Justiniani. Præter annuum enim legatum scutorum 50. pauperibus Chii cum prælatione illorum de familia Justiniana; alterum menstruorum scutorum 15. pro quolibet duobus Justinianis juvenibus, qui studio vacarent Perusiæ; tertium duplicis subsidii dotalis puellis lauretanis; & quartum scutorum 100. in redemptionem cujusque familiaris e captivitate Turcarum; præter hæc, inquam, legata, mandavit, quod sub administratione Archiconfraternitatis SS. Annuntiatæ Urbis *del sopra più si diano ogni anno a tante zitelle povere, e se sono nobili, tanto più, duecento scudi per una per monacarsi, o in Roma, o fuori di Roma*.

Ex pinguioribus hisce dotalibus subsidiis plures obtinuerunt cumulos puellæ Justinianæ, novissimeque Anna Maria, & Maria filiæ quondam Ignatii. Altera enim per rescriptum Sac. Congregationis diei 12. Julii 1794. *in Romana* pariter *subsidiorum Dotalium* cumulum habuit scutorum 600., ut religiosum assumeret habitum in Monasterio S. Silvestri de Capite; altera per remissionem *Sanctissimi D. N.* cumulum scutorum 400. a clar. mem. Cardinali Andrea Corsini jam Archiconfraternitatis Protectore. Quum hæc vero, nempe Maria, assumptura sit religiosum habitum in Monasterio S. Ambrosii, in quo requiritur dos scutorum 1000., alterum propterea *a Sanctissimo* postulavit cumulum scutorum 600. ad necessariam complendam dotem; precibusque ad hanc Congregationem remissis, refert Emus Caprara hodiernus Protector de illius paupertate, ejusque acceptatione in Monasterio S. Ambrosii, & quantitate dotis scutorum 1000. per attestationes Abbatissæ, & Parochi; sed rationibus adhærens Archiconfraternitatis

tis, petitioni adversatur in hæc verba: *In eamdem & ego ducor sententiam, ac prætermissa etiam juris quæstione, nec æquitati consonum mihi videtur, ut præfati Cardinalis beneficentia, pro pluribus distinctim personis, & familiis provide constituta, in una tantum familia pene coalescat.*

Ad excludendam Oratricis instantiam, eas ipsas Archiconfraternitas deducit rationes, quibus germanæ illius sorori Annæ Mariæ inutiliter se opposuit. Iterum profecto discretivam urget dispositionem Cardinalis Benedicti Justiniani, qui dum suos vocavit consanguineos ad legatum eleemosynæ, assignamentum studentium, subsidiumque in redemptionem captivorum, excludere voluisse censetur Justinianas foeminas a dotalibus subsidiis, ad quæ eas non vocavit, ex regula *Text. in leg. unic. §. sin autem Cod. de caduc. tollen.*. Notat insuper, Testatorem abhorruisse a cumulo dotium, dum nobilibus etiam puellis certam assignavit quantitatem scutorum 200., idque confirmasse per delegatam Archiconfraternitati electionem, quæ juxta illius statuta ad unicam fit dotem cum earum prælatione, quæ ortæ sint in Urbe, vel decennio in ea permanserint. Et impugnat denique consanguinitatem Oratricis cum Testatore, ut incassum etiam fecit cum illius sorore. Quoties vero, his non obstantibus, augeri vellet dotalis cumulus, de quo agitur, hoc saltem rogat, ne ad exemplum Annæ Mariæ, ultra summam augeatur scutorum 600., comprehenso duarum dotium cumulo, jam ex rescripto clar. memor. Cardinalis Corsini expleto.

Dubitari amplius non posse ait Oratrix de sua consanguinitate postquam eam Sacra hæc Congregatio in simili Causa admisit quo ad germanam ipsius sororem. Hinc ex ordinata Testatoris charitate, præsumptaque ejus mente, denegandum sibi pauperi non esse contendit cumulum dotium prælative ad extraneas puellas vocatas, ex decreto Sacræ Congregationis *in cit. Romana Subsidiorum Dotalium 12. Julii* 1794., cumque in summa scutorum 1000., quot ad assumendum religiosum habitum in Monasterio S. Ambrosii requiruntur, aucto scilicet ad eam quantitatem jam obtento cumulo; nam Sacra ipsa Congregatio ad congruam respexit dotationem *in Romana 22. Maii* 1757.. Probat autem, Romam se cum universa sua familia venisse anno 1777.,

ideo-

ideoque decenne in ea excessisse domicilium a statuto Archiconfraternitatis requisitum,

In deliberationem igitur venit.

An, & in qua summa augeri debeat cumulus dotium in casu &c.

Affirmative in aliis scutis biscentum, & amplius.

Sess. 25. cap. 5. de Regular., & Monial.

FERENTINA VISITATIONIS SAC. LIMINUM. Ad originarium hujus Causæ dubium, *An hortus frigidus comprehendatur sub clausura, seu potius servanda sit consuetudo super illius libertate in casu &c.*, rescripserunt EE. Vestræ in Congregatione 5. Aprilis 1794. = *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* De viribus modo hujusmodi resolutionis queritur; unique Conventuales Patres Ferentini nova sub patrocinio Advocati deducunt jura, ut clausuram excludant. Sat namque est ferentinati Episcopo, semel remVestræ deliberationi commisisse.

Iterum sane rusticam urget *horti frigidi* qualitatem, eumque similem dicunt rusticæ Regularium domui, quæ non est sub clausura, & fœminis etiam patet, ut sentiunt *Bonacin. de clausur. quæst. 5. punct. 1.*, *Navarr. de Regular. conclus. 4. num. 62.*, *Sanch. lib. 6. moral. cap. 17. quæst. 2. num. 10., & seq.*, *Pellizar. de Regularib. tom. 1. tractat. 5. cap. 6. sect. 2. num. 33.*, *Lezan. eod. tractat. tom. 1. cap. 10. pag. 67. num. 11., & tom. 2. verb. clausura sub num. 3.*. Ex ichnographia autem loci, quam sub EE. Patrum oculos ponent, adeo hortum a Conventu remotum, disjunctumque demonstrant, ut censeri omnino debeat rusticus absque communione ædificii urbani. Existit namque ultra cavædium Cœnobii G., & ab eo dividitur per cancellos F., ostiumque D., ac propriam ex via publica habet januam A.. Circumseptus quidem est muro; sed probant Religiosi per testes, olim ibi fuisse sepem, cujus naturam sapit subrogatus murus, per *Text. in leg. si donatæ de donat. int. vir., & uxor.*

Quæ

Quædam addunt alia, ut suadeant, clausuram Monasterii ab anteriori incipere claustro, non ab externo atrio, cum quo hortum comparant frigidum, ex auctoritate *Sanch. in Decalog. lib. 6. cap. 17. num. 18.*, *Thesaur. de pœn. eccles. pag. 2. de clausur. Regular. cap. 1. n. 2.* Maximamque postremo vim faciunt in antiqua observantia; nam hortum frequentare consueverunt mulieres, videntibus, & patientibus ferentinatibus Episcopis; multumque in materia clausuræ deferendum censent observantiæ (immemorabili) *Ursaya disceptat. ecclesiast.* 10. *num.* 10. *tom.* 3. *part.* 2., & *Rot. in Ratisbonen. Parochialitatis*, & *Jurisdictionis* 5. *Maii* 1760. § *fin. cor. Ratta*. Ne ad declarandam vero libertatem horti, EE. Vestras moretur periculosa Religiosorum conversatio cum mulieribus, per testes etiam probant, nullum unquam ex ingressu mulierum in hortum fuisse scandalum, nec esse potuisse ob supereminentium laicalium ædium prospectum.

Notare tamen dignentur Emi PP, libere interdiu Religiosos ingredi posse hortum, licet cancellorum claves (noctu forsan) retineat superior Cœnobii, ut asserunt testes; interioresque cellas EE., ad purgandum frumentum, excipiendasque purgatrices, supereminentium vicinorum oculos fugere. Ac secum in his terminis reputent, num extra clausuram censeri valeat hortus, qui intra septa Monasterii continuis muris continetur, contra doctrinam *Lezanæ de Regular. tom.* 2. *verb. clausura pag.* 116. *num.* 3., *Sanch. lib.* 6. *moral. cap.* 17. *num.* 14.; *Reiffenst. lib.* 3. *Decretal. tit.* 35. *num.* 27., *Leurenn. for. eccles. cap.* 11. *num.* 20., & num contraria attendi debeat, nec immemorabilis observantia, contra decretum Sac. hujus Congregationis *in Urbanien. Clausuræ* 18. *Aprilis* 1750., in qua per rescriptum, *negative*, & *amplius*, resolutum fuit Dubium: *An atrium, de quo agitur, sit extra clausuram Conventus S. Francisci Civitatis Urbaniæ, ita ut servanda sit prætensa consuetudo immemorabilis super illius libertate in casu &c.*

Re-

Resumpto igitur Folio 15. Martii 1794., decernere placeat.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.22. cap.1. de Reform.

APUANA. Sacerdos Franciscus Vasoli duas ordinatim rexit Parochias; unam annui reditus scutorum 50. per annos decem; alteram amplioris fructus scutorum circiter 90. per annos quindecim. Licet autem avarus non fuerit in distribuendis eleemosynis, ex superextante tamen utriusque Parochiæ reditu, Missarum eleemosynis, Ludimagistri stipendio, fructibusque patrimonialibus societates iniit bouum, aliorumque animalium, sibique in bonis stabilibus, censibus, cambio, & animalibus ipsis socialibus, non tenue ex lucro constituit capitale scutorum 1000. Ad illicitam tandem advertens negotiationem, Sacram adiit Pœnitentiariam, obtinuitque in foro conscientiæ tantum assuetam commissionem pro absolutione, & dispensatione ab irregularitate ob canonicas spretas censuras; sub lege tamen erogandi in pauperes quidquid in negotiis lucratus fuisset. In hoc autem exequendo rescripto, eum Confessarius absolvit a restituendis fructibus patrimonialibus, damnavitque ad distribuendos sociales in eleemosynas.

Magis ex hujusmodi absolutione turbatus fuit pœnitens, quum precisam de sociali lucro non haberet memoriam; iterumque propterea Sacræ Pœnitentiariæ supplicavit, ut eo, quo arbitraretur modo, suam conscientiam sedaret. Sacra vero Poenitentiaria rescripsit, *quod ipse servet singula in præcedenti ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ decreto sibi præscripta: ad quietem porro conscientiæ suæ tam pro præterito, quam pro futuro recurrat ad Sacram Congregationem Concilii*. Hinc EE. Vestris supplicavit pro absolutione ab illicito restituendo lucro; atque ex ejus ore, aliisque informationibus testatus fuit Vicarius

rius Capitularis Pontremuli, numquam illum *animum habuisse negotia Clericis interdicta peragendi*, quodque *licitas pecudum societates confecit aliquid lucrandi causa pro sui status melioratione*; & *de facto lucratus fuit summam scutorum rom. mille, in qua summa revera factus est ditior, quamvis eleemosynis pauperibus Parochianis, nec non iisdem Ecclesiis auxilium ferre nunquam cessaverit, adeo ut dictis eleemosynis omissis duplum lucri forsan ipse acquisivisset, eo quia ultra reditus parochiales, proprium etiam possidet clericale patrimonium, & ejus familia commodis opibus non eget*.

Interdicta Clericis est negotiatio, ne temporalium rerum alienatione Divinum negligant ministerium. Non desunt propterea, qui cessante personali negotiorum cura, quæ penitus animos occupat, permissum iis censeant negotiari per alios, & sociales potissimum inire contractus, in quibus operam præstent laici, ac præ cæteris *Redoan. de spol. quæst.* 8. *num.* 39., *Bonac. theol. moral. tom.*2. *tract de contract. disput.*3. *quæst.*1. *punct.*5. *num.*19., *Pignatell. consult.*76. *num.* 1. & 3. *tom.*6. Contrarium vero ob temporalium rerum cupiditatem, a qua Clerici esse debent alieni, & quæ per alios etiam negotiando expletur, sancivit *Benedict.XIV. Constit. Apostolicæ Servitutis* 25. *Februarii* 1741. *in ejus Bullar. tom.*1. *pag.*14., & in terminis Societatis animalium *Barbos. de jur. eccles. cap.* 40. *num.* 127., *Bellett. disquisit. cleric. part.* 1. *de discipl. Cleric.* §. 21. *num.*86., & *Sac. hæc Congregatio apud Ferrar. verb. Clericus art.*3. *num.*46.

Ex hac sane posteriori sententia dubitari non posset de illicita negotiatione Oratoris, qui nedum societates iniit animalium, sed activa etiam cambia, dubio procul Clericis prohibita, ut late probat *Benedict.XIV. de Synod. diœces. lib.*10. *cap.*6. *num.*3. Et quatenus ita etiam EE. Vestræ sentiant, de canonicis quærendum poenis, in quas fortasse incidit Orator. Hæ porro aliæ sunt temporales, aliæ spirituales. Temporales consistunt in privatione lucri, quod ex illicita fecit negotiatione, ejusque applicatione Cameræ Apostolicæ spolii, ut post alios Summos Pontifices statuit *Benedict. XIV. in cit.*

Constit. Apostolicæ Servitutis, & notat *Redoan. de spol. quæst.*17. *num.*8. *pag.*388. Spirituales vero in excommunicatione latæ sententiæ, & suspensione a Divinis, ex *cap. secundum instituta, ne Cleric. vel monac.*, & *cap. consequens dist.*88. *de vit. & honest. Cleric.*, *Sac. Conc. Tridentin. sess.*22. *cap.*1. *de reform.*, & *Bened. XIV. in ead. Constit. Apostolicæ Servitutis*.

Hinc restituenda viderentur ab Oratore scuta mille, *in qua summa revera factus est ditior*, teste Vicario Capitulari; sed notandum, quod in animalium negotium immisit etiam eleemosynas Missarum, stipendia ludimagistri, fructusque patrimoniales, sibique ex his, fructibusque parochialibus per negotiationem constituit capitale illud scutorum mille, quod pro integra idcirco summa dici forsan nequit negotiationis lucrum restitutioni obnoxium. Licite enim acquirit, & retinet Clericus quidquid ex bonis patrimonialibus, Missarum eleemosynis, artiumque liberalium stipendiis lucratur, *Rodoan. de spol. quæst.*2. *num.*4., & *quæst.*8. *num.*46. Nisi ex priori igitur Canonistarum sententia ab omni Orator absolvendus sit restitutione, Vestra saltem statui debet prudentia, quid habita proprii peculii ratione, restituere teneatur. Qua in re ponderandum etiam videretur cum Vicario Capitulari, quod Orator *pecudum Societates confecit aliquid lucrandi causa pro sui status melioratione*, quodque *pauperibus Parochianis*, *nec non iisdem Ecclesiis auxilium ferre nunquam cessaverit*. Cui vero fieri debeat restitutio, a Vestra etiam pendet deliberatione. Eam Sacra Poenitentiaria fieri debere censuit pauperibus, dum res in foro tantum erat interno; at post illam delatam ad externum, facienda forsan est restitutio Cameræ spolii juxta Apostolicas Constitutiones.

Hæc de poena temporali. Quo vero ad spiritualem; incidit forsan Orator in irregularitatem ob administrationem proprii Ordinis sub censuris ecclesiasticis, *Petr. ad Constit. VII. Pii II. num.*48. *tom.*5., *Grass. de effect. clericat. effect.*1. *num.*529.. Et ita declaravit Sacra Poenitentiaria, dum facultatem dedit eum dispensandi ab irregularitate, licet rem omnem deinde ad Sacram hanc Congregationem ablegaverit. Oratoris autem contumacia in priori exequendo Sacræ Poenitentiariæ rescri-

scripto, impedimento esse posset illius dispensationi ab irregularitate. At ipsius conformatio Vestræ deliberationi, & poenitentiæ signum, quod Sacram hanc Congregationem adeundo dedit, gratiam fortasse merentur, ne diutius maneat irregularis.

Quæritur itaque.

I. *An constet de illicita negotiatione in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, in qua summa, & cui fieri debeat restitutio in casu &c.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative in scut. tercentum erogandis in Christi pauperes utriusque Parœciæ administratæ.

Ad III. Affirmative.

SENOGALLIEN. FABRICÆ ECCLESIÆ. Dum Sodalitium Misericordiæ oppidi Belviderii senogalliensis Diæcesis opibus affluebat, Templum in solo Capituli lateranensis a duobus sæculis fundavit, dicavitque B. M. Virgini de Misericordia; illudque deinde ære suo in Collegiatam Canonicorum decem, duplicisque Mansionarii erexit. Fundatoris vero divitias, Templique ædificium consumpsit edacissimum tempus; nec superioribus annis erat, unde labens fere Templum reficeretur. Ad necessarium igitur perficiendum opus, obtinuerunt Canonici, & Sodales ab hac Sacra Congregatione vicennem suspensionem duplicis primo vacaturi Canonicatus, & facultatem creandi super illorum præbendis passivum censum scutorum mille, quot tunc requiri videbantur; per hoc nempe rescriptum diei 10. Februarii 1770. = *Pro gratia suspensionis duorum canonicatuum ad annos 20., & juxta votum Emi Archipresbyteri, & pro facultate arbitrio ejusdem Emi sumendi ad censum, vel alio modo summam scutorum mille, quæ in causam expositam cedant; ita tamen ut* *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

suspendantur toto cursu annorum 20. omnes expensæ a Societate fieri solitæ, præterquam requisitæ ad celebrationem Missarum, ut quidquid supersit tam ex fructibus duorum canonicatuum, quam ex reditibus Societatis, post detracta interusuria deponantur ad effectum dimittendi debitum, reddita quolibet anno ratione Emi Archipresbytero.

Per obitum Dominici Ubertini vacavit anno 1776. primus canonicatus. At sese abstinuerunt Canonici a creando censu scutorum 1000. ad formam rescripti anni 1770., satiusque duxerunt tenuem erogare vacantis canonicatus reditum in refectionem Turris campanariæ, quorumdam cœmentorum præparationem, & parumper a mente Sac. Congregationis deflectentes, in meliorauda prædia, rusticasque domos canonicalis præbendæ, quæ idcirco ab annuis scutis triginta aucta est ad quadraginta. Magis interim in præceps ibat Ecclesia; nec erant, qui cum simplici suspensione duorum canonicatuum ad vicennium, jam in parte elapsum, pecuniam crederent. Denuo propterea Sodales patroni supplicarunt pro indefinita eorumdem canonicatuum suspensione, donec contrahendum extingueretur alienum æs scutorum 1000., & pro absolutione ob erogatum reditum canonicatus Ubertini in causam diversam a præscripta in rescripto anni 1770. Sed eorum petitioni indulsit Sacra Congregatio die 16. Junii 1787. *in omnibus juxta votum Emi Archipresbyteri* [ad aliud nempe vicennium, nullo in calculo habitis decem preterlapsis annis] *& ad formam rescripti anni* 1770., consuluitque *Sanctissimo* pro absolutione, quam *Sanctitas Sua* benigne concessit.

Hinc creati fuerunt census in sorte scutorum 1000., sed admotæ non fuerunt manus operi ob Canonicorum discordiam circa directorem Fabricæ, redituumque administratorem. Qua de re S. Congregationem concessit die 20. Martii 1790. Capitulo lateranensi facultatem avocandi ad se directionem, & executionem fabricæ, & utramque committendi quibus opportunum duxisset; & sub administratione Capituli erogata fuerunt ex censuali pecunia scuta circiter 950. in primordia fabricæ; reliqua expensa summa in creatione censuum, solvendaque prima rata fructuum. Altero deinde sub annum 1791. vacato canonicatu Angeli Mei, amplia-

ti

si, fuerunt reditus in extinctionem contracti æris alieni. Ex iis vero permiserunt EE. Vestræ die 20. Julii 1793. fracta refici Ecclesiæ tintinnabula; atque extincta insuper fuit sors censuum in summa scut. 100.

Satis ad perficiendam fabricam visa fuerunt scuta mille; sed post ocularem inspectionem Visitatoris ab Emo Archipresbytero delegati, accuratioremque peritiam compertum fuit, alia requiri scuta 2640. 19.; & parcius agendo, scuta 2500. Si alii autem pro hac summa creari debuissent census, nec pares fuissent utriusque canonicatus reditus solutioni fructuum antiqui, & novi capitalis. Canonicatus enim Ubertini, annua deductis oneribus reddit scuta 82. 45., alter vero Mei scuta 40. Capitulum propterea lateranense, cui directio, & executio reparationis fabricæ commissa fuit, EE. Vestris supplicavit pro creatione alterius census scutorum 2500., & suspensione tertii canonicatus nuper vacati per obitum Jesualdi Tosi; duplicemque Sodales addiderunt instantiam pro facultate deputandi administratorem redituum ejusdem canonicatus Tosi sub obligatione reddendi quotannis rationem Emo Archipresbytero, & prorogatione nominationis, ne hoc Sodalitii jus per lapsum quatrimestris devolveretur ad Capitulum.

Postremæ huic instantiæ consuluit rescriptum diei 26. Septembris elapsi anni 1795., *pendente Causa in S.C., tempus & tempora non currere*: supersunt reliquæ; & hæc super petitionibus Capituli lateranensis, auditis Canonicis, & Sodalibus Misericordiæ, habet Emus Archipresbyter. Ex priori censu scutorum 1000. nonnulla adhuc extare ait cæmenta, & scuta 56. 12. in pecunia numerata: quo vero ad fructus præbendarum Ubertini, & Mei, memorat illorum erogationem contra legem Sac. Congregationis usque ad annum 1787., ejusque sanationem ex benignitate Vestra; additque, quod *in actu Apostolicæ Visitationis compertum est, denuo in illicitam etsi minimam erogationem incidisse administratores. Quum enim nobilior casula in Sacrario desideraretur, nonnulli idcirco Benefactores suam contulerunt symbolam, ut nobilis hæc casula fieret; sed quoniam collecta ex piis largitionibus pecunia impar erat ad integrum illius pretium solvendum, ita ex reditibus suspensorum canonicatuum deficiens in modico*

pe-

pecunia suppleta ac soluta fuit, illegitime tamen, & contra formam rescripti: sed quum versa sit in Ecclesiæ usum, & in causam quodammodo necessariam, aut saltem legitimam, ita attenta tenuitate summæ facultate Apostolica, qua præditus erat Auditor meus, ad ineundum Visitationem delegatus, sanationem indulgere posse putavit. In reliquis fructus omnes impensi sunt fideliter in usurarum solutionem, ac sortis extinctionem, quæ nunc ad scuta 900. reducta est.

De urgenti vero testatur necessitate reparandi Ecclesiam, pro qua juxta novissimam peritiam requirerentur scuta 2640. 19. comprehensa Turri campanaria; sed *ut totum æs alienum sumendum ad scuta 2500. tantum contrahatur, existimaret R̃mum Lateranense Capitulum, quod pro nunc elevatio hujus Turris suspendatur, quatenus & ad Turris, & Ecclesiæ complementum satis non essent scuta 2500., cujus sententiam ego etiam libentissime amplector.* Aliumque non esse refert modum a Sacris Canonibus præscriptum pro reparandis Ecclesiis. *Nulli enim sunt fabricæ reditus, ac tenues adeo sunt illi Confratrum, ac Sodalitii præbendarum patroni, ut pares vix esse possint ad occurrendum ordinariis, & necessariis expensis: nam hoc brevi temporis spatio introitus vix superavit exitum in scutis 7. 20. 3. ½. Postulat ergo necessitas, ut ad consulendum ulteriori reparationi, ac decori Ecclesiæ locus sit imploratæ suspensioni collationis tertiæ præbendæ nuper defuncti Canonici Tosi; tali enim pacto de facili æs alienum, non majori tamen usura scutorum quatuor in singula centum pro quolibet anno, invenire datum erit, cum creditores tutissimi sint tam pro fructuum solutione, quam pro sortis repetitione.*

Inito autem calculo, reditum præbendæ Ubertini in annuis statuit scutis 82. 45. ½, alterius Mei in scutis 40., ac tertiæ Tosi. in scutis 90., cujusque detractis oneribus; atque ex collata hujusmodi præbendarum summa scutorum 212. 45. dimitti posse censet spatio annorum 27. contractum, & contrahendum æs alienum, annuis etiam solutis usuris. Et in hæc concludit verba: *Quum igitur pecuniæ subventori & de fructuum, & de sortis principalis perceptione cavendum sit, non minus, quam pro 27. annis, harum præbendarum suspensionem demandandam esse censerem. Attamen ex* elec-

eleemosynarum perceptione , & ex aliqua fructuum diminutione hoc primo tempore , quia non integra summa scutorum 2500. statim sumenda erit , sed ratatim pro necessitate , ita nisi me fallit opinio , ante præfinitum 27. annorum tempus omne debitum extinctum futurum confido . Hujus tertii canonicatus suspensio nullius erit chorali servitio detrimenti , quia nuper alter canonicatus in eadem Ecclesia jure erectus est juxta voluntatem defuncti Angeli Mei . Perficietur hoc modo tutissime Ecclesiæ fabrica , satisque etiam creditoribus cautum erit per hypothecam præbendarum , Dei domus decenter ornata apparebit , illiusque cultus , quod maxime cordì esse debet , adaugebitur .

De necessitate siquidem reparandi collegiatam Ecclesiam S. Mariæ de Misericordia post peritos testatur Emus Archipresbyter ; eamdemque reparationem commendat *Tridentina Synodus sess. 21. cap. 7. de reform.* Deliberandum ergo , num ad perficiendum opus permitti debeat impositio secundi census scutorum 2500. , & suspendi collatio tertii canonicatus . Deficiunt quidem juxta Emum Archipresbyterum reditus fabricæ , & impar est operi Societas patrona ; sed contribuere possent Oppidani necessarias expensas , ut ultimo loco præscribit *Sac.Conc. Tridentinum in cit. sess.21. cap.7.* Hoc pacto opus non esset creatione alterius passivi census , nec per consequens suspensione tertii canonicatus , cujus cæteroquin diuturna vacatio adversatur dispositioni Juris , teste *Card. de Luc. de jurepatr. disc. 20. num. 12.* , *Fagn. eod. tractat. part.2. can.27. cas. 6. num. 4.* ; atque evitari forsan posset per contributionem potius Canonicorum , quam per imminutionem eorum numeri .

At Oppidanorum contributum negligit Emus Archipresbyter , sive quia pauperes sunt , sive quia *Sac. Conc. Tridentinum* de Ecclesiis tantum loquitur parochialibus ; nullumque alium esse affirmat modum reparandi collegiatam Ecclesiam Belviderii , præter creationem alterius census scutorum 2500. , quot parcendo pro nunc sumptui Turris campanariæ requiruntur . Aliis porro deficientibus mediis , permittitur impositio census super bonis Ecclesiæ , ut *in Forolivien. 13. Junii 1789.* , & nedum canonicatus , sed ipsæ ad restau-

staurandam Ecclesiam suspendi consueverunt Missæ, ut *in Lisbonen. Applicationis* 18. *Decembris* 1790. Ardua profecto videtur suspensio tertii canonicatus in Collegiata oppiduli; sed *nullius erit chorali servitio detrimenti, quia nuper alter canonicatus in eadem Ecclesia jure erectus est juxta voluntatem defuncti Angeli Mei*, Emo Archipresbytero teste. Ad quod vero concedi deberet tempus, num juxta rescripta annor. 1770. & 1787. ad vicennium, vel juxta Emum Archipresbyterum ad annos 27., EE. Vestræ decernent. Notare tamen dignentur, quod ad dimittendum aliænum æs præteritum, & futurum, calculos ponit Eminentissimus Archipresbyter ex suspensione trium canonicatuum ad annos 27., ideoque prorogari quoque deberet suspensio canonicatuum Ubertini, & Mei, quæ nedum concessa est ad vicennium, sed ab illa etiam octennium fere preteriit.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit providendum reparationi collegiatæ Ecclesiæ Belviderii in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit locus suspensioni tertii canonicatus Tosi, & prorogationi alterius jam concessæ canonicatuum Ubertini, & Mei in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Eminentissimi Archipresbyteri.

Ad II. Affirmative juxta votum Eminentissimi Archipresbyteri, etiam quoad Canonicatus Ubertini, & Mei.

Sess. 22. *cap.* 13. *de Reform.*

CIVITATIS PLEBIS BENEFICII. Uno conjunctim testamento præscripserunt anno 1779. Marcus Antonius, & Joseph Maria fratres Mazzocchini, ut omnibus post ipsorum obitum venditis bonis, occuparetur pretium in Locis MM. Urbis, & cum hoc fundo simplex erigeretur Beneficium laicale sub titulo B.M.

B. M. Virginis Gratiarum ad Altare majus Ecclesiæ eidem Deiparæ dicatæ in Villa S. Fatuchii. Onus vero imposuerunt Beneficiato celebrandi Sacrum per se ipsum diebus festis de præcepto una hora post Missam parochialem, nec non residendi, & habitandi in altera ex eorum domibus, per executores testamentarios destinanda. Obiit primum Joseph Maria; aliudque Marcus Antonius anno 1787. condidit testamentum, in quo post obitum Theresiæ Alesandri heredis usufructuariæ, idem institui mandavit Beneficium, nulla facta mentione investimenti in Locis MM. residentiæ Beneficiati, & celebrationis Missarum per se ipsum; suasque omnes abrogavit præcedentes dispositiones.

His stantibus, EE. Vestris supplicant Sacerdotes Franciscus Brancaleoni, & Stephanus Paolozzi executores testamentarii, ac Sacerdos Angelus Santucci nominatus ad Beneficium, pro facultate occupandi bonorum pretium in stabilibus, & censibus, dum jam Executores ipsi testamentarii ex pretio mobilium, & argenti crearunt censum in sorte scutorum 260., cujus irrepetibilis sors occupari amplius nequit juxta primam dispositionem in Locis MM., ac supplicat insuper præfatus Santucci pro facultate celebrandi, dum occasio urget, per alium. Hæc autem habet Episcopus Civitatis Plebis: *Lex equidem, quæ respicit universalem rerum omnium hereditariorum venditionem ad Loca MM: comparanda, & præsertim in patrimoniis pinguibus, videtur summopere commendanda, & hoc pacto Beneficii reditus essent maxime tuti. Sed in præsenti agitur de paupere reguo, quum universa hæc hereditas Mazzocchini non excedat scuta 805., a cujus fructu detrahenda sunt annuatim scuta tria pro utensilibus, & alia scuta tria pro datiis cameralibus, præter onera dd. Missarum.*

Deinde pecuniæ discreto interusurio datæ quomodo sic facile repeti poterunt? Et facta etiam hypothesi, quod repetantur, erunt ne præsto, qui Loca M.M. distrahent? Et fructus Locorum MM. erunt ne uberes, & pares imposito oneri sustinendo? Et præcipue his temporibus, in quibus eleemosyna manualis Missarum perpetuarum, & in diebus festis generaliter prætenditur in obolis viginti pro qualibet. Quapropter pro

tuto fundamento dicti Beneficii, & ut hujusmodi erectio tandem aliquando sequatur, satius ducerem, ut prædia, & domus ejusdem hereditatis Mazzocchini remanerent penes Beneficiatum, qui per se ipsum, & non per alios Sacerdotes, nisi fuerit legitime impeditus, statutis diebus & hora celebret, quemadmodum in primo testamento præscribitur: pecuniæ vero interesurio datæ, si restituantur, erogari debeant in emptionem tot agrorum favore dicti Beneficii, quorum fructus & annui reditus augeantur Rectori; ut in idem & Executores testamentarii, a me juxta mandata auditi, conveniunt.

Conficiendum utique videretur investimentum hereditatis in Locis MM. Licet enim Marcus Antonius Mazzocchini per secundas tabulas revocaverit testamentum conditum cum fratre, quod fortasse quo ad se potuit secundum *Mynsinger in Instit. §. posteriore, quib. mod. testam. infirm., observ. 8. cent. 1. limit. 2. numer. 2.*, dum idem tamen instituit Beneficium, ac in primo testamento, illud instituere voluisse præsumitur cum iisdem legibus, & sic cum obligatione acquirendi Loca MM.; nam dispositionis qualitas in primo testamento expressa, nisi expresse etiam revocata fuerit in secundo, censetur repetita, *Rot. coram Molin. decis. 1120, numer, 2.* Ad ea tamen Eminentissimi Patres advertant, quę in id observat Episcopus, illudque præsertim, quod de tenui agitur hereditate scutorum 805., quæ majorem fortasse in prædiis, quam in Locis MM. redderent fructum, ex quo congrua haberi posset Missarum eleemosyna, sacrisque suppleri utensilibus, & oneribus cameralibus. Repeti quidem nequit ea hereditatis pars, quam Executores testamentarii, reticentiæ inhærentes secundi testamenti, occuparunt in censu; sed juxta votum Episcopi, illa etiam in casu restitutionis investiri posset in stabilibus.

Ad alteram quod attinet nominati Rectoris instantiam, multum ipse non videtur quærere, dum per alium celebrare postulat, aliqua urgente occasione. Parum enim distaret a legitime impedito, cui celebrare licet per alium. Quatenus vero obligatio celebrandi per se ipsum tacite repetita censeatur in secundo testa-

stamento, valde dubitandum, quin leves omnes sumerentur occasiones ad fraudandam Testatorum voluntatem.

In deliberationem igitur venit.

I. *An, & quomodo hereditas Mazzocchini sit investienda in casu &c.*

II. *An, & quomodo Rectori nominato ad Beneficium Mazzocchini sit concedenda facultas celebrandi per alium in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

SPOLETANA FUNCTIONUM ECCLESIASTICARUM. Sub parochiali S. Stephani duæ in castro Sancti Angeli districtus Vissi sunt Ecclesiæ, una nempe sub titulo S. Spiritus, altera S. Sebastiani. Jamdiu in illa S. Spiritus erectum est Sodalitium SS. Sacramenti, in alia S. Sebastiani Sodalitium Misericordiæ, sive Mortis, quod anno 1589. aggregatum fuit Archiconfraternitati Mortis Urbis. Si nonnullis credendum est testibus, sacræ omnes ab antiquissimo tempore, exceptis parochialibus, celebrari consueverunt functiones in Ecclesia S. Sebastiani per Capellanum Sodalitii, ac exponi potissimum *Sanctissimum* Sacramentum diebus festis, & quotannis in forma horarum 40. Si aliis vero deferendum, quos inter viciniores Parochi quinque, semper in ea Rectores S. Stephani *exercuerunt nedum jura parochialia, sed functiones quoque parochiales, uti sæpenumero Missam diebus festis Ovibus celebrare, explicare Evangelium, canere Missam in festivitate SS. Titularium, & SS. Sacramentum exponere, Populum benedicere, & alias similes; quas functiones Parochus exercet, prævio parochialis Ecclesiæ campanæ sonitu ad Parochianos convocandos*, & *cum omnibus paramentis, sacrisque* su-

Sess. 25. cap. 13 de Regular.

supellectilibus ejusdem parochialis Ecclesiæ; ut ex illorum ore in hæc refert verba spoletinus Episcopus:

Quæ autem fieri consueverunt expositiones *Sanctissimi* tum in Ecclesia S. Sebastiani, cum in altera S. Spiritus, annuentibus expletæ sunt Parochis. Ita rem narrat Episcopus: *Certo certius est, hujusmodi functionem prius in parochiali sedem habuisse, & ob Parochorum inopiam, & Ecclesiæ redituum tenuitatem, non pertingentes fructus summam annuatim scutorum 30., quum non potuissent functionis sumptui sufficere, obsoleta remansit d. functio; ideoque falsum, competere Fraternitati ab immemorabili; pariterque falsum, esse functionem propriam Confraternitatis. Anno 1740. qu. D. Fratini Vicarius foraneus terræ Vissi, & Concionator d. loci quadragesimalis ægre tulit, quod festis diebus ad evitandas Populi distractiones amplius non convocaretur ad Ecclesiam per consuetam SS. Eucharistiæ expositionem, & adhortationibus Concionatoris Fratres Confraternitatis Mortis excitati, dictam functionem in Ecclesia S. Sebastiani celebrare facere se obtulerunt, indeque Parochus illius temporis cessit, & concessit precario modo hujusmodi expositionem, cum protestatione tamen, & juris reservatione sibi, & suis successoribus revocandi ad parochialem eamdem functionem semper, & quandocumque, ut testantur omnes illius loci seniores, atque exorta deinde differentia, quod præfata expositio Confraternitati SS. Sacramenti competere debuisset, fuit conciliata media alternativa, scilicet, quod uno anno fieret a Confraternitate SS. Sacramenti, altero anno a Confraternitate Mortis.*

Res mutata fuit anno 1791., quo resumere voluit Parochus S. Stephani expositionem *Sanctissimi* in Ecclesia parochiali, eamque propterea inhibuit Episcopus Sodalitio S. Sebastiani, nisi de sua fieret licentia. De hoc præcepto apud EE. Vestras queruntur Sodales, & impugnant etiam Parocho facultatem celebrandi in ipsorum Ecclesia reliquas ecclesiasticas functiones ad exclusionem proprii Capellani, Episcopus autem refert, quod nunquam deturbare præsumpsit Parochus *functiones speciatim spectantes ad Confraternitatem, quæ fiunt a Sacerdote Confraternitati addicto*, sibique dumta-

takat vindicare contendit privativum jus exponendi diebus festis SS. Sacramentum in sua Ecclesia, & celebrandi in Ecclesia Sodalitii functiones parochiales; ac præsertim expositionis *Sanctissimi* pro oratione horarum 40. Hoc autem jus probat ex facto, & jure. Ex facto, quia *in antiquo inventario illius Ecclesiæ parochialis describuntur prædictæ duæ Ecclesiæ* [S. Sebastiani, & S. Spiritus] *inter ejus bona, non ita de aliis Ecclesiis in Parœcia existentibus, ideoque explorati juris est, Parochum S. Stephani esse patronum dd. Ecclesiarum, & optionem habere, ibi jura parochialia, & parochiales functiones peragere.*

Ex jure, quia expositio 40. horarum *solemnis functio est. Convocato enim Populo per sonitum campanæ parochialis, interessentibus Confraternitatibus cum earum insigniis, & Fratribus sacco indutis, Parochus cum parvo loci Clero paratus sacro, processionaliter Venerabile defert ad Ecclesiam S. Sebastiani* [in qua non servatur] *benedicit Populo, & ad adorandum exponit*: Reliquæ vero expositiones fieri nequeunt in Ecclesiis Confraternitatum absque licentia Episcopi, cui *Sac. Conc. Tridentinum sess.*21. *cap.*8. *de refor.* ea omnia committit, quæ *in Diœcesi ad Dei cultum spectant*. Maxime quia *Ecclesia SS. Sebastiani parvi ambitus, in via publica, inter duas cauponas constituta, strepitu bibonum repleta, Capellanus solus simul cum laico sæpe sæpius temulento expositionem perficiat, reverentiam Sacramento debitam quilibet sanæ mentis interpretari valet.*

Consuetudinem Sodalitii S. Sebastiani quo ad hujusmodi expositiones precario tribuit titulo; neque per illius aggregationem Archiconfraternitati Mortis Urbis communicatum ipsi esse ait privilegium exponendi SS. Sacramentum; hæc animadvertens: *Profecto patet manifestius, & ipsa docet praxis, quod per aggregationes non communicantur ab Archiconfraternitate aggregante Confraternitati aggregatæ, nisi quæ pertinent ad spirituale bonum, videlicet indulgentiæ, indulta, & gratiæ spirituales, Non immoror super Bulla Pii IV. ab Oratoribus allegata* [in Bullar. Mainard. tom. 4. part. 2. pag. 53. constit. 25. §. 1.] *quæ non recte cuncta explicat, ut notat Lambertinus tom.* 1. *notif.*, *norma in hac materia depromenda est a Bulla Clementis VIII. const.* 115. *Bullar. Rom. tom.*3. §. 4., ibi = *a Confraternitate aggre-*

gregante ad aggregatam non transeunt, nisi privilegia mere spiritualia, indulgentiæ, facultates, aliæque gratiæ spirituales = & §.5. = Pontificem reservasse Ordinariis jurisdictionem, etsi spiritualium tantum.

Idemque manet pluries decisum a Sac. Congregationibus tum Concilii, tum Episcoporum & Regularium, & Sac. Rituum, nempe resolutio Sac. Congregationis Episcoporum & Regularium in Brugnaten. 23. Novembris 1691., ibi = *Confraternitates aggregatæ Archiconfraternitatibus non gaudent privilegiis Archiconfraternitatum aggregantium, sed solummodo illarum indulgentiis, & gratiis spiritualibus* = & *resolutio Sac. Congregationis Concilii in Cremonen.* 13. *Aprilis* 1726., *II. Dubium* = *An Confraternitas Orationis, & Mortis oppidi Casalis majoris, aggregata Archiconfraternitati Urbis, possit sine licentia Episcopi in suo Oratorio exponere Eucharistiam infra annum, & præcipue 40. horarum in octava Defunctorum, aliasque functiones peragere juxta assertum institutum = Sac. Congregatio = negativè quo ad primam partem; & quo ad secundam explicentur functiones.* Atque ex his reiiciendam censet Oratorum instantiam; *sapientissimo suffultus voto, Sacræ Congregationi Concilii porrecto. pii Cardinalis Leandri Colloredo, in materiis ecclesiasticis peritissimi, in quo exprobat quam maxime differentias Confratrum cum Parochis, ejus votum concludit cum verbis S. Caroli = che in tutto ciò appartiene alla forma, e moderna disciplina della Chiesa, dice, doversi prender regola dal solo servizio di Dio, e dal maggior lucro e decoro delle sacre funzioni, e dall' officio, ed obblighi, perche sono stati istituiti i Parrochi.*

Quæritur primo, num Parocho S. Stephani privativum competat jus exponendi in propria Ecclesia SS. Eucharistiam; & pro affirmativa est regula, quod retineri Ea valet, & per consequens exponi in una Ecclesia parochiali, juxta decretum Sacræ hujus Congregationis *in Fulginaten.* 1. *Augusti* 1752., in aliis vero Ecclesiis nonnisi ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii, ex *cap. tribus §. tanta de consecr.*, *Piasec. in prax. Episc. part.2. cap.3. num.7.* Quidquid altera ex parte de cæteris sit Ecclesiis Castri S. Angeli, dubitari posset in nostro themate, num prohibere valeat Parochus similem expositionem in Ecclesia S. Sebastia-

stiani, cujus Sodalitium ex diplomate aggregationis facultatem habet eam faciendi *ad minus quater in anno* in forma horarum 40. Præsertim si fiat diebus profestis; in quibus vacat Parochus a functionibus parochialibus, aliisque, in quibus ipse SS. Sacramentum exponat.

Quo ad secundum favere posset Oratoribus aggregatio eorum Sodalitii Archiconfraternitati Mortis Urbis, & longæva observantia. Facultatem sane concessit *Pius IV.* dictæ Archiconfraternitati aggregandi alias Confraternitates *cum omnibus, & singulis privilegiis, & indulgentiis*, ut *sub* §. 12. ejus Constitutionis 25. *in Bullar. Mainard. tom.*4. *part.*2. *pag.*53., ideoque cum facultate exponendi Corpus Dominicum, juxta illius privilegium, de quo *ibid.* §. 1. Et pro communicatione privilegiorum in genere respondit Sac. hæc Congregatio *in Novarien. Aggregationis* 24. *Septembris* 1718. *ad I. Dubium*. Quæsitum namque fuit = *An Confraternitas aggregata gaudeat solum indulgentiis, vel potius etiam privilegiis Confraternitatis aggregantis* = prodiitque rescriptum = *Gaudere indulgentiis, & privilegiis Confraternitatis aggregantis*. Quasi vero Sodalitium S. Sebastiani communicato uteretur Jure, plurimis abhinc annis exponere consuevit SS. Sacramentum diebus festis, & semel in anno in forma 40. horarum, aliasque explere ecclesiasticas functiones per Capellanum; neque propterea æquum videri potest, talem intervertere observantiam, cui non parum fortasse deferendum in linea interpretiva aggregationis, ex *cap. cum dilectus* 8. *de consuetud.* Verum Sacra ipsa Congregatio declaravit *die* 13. *Aprilis* 1726. *in Cremonen. ad II. Dub.*, non licere Confraternitati aggregatæ Archiconfraternitati Mortis Urbis Sanctissimum exponere Sacramentum sine licentia Epircopi.

Ad tertium denique, jam ex ore Episcopi audistis Emi Patres, Ecclesiam S. Sebastiani subditam esse Parocho; omnesque in ea Parochum explere consuevisse functiones, præter proprias Sodalitii. In his porro terminis nedum explere posset Parochus in Ecclesia Sodalitii parochiales functiones, sed dependentiam insuper haberet Sodalitium a Parocho in explendis etiam functionibus non parochialibus, ut respondit anno 1704. Sacra Rituum Congregatio ad II. Dubium, apud *Gi-*

rald.

vald. in jus Pontific. tom.1. part.1. tit.47. de purific. post part. sect.627. Res vero forsan anceps est ex testibus productis a Sodalitio, qui affirmant, functiones omnes, præter parochiales, fieri consuevisse per Illius Capellanum.

Dubia sunt.

I. *An Parocho S. Stephani competat jus privativum exponendi SS. Sacramentum in propria Ecclesia, itaut iisdem diebus exponi nequeat in aliis Ecclesiis in casu &c.*

II. *An Confraternitas Misericordiæ, seu Mortis Castri S. Angeli aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis, possit sine licentia Episcopi exponere in propria Ecclesia SS. Eucharistiam infra annum, & præcipue in forma 40. horarum in casu &c.*

III. *An, & quas functiones explere valeat Parochus S. Stephani in eadem Ecclesia in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 12. *Martii* 1796. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

CIVITATIS PLEBIS BENEFICII. *Ses. 22. cap. 6. de Reform.*

I. *An, & quomodo hereditas Mazzocchini sit investienda in casu &c.*

II. *An, & quomodo Rectori nominato ad Beneficium Mazzocchini sit concedenda facultas celebrandi per alium in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi.
Ad II. Negative, & servetur lex fundationis.

SPOLETANA FUNCTIONUM ECCLESIASTICARUM. *Ses. 25. cap. 13. de Regular.*

I. *An Parocho S. Stephani competat jus privativum exponendi SS. Sacramentum in propria Ecclesia, ita ut iisdem diebus exponi nequeat in aliis Ecclesiis in casu &c.*

II. *An Confraternitas Misericordiæ, seu Mortis castri S. Angeli aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis, possit sine licentia Episcopi exponere in propria Ecclesia SS. Eucharistiam infra annum, & præcipue in forma 40. horarum in casu &c.*

III. *An, & quas functiones explere valeat Parochus S. Stephani in eadem Ecclesia in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi.
Ad II. Negative.
Ad III. Affirmative, præter functiones proprias Sodalitii.

Sess.22. cap.6. de Reform.

CÆSENATEN. CAPELLANIÆ. In superiori Congregatione concessa fuit Capellano Oratorii Terræ Portus cæsenatici dilatio *ad sequentem*. Quare resumpto Folio 19. Decembris elapsi anni, perpensisque juribus per eum deducendis, deliberare dignentur Emi Patres.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Ses.24.cap.12. & 13. de Reformat.

NULLIUS TERRÆ PONTIANI CANONICATUUM, ET SUBSIDIORUM DOTALIUM. Heredem scripsit Canonicus Martinus de Dominis anno 1721. Joannem Baptistam junior. ejus nepotem, eoque absque filiis decedente, erigi mandavit in oppido Pontiani Cœnobium Monialium sub regula S. Francisci de Assisio, *per comodo, e beneficio solamente di tutte le discendenti dal quondam Gio. Battista de Dominis mio Padre tanto per linea mascolina, quanto feminina in infinitum*. Prole heres destitutus, impetravit a Rev. Fabrica S. Petri compositionem super hereditate Patrui cum cessione jurium; & de ipsa hereditate, veluti de re sua, moriens disposuit favore illorum Felici, & Petrucci. Instantibus vero descendentibus Joannis Baptistæ sen.r de Dominis, quæsitum fuit ab hac Sacra Congregatione = *an sustineatur compositio cum cessione jurium facta a Rev. Fabrica S. Petri favore quondam Jo. Baptistæ de Dominis*, & quatenus negative = *An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Canonici Martini de Dominis, & quomodo* = Et Sac. Congregatio respondit di 5. Maii 1742. ad primum = *Negative* = ad secundum = *Dilata, & firmetur status hereditarius Canonici Martini de Dominis coram Vicario Apostolico, qui procedat etiam pro redditione rationis adversus heredes quondam Jo. Baptistæ de Dominis junioris* = iterumque di 21. Julii ejusdem anni = *In decisis, & amplius*.

Ex firmatione status comperta fuit hereditas in sc. 10675., quæ ad erigendum Monasterium non erant satis. Hinc reproposito Dubio = *An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Canonici Martini de Domi-*

nis, *& quomodo* = prodiit die 30. Januarii 1745. rescriptum = *Consulendum SSmo pro commutatione voluntatis juxta mentem communicandam Eminentissimo Commendatario*; *in reliquis ad Judices suos* (pro cogendis nempe heredibus Joannis Baptistæ junior. ad solvendum debitum alienationum) *& interim Eminentissimus Abbas incumbat administrationi*, *& indemnitati hereditatis*, *etiam cum facultatibus Sacræ Congregationis*. Mens autem communicata Commendatario fuit, *erigendos esse binos canonicatus cum reditibus designandis ab Emo Abbate*, & *residuum redituum distribuendum esse in dotes in quantitate ab eodem Emo designanda*, *servata quo ad omnes prælatione vocatorum juxta dispositionem Testatoris*.

Reque vera clar. memor. Cardinalis Columna de Sciarra Abbas tunc Commendatarius, binos anno 1747. erexit canonicatus in collegiata Ecclesia S. Nicolai Terræ Pontiani, eisque hereditariis assignatis bonis mandavit, *ut ex reditibus bonorum assignatorum dictis duobus canonicatibus*, *& respective Canonicis*, *singulis annis subdantur scuta* 100. *pro duobus subsidiis* (dotalibus) *ad rationem scutorum* 50. *pro quolibet*, *& exactissime in fine cujuslibet anni per dictos Canonicos deponantur scuta* 50. *per primum*. *& alia scuta* 50. *per secundum in arca capitulari pro effectu illa erogandi in dotationes illarum puellarum*, *quæ coram Nobis docebunt de earum descendentia juxta dispositionem Canonici de Dominis fundatoris*, *ita & taliter ut præbenda canonicalis sit*, *& esse debeat id totum*, *quod ex reditibus bonorum assignatorum*, *deductis scutis* 50. *ex utraque portione*, *superesse constiterit*.

Quum autem negligeretur depositum scutorum 100. in dotationes puellarum; hinc Abbas ipse Columna de Sciarra per decretum Sacræ visitationis anni 1763. separavit bona, certosque canonicatibus, & dotibus assignavit fundos; idque confirmavit anno 1771. clar. mem. Cardinalis Pamphilius illius successor. Tria porro assignata fuerunt dotibus prædia annui in unum reditus scutorum 43., & Loca Montium 22. annui fructus scutorum 65., reliqua bona canonicatibus. Aliquando dotales fundos administravit quidam Monetti, exegitque fructus Locorum Montium nomine heredum, seu Canonicorum de Dominis, ob nunquam ea loca favore operis dotalitii translata. Plures idcirco ortæ fue-

runt judiciales controversiæ circa solutionem subsidiorum dotalium, ad quas præcidendas urgere tandem ceperunt descendentes Joannis Baptistæ sen. de Dominis translationem Locorum Montium. At hodierni Canonici Gerardini, & Monetti Sacram hanc adierunt Congregationem, ut abrogata Bulla erectionis canonicatuum quo ad depositum scutorum 100. in causam dotium, abrogatisque decretis separationis bonorum, augerentur ipsis ad præsentem necessitatem præbendæ, & quod reliquum esset, distribueretur in dotes.

Petitioni favit Vicarius abbatialis. Quamvis enim fateretur, canonicales præbendas, quarum una in prima institutione scutorum erat 38. 45., altera scutorum 44., auctas esse ad scuta 55. 66., & 62. 20., ait tamen, quod *Oratores non immerito conqueruntur de divisione seu distributione, quam exequendo peregit clar. mem Cardinalis Sciarra tum quo ad annuos reditus, tum quo ad bonorum qualitatem, assignatos contra mentem, ac ordinem ab amplissimo Vestro Senatu præfinitum*. Ex verbis siquidem illis rescripti anni 1745. = *esse erigendos binos canonicatus cum redditibus assignandis ab Emo Abbate, & residuum redituum distribuendum esse in dotes* = volitam arbitrabatur prebendarum canonicalium prælationem. Gravamen insuper desumebat ex qualitate bonorum, quæ assignata fuerunt canonicatibus, dotibusque. Illa canonicatuum, inquit, *sunt tot prædia urbana, quæ natura sua ad ea tuenda, & conservanda, operæ pretium est in dies sumptus facere, & mehercule non mediocres*.

Domus Testatoris, quæ erat in Monasterium erigenda, exemplum præbet præclarissimum, urbana prædia decrescere tum quo ad valorem, tum quo ad fructus. Sive bene, sive male, anno 1747. annua illius pensio fuit computata scutorum sexdecim. Non multo post reducta, & posita scut. decem. In præsentiarum ob superventas rerum humanarum vicissitudines, alias EE. Vestris retuli, quod nec tanti locaretur, & in ejus restaurationem scuta 250. forent eroganda. Quæ de damno hac dissero, loqui respective debet de cellis vinariis, apothecis; uno verbo de reliquis urbanis prædiis. Præterea non minoris momenti est habendum, quod quatenus fiant locationes, non raro inquilini, clavi relicta sub janua, excedunt, evadunt, nihil pensitant. Sermo fere idem redit de censuum

quam usuris. Ut plurimum qui debent, vocandi sunt ad Judicem; adeoque antequam quidquam retrahant, coguntur Oratores impendere. Et ea est fere omnium censuum conditio, ut post unam, aut alteram generationem, personae, aut bona, aut actiones facile confundantur, unde evanescant census, pereant omnino.
Bona vero assignata dotibus *sunt tot Loca Montium* (rustica etiam prædia) *quorum sors, aut pretium, si mature perpendatur, est multo majus illo canonicatuum; exactio est prompta*. Hisque de utraque bonorum specie animadversis, notabat Vicarius, *nequaquam fuisse servatam æquitatis rationem, quæ communiter in rerum divisionibus servari solet, in quibus portio cuique datur boni, mediocris, ac inferioris. Scutata centum annua pro dotibus nitida, pura, a quibusvis periculis immunia: reliquum vero præbendarum totum fere incertum, periculosum, expensis obnoxium*. Testatus quidem fuit, taxam patrimonii sacri ex veteri Pontiani consuetudine scutorum esse 36., eleemosynam legati perpetui obolorum 20., neutram tamen sufficere dixit ad decentem exhibitionem Canonicorum, aliorumque de Clero Pontiani, ubi nostra ætate invaluit usus, ut ii *vestium proprietate incedant*. Augendas propterea censuit Oratorum præbendas ad scuta 66. pro qualibet; & superfuturam quoque esse summam scutorum 100. pro subsidiis dotalibus, si venderentur prædia omnia; pretiumque cum exigendis hereditariis creditis in aliis investiretur stabilibus. Hoc namque pacto evehi posse opinabatur annuum reditum ad scuta 230., & ultra.
Dissonam asserunt Canonici erectionem canonicatuum a rescripto Sacræ Congregationis anni 1745., eo quod Sacra Congregatio erigi primum ex reditibus jussit canonicatus, deindeque *residuum distribuendum esse in dotes*, & Abbas Commendatarius contra præposuit dotes canonicatibus. Quibus in terminis nulliter id egisset contra formam rescripti, per *Text. in cap. Venerabili de offic. & potest. Judic. delegat.*, & quasi adhuc illud adimpletum non esset, ex integro exequi deberet, *Lotter. de re benefic. lib. 3. quæst. 11. numer. 152.* Meritoque consultum præ omnibus fuisse inquiunt canonicatibus, ut decenter nempe sese exhibere valeant Canonici, ut requirunt *Canones*, & observat *Antonell. de regim. Eccles. lib. 2. cap. 2.* Ad congruas autem sibi constituendas præbendas, respici debe-

bere contendunt ad personas, tempora, & loca, juxta *Antonell. de benefic. eccles. lib. 3. cap. 4. sub num. 2.* ideoque largiores esse debere pro Canonicis Pontiani, qui Vicario abbatiali teste, *vestium proprietate incedunt*, neque ex præsenti canonicatuum reditu habent, unde decenter vivant.

Multa insuper addunt, ut suadeant, præstantius dotibus esse Divinum Canonicorum servitium, ex doctrina *Fagnani in cap. ex parte de constit. num.* 34., & ad illud principaliter Testatorem respexisse, dum Monasterium præscripsit Monialium, quæ Deum Divinis officiis collaudarent. Potissimum quia erecti sunt canonicatus in Ecclesia, in qua Testator ipse canonicalem habuit præbendam, & sepultus est. Neque EE. Vestras morari debere concludunt decessorum Canonicorum consensum erectioni canonicatus, & separationi bonorum; quum decessoris beneficiati consensus non præjudicet successori, ad tradita per *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 31. *num.* 16., *Piton. discept. eccles.* 50. *num.* 42.

Ad hæc reponunt descendentes Jo. Baptistæ sen. de Dominis, adamussim clar. mem. Columna de Sciarra adimplevisse rescriptum Sacræ Congregationis in erigendis canonicatibus, statuendisque dotibus, dum ei Sac. Congregatio respectivi illorum fundi designationem permisit. Turpiter immo in hac parte impugnari ajunt Bullas erectionis ab Oratoribus, qui suorum decessorum exemplo, canonicatus ad illarum formam acceperunt, diuque exequuti fuerunt erectionis legem per solutionem scutorum 100. in dotalia subsidia, ut ponderant *Murg. de benefic. quæst.* 4. §. 2. *num.* 17., & *Rot. in Valentina Jurisdictionis super manutentione* 10. *Martii* 1755. § 18. *coram Figueroa*. Æquissime præterea demandatum asseverant depositum scutorum .00. in Bulla erectionis, parique æquitate factam bonorum separationem per decreta Visitationis. Prætulit sane clar. mem. Columna de Sciarra dotalia subsidia favore descendentium, quia illarum tantum favore imperaverat Testator Monasterium. Tum is deinde, cum ejus successor Cardinalis Pamphilius certa pro dotibus assignaverunt bona, ut facilius prædilectæ descendentes consequerentur dotes; justitiamque decretorum noverunt, & diuturno probati fuerunt silentio Oratores;

res;

res ; licet ob descendentium oscitantiam separata etiam bona possederint .

Ponderandum de cætero rogant , num præbendarum augmentum postulent ad necessitatem , seu potius ad voluptatem , ut nempe *vestium proprietate incedant* . Ipsorum sane præbendæ ampliores sunt , quam in erectione , reditumque superant Parochorum ejusdem Terræ Pontiani , qui nec scuta attingit 40. Eo magis , quia præter canonicalem præbendam , proprium Canonici Oratores habent patrimonium , unde commodam ducant vitam , quin damno puellarum descendentium satis ipsis congrua augeatur præbenda ; & quidem cum gravi erectionis canonicatuum , & decretorum Visitationis abrogatione .

In quæstionem igitur venit .

An , & quomodo sit exequenda Bulla erectionis , & fundationis canonicatuum , & subsidiorum dotalium fact. a clar. mem. Cardinali Sciarra anno 1747. in casu &c.

Affirmative ad formam decretorum Sac. Visitationis annorum 1763. & 1771. , & amplius .

FIRMANA EMPHYTEUSIS . Supplicatum EE. Vestris fuit nomine Administratorum Xenodochii S. Mariæ Humilitatis , & S. Joannis Firmi pro concedendis ejusdem Xenodochii bonis in emphyteusim , ablegatæque fuerunt preces die 12. Maii 1792. *Archiepiscopo pro informatione , & voto , & prævia affixione Edictorum , pro emphyteusi ad tertiam generationem masculinam , incipiendam expleta locatione , quatenus locata sint , tam conjunctim , cum divisim ; & referat de bonis in specie , & de annuo reditu per decennium , nec non de idoneitate supervenentium oblatorum* . Affixis ad præscriptum Edictis , obtulit Joseph Silvestri annua scuta 1450. , nulla alia adjecta conditione : Xaverius Mercanti scuta 1242. sub pacto restituendi in fine emphyteusis æstimandas arbores , vitesque : & Comes Antonius ex Ducibus Altemps scuta 1225. 95. sarcinasque decem paleæ , hisce sub conventionibus . I. quod incipere deberet emphyteusis a filiis Josephi de Petro Paulo Montis Giberti . II. immunis esset canon a qualibet imposita & imponenda collecta . III. et sol-

Sess. 25. cap. 11 de Reform.

veretur de trimestri in trimestre. IV. restituere teneretur ultimus emphyteuta æstimandum armentum, si quod in bonis existeret. V. eamdem quoque seminis quantitatem, quæ initio contractus traderetur. VI. nec non arbores. VII. melioramenta omnia cederent Xenodochio. VIII. sumptus Beneplaciti Apostolici, aliique fieri deberent ab emphyteuta. IX. denique, quod permitteretur subemphyteusis prædiorum triū in regionibus *Vallasciano*, *Mossa*, *Pignotto*, firma remanente favore Xenodochii principali obligatione emphyteutæ.

Præter hujusmodi oblationes, transmisit firmanus Archiepiscopus decennem calculum Ratiocinatoris Xenodochii, ex quo annuus dictorum bonorum reditus in scutis constituebatur 795. 91. 2., omnibus deductis oneribus; notavitque, quod *calculus hic sicuti ad annos proxime elapsos, in quibus summa fuerunt rerum pretia, refert, ita summam esse fructuum quantitatem, quæ ex iisdem prædiis proficisci potest, tutissime dicendum videtur*. Hinc singulas expendens oblationes ait, ut quemadmodum oblatio Silvestri *amplissima est, ita idoneus quoque fit, aptusque solvendo, qui eam exhibuit. Sēd quamvis eum semel & iterum idoneum apud EE. Vestras alias dixerim, hisce tamen temporibus id ipsum asserere posse dubitarem. Aliis enim emphyteusis contractibus ita se addixit, ut ex hoc capite nummos fere mille quotannis persolvat. Si ergo ad hunc canonem is, de quo agitur, accedat, nummi bis mille, & quingenti in numerata pecunia sunt ab eo per singulos annos solvendi. Quum autem res domestica, quæ ad eum spectat, censu haud largo circumscribatur, hanc ob causam dubium esse potest, utrum novo huic oneri subeundo sit aptus, vel saltem utrum statis temporibus canonem expedite. & absque mora, prout Loci pii qualitas postulare videtur, rependat: qua in re aliquando peccare consuevisse deprehendi*.

Silvestrio autem meliorem censuit oblatorem Comitem Altemps, eumque præposuit etiam Xaverio Mercanti, tum quia hujus pacta, tanquam ab Edictis aliena, ipsius oblationem minuebant, tum quia *de majori idoneitate* Silvestri, *ac de oblati quoque canonis utilitate dubium mihi nullum esse posse videtur*. At emphyteusi in genere obstere retulit Moderatores Xenodochii ea potissimum ratione, *ne nimium cogatur Hospitale ea* eme-

emere, quæ nunc ex suis prædiis sibi præsto sunt. Quamquam hæc ipse ad objectionem reposuerit: *Verum hoc falsum in primis est, quum certum sit, fere omnia ab ipso Hospitalis Ministro divendi. Deinde ubi pecunia suppetit, nihil est, quod prompte comparari non possit, ac propterea ubi de contractu agitur, quo inito fructus fere duplo cumulabuntur, ratio urget, ut omnino absolvatur.*

Cæterum qui obstant, quum id ex studio quodam agunt, sibi ipsis sane non cohærent. Anno enim 1784. de locandis ipsis prædiis ad viginti septem annos, & (quod est perpendendum) non alio convento canone, quam nummorum 550. egerunt. Rursus idem ille, qui nunc consulendo dixit, ne hic contractus absolvatur, Comes nempe Eugenius Savini, idem ipse ad assumendas in emphyteusim hæc prædia oblationem suam exhibuit. Non animo ergo rem utilem pro Hospitale gerendi, sed ex privato studio Moderatores ejusdem Hospitalis emphyteusim, de qua agitur, improbare videntur. Hinc semel ac res est in præsentiarum de evidentissima utilitate, censerem idcirco, ut contractus absolvi omnino debeat, ne diutius ipsius Hospitalis prædia, ceu hactenus factum est, a peculiaribus viris perperam administrentur.

Questi tamen apud EE. Vestras fuerunt Moderatores Hospitalis de ementito ipsorum nomine in petenda emphyteusi, pluribusque rationibus, de quibus infra, enixe rogarunt, ne perniciosum Loco pio permitterent contractum. Licet vero in secunda informatione fassus fuerit Archiepiscopus, *Moderatores ipsos de precibus pro ineundo contractu datis minime conscios initio fuisse*; potius tamen respiciendum dixit ad utilitatem emphyteusis, quam occasione Visitationis Sac. Liminum in genere probarunt EE. Vestræ quo ad Loca pia firmana. Iterum ex mala bonorum Xenodochii administratione utilem censuit emphyteusim, probavitque ipsorum Moderatorum facto. *Quum enim post. mis hisce temporibus* (sunt ejus verba) *ad reddendam rationem Administratorem vocaverint, eum de negligentia palam, & non semel accusaverint, ceu ostendunt Folia, quæ humiliter adnecto. Negotia autem ejusdem Hospitalis sic agunt, ut tanquam rem propriam agere videantur; quemadmodum cæteris omissis, ostendit prorogatio longi temporis, quam ad conspicuas summas solvendas, me prorsus inconsulto, tribuerunt.*

Unicum vero huic malo remedium visa Ipsi fuit emphyteusis; ac denuo objectionem rejecit, quod cogerentur Moderatores emere fruges, aliásque res Hospitali necessarias, quas modo ex se ipsis colligunt; nam *ubi pecunia suppetit, quum ibi annona soleat quoque abundare, ita omnia comparari facile possunt*; & nunc immo per Moderatores, *præter oleum, arborumque cæduos ramos, cætera omnia venduntur*. Perperamque a Moderatoribus allegari inquit exemplum alterius Hospitalis Lapidoniæ; quum permissa ei non fuerit emphyteusis ob defectum evidentis utilitatis, & res esset de bonis, *quorum locatio antea erat lite absoluta*. Præfixo igitur Partibus termino ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione, judicio tantum sistunt Moderatores Hospitalis, & Joseph Silvestri.

Suam Moderatores ostentant contradictionem, eo quod impedire tenentur de jure contractum, quem asserunt Loco pio perniciosum, ad tradita per *Cohell. ad Bull. Bon. Regim. cap. 31. num. 167.*, emphyteusim scilicet bonorum, quæ peritorum judicio in optimo sunt statu. Neque diverse de ipsorum Xenodochio judicandum contendunt, ac de firmano Brephotrophio, cujus Rectores illius bona administrant: Maxime quia administratio bonorum Xenodochii, licet quandoque minus recta, opportunis tamen moderata fuit decretis. Et nonnullis tandem datis exceptionibus adversus decennem proprii Ratiocinatoris calculum, adversari ajunt emphyteusim circumstantiis Xenodochii, cui fruges ex propriis bonis collectæ utiliores sunt pecunia numerata. In distractione enim bonorum Loci pii, non ex majori dumtaxat pecuniæ quantitate, sed ex ipsius Loci pii conditione dimetienda est utilitas, *Fulgin. de jur. emphyt. quæst. 22. num. 17.*

Ea omnia vicissim urget Silvestri, quæ ad suadendam emphyteusis necessitatem in utraque informatione exposuit Archiepiscopus; malam nempe bonorum administrationem, quam ipsi fatentur Administratores; atque evidentem Xenodochii utilitatem, dum duplo fere per emphyteusim augeret reditum. Additque, locum amplius non esse pœnitentiæ post affixa de mandato Vestro Edicta, ne qui sub illorum fide ad emphyteusim obtulerunt, turpiter decipiantur, contra

monitum *Rotæ in Fulginaten. Associationis* 1. *Martii* 1794. §. *fin. coram R. P. D. Soderino* . Miratur immo, quod adversentur Moderatores emphyteusi, ad quam alter etiam ex ipsis obtulit, valdeque cum Archiepiscopo dubitat, quin id ex privato agant studio, ne ampla priventur administratione.

At ex his forsan moti, suam tandem contradictionem remittunt Moderatores, & quatenus permittenda sit emphyteusis, rogant, ut congruis fiat pactis. Ex tribus porro oblatoribus, plures Comes Altemps in sua oblatione expressit conditiones, quæ alteri etiam præscribi possent deliberatario, quatenus æquæ videantur. Cui vero deliberanda esset emphyteusis, EE. Vestræ decernent. Omnium certe melior est oblator Silvestri, dum superat oblationem Mercanti in scutis 208., alteramque Comitis Altemps in scutis circiter 224. De ejus quidem idoneitate dubitat Archiepiscopus ob alias assumptas emphyteuses: sed nihil hac de re dominis directis debet; & satis cautum videretur Xenochium ex suis bonis emphyteuticis absque alia fidejussione; nam *qui emphyteuticum agrum possidet, possessor intelligitur*, per *Text. in leg.* 15. *ff. qui satisd. cogant.*

In deliberationem igitur venit.

I. *An sit locus concessioni emphyteusis in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, quomodo, & cujus favore sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius.

Ad II. Affirmative favore Silvestri cum solidali obligatione ejus Fratris, & cum solitis pactis, & clausulis; salvo jure vigesimæ, & sextæ.

CAMERINEN. JUBILATIONIS. Sub jurepatronatus metropolitani Capituli Camerini erectæ fuerunt anno 1752. juxta dispositionem clar. mem. Cardinalis Angeli Giori duodecim ad nutum amovibiles capellaniæ in parochiali Ecclesia S. Mariæ in via ejusdem Civitatis; impositumque Capellanis onus inserviendi *la* *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

Chiesa nel medesimo modo appunto, che servono i Signori Canonici della Cattedrale, nec non *di applicare tutte le Messe secondo la mia intenzione in tutto, e per tutto*, annuo cuique assignato stipendio scutorum 75. Destituta est Ecclesia S. Mariæ titulo Collegiatæ, omnibusque Canonicorum signis, & privilegiis carent Capellani, uno excepto, qui pronomen habet Decani, & bimestrem exemptionem a servitio Chori. Canonicorum tamen instar, indulum postulavit jubilationis Capellanus Carolus Puccisanti annorum 66. ob quadragenarium præstitum servitium, adversamque valetudinem, ejusque petitioni favit Capitulum, dummodo non opponeretur indultum dispositioni Fundatoris, & de laudabili doceretur servitio annorum 40.; favit etiam aliorum Capellanorum conventus; & in hæc tandem verba decessor Archiepiscopus camerinensis = *Quoniam de diligenti, & assiduo Oratoris servitio per quadraginta annos, & ultra non est dubitandum, & verificatur ulterius. Oratorem gravibus valetudinis incommodis habitualiter vexari, arbitror, eumdem dignum esse, cui petitum jubilationis indultum ab EE. Vestris benigne concedatur*.

In inductum est jubilationis indultum erga Canonicos, qui quadragenarium Cathedralibus, & Collegiatis præstiterint servitium; ad exemplum Veteranorum, & Levitarum, quorum alii post annum mittebantur quadragesimum, alii post vigesimum quintum, *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib. 13. cap. 9. num. 15.*, ideoque concedendum non videretur simplici Capellano, qualis est Orator. Si intima vero attendatur concedendæ jubilationis ratio, quadragenarium nempe servitium Chori, fortasse etiam converit Oratori, qui ex lege fundationis per annos 40. diligentes, & assidue inserviit Choro, *nel medesimo modo appunto, che servono i Signori Canonici della Cattedrale*. Nec similia in id desunt exempla. Ex audientia SSmi diei 21. *Maii* 1770. concessa fuit in durioribus terminis jubilatio Benedicto Tarquinj, verulanæ Diœcesis, qui per annos 40. Camerarius fuerat Sodalitii SS. Passionis, & Prior Hospitalis; ac per rescriptum Sacræ hujus Congregationis *in Auximana Jubilationis 9. Septembris* 1786. concessa etiam fuit Capellano S. Mariæ Angelorum Philoptrani. Non sunt quidem exempla Ecclesiæ S. Mariæ in via Camerini: sed primus forsan est

est Orator, qui ab anno 1752., quo institutę fuerunt capellaniæ, quadragenarii servitii requisitum habet.

Notandum contra, quod non agitur in nostro themate de Capellano perpetuo, ut *in cit. Auximana*, sed de Capellano *amovibili*, *& ad nutum*; quibus in terminis, nullum occurrit jubilationis exemplum; quamvis plurimæ in Orbe Catholico sint Ecclesiæ receptitiæ, & plures etiam in Urbe, in quibus Sacra faciunt Capellani ad nutum amovibiles, ac præsertim Ecclesiæ Sancti Jacobi in Foro Agonali, S. Antonini, S. Jacobi in Augusta &c. Precarium sane esset indultum, dum ad nutum Capellanus removeri posset; & adversaretur etiam menti Fundatotis, qui ad perpetuum fortasse obtinendum illius servitium, *amovibilitatem ad nutum* præscripsit.

Decernendum igitur.

An sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.

Negative.

SANCTI SEVERINI, SEU SEPTEMPEDANA SEMINARII. Quo fundatum fuerit tempore Septempedæ Seminarium, quidque pro eo transactis temporibus actum, ignoratur. Nostra certe ætate impares sunt illius reditus scholis præscriptis *a Sacro Concilio Tridentino sess.23. cap.18. de reformat.*, aliisque sumptibus. Id occasione Visitationis Sacrorum Liminum, deindeque per supplicem libellum, *Sanctissimo D. N.* exposuit anno 1793. septempedanus Episcopus, rogavitque pro tribus eidem Seminario uniendis proxime vacaturis Beneficiis SS. Lazari, Antonii, & Catharinæ, annui in unum reditus scutorum 60., simplicibus, & liberæ collationis; nec non pro facultate taxandi laicorum Sodalitia, & sumendi quintam frumenti partem e frumentariis illius Civitatis, & Diœcesis Montibus, ut reditum ad opportunitatem augeret in scutis circiter 220. Dum ex Pontificia delegatione *Sess.23.cap.18 de Reform.*

ne, pendebat hujusmodi instantia in hac Sacra Congregatione, unita fuerunt Seminario per Apostolicas Literas tria illa interim vacata Beneficia, eique insuper per Pontificium Chirographum concessa fuerunt scuta 1000. ex hereditate quadam destinata in celebrationem Missarum. Quum adhuc autem passivus Seminarii status superet activum in scutis circiter 120., renovat idcirco Episcopus preces pro taxatione Sodalitiorum, & detractione frumenti ex Montibus; & hæc in sua habet informatione.

Huic deficientiæ (scutorum 120.) *optime, & absque ullo sive publico, sive privato incommodo, immo cum magna, ut per se patet, utilitate publica consulitur, si benignas meis precibus aures præbeant EE. Vestræ. Binæ præ cæteris sunt in hac Civitate laicales Confraternitates, altera sub S. Antonii, altera sub SS. Corporis Domini titulo. Alia item in semidiruto, & incolis fere destituto castro Collislucis hujus Diœcesis sub titulo B. M. Virginis de Rosario. Ordinariæ Episcopi jurisdictioni omnes plene, sicut & inferius nominandæ, subiiciuntur; ideoque ordinaria Episcopi auctoritate dicuntur erectæ, quamvis earum erectio non reperiatur. Harum unaquequae nunc, omnibus persolutis oneribus, habet in annos singulos, nulli certo usui addictos, superfluos reditus scutatorum quadraginta ad quinquaginta, & ultra. Quælibet itaque, non modico de superfluis hujusmodi reditibus ad incertis eventis occurrendum sibi relicto, potest viginti quinque ad minus scutata annuatim contribuere Seminario, cui proinde 75. scutatorum reditus in annos singulos accresceret.*

Est etiam in hac Civitate Confraternitas alia sub titulo S. Joannis. Habuit hæc ex legato qu. Pauli Scaccia scutatorum summam 250., in tot stabilibus, & fructiferis bonis jam reinvestitam, quorum annui reditus ad octo circiter scutata computantur, cum onere eosdem hosce reditus, in hebdomadas divisos pauperibus qualibet hebdomada erogandi. At quum Confratrum nullus, in bonis possidens, velit huic operi incumbere; hinc ut plurimum factum est, ut inops, & plerumque infidelis administrator reditus omnes sibi consumpserit, & nihil horum habuerint pauperes. Re hac perspecta, congregati nuper Confratres legato hujusmodi renunciarunt, & proprio juri cedentes, illud Episcopo pro tempore

ext

existenti dimiserunt. Possent bona ista Seminario pauperi applicari, eorumque fructus in partiale emolumentum concedi pro Magistris, vel aliis necessariis inservientibus Clericis pauperibus in illo degentibus; atque ita annus ejus reditus in octo circiter scutatis augeretur.

In castro item fere diruto Ficani hujus Diœcesis binæ sunt Confraternitates, altera sub titulo SS. Sacramenti, sub titulo B. Virginis de Rosario altera. Oneribus consuetis satisfecerunt hactenus ambæ, & tamen scutata circiter centum, in tot nominibus debitorum superextantia prior habet, tercentum circiter posterior. Relicta utrique aliqua horum portione, posset prior pro una vice subministrare Seminario scutata quinquaginta, & altera pro una item vice scutata 200., ex quorum omnium reinvestimento ei accresceret in annuos singulos decem scutatorum reditus. Neque hæc satis; quum deficerent adhuc ad necessitatem Seminarii annua circiter scuta 27. Se propterea vertit Episcopus ad Montes frumentarios, qui præter publicam, divitemque Civitatis annonam, sunt in Diæcesi 27. Continent hi rubra 680. frumenti, quæ ad ratam mutuari solitam, pauperibus sufficiunt familiis 2000., & ultra, quot non sunt in Diæcesi incolarum circiter 11000. Aliàs idcirco honestiores Diœcesani, ad tollendos divitum familiarum abusum, apud Episcopum institerunt pro erogatione alicujus partis frumenti in alios pios usus; ideinque pridem quo ad proprium Montem decreverat Societas SS. Salvatoris. Absque ullo igitur pauperum detrimento, detrahi posse censet Episcopus ex universis Montibus rubra centum frumenti, quorum pretium in fructifero occupatum capitali, annua redderet scuta circiter 28., & summam Seminario necessariam compleret.

Nunc autem proponit detrahendi frumenti modum: *Ex Monte prefatæ Societatis SS. Salvatoris in hac Civitate, in quo trigintaquinque circiter sunt rubra frumenti, rubra decem. Ex Monte Societatis SS. Corporis Domini in hac Civitate, qui Mons frumenti rubra habet 91., rubra* unum, & viginti. *Ex Monte Societatis SS. Rosarii in rurali Ecclesia nuncupata* del Glorioso, *qui circiter 68. rubra frumenti continet, rubra* quindecim. *Ex Monte Societatis B. M. Virginis de Rosario in castro Chigiani, frumenti rubra habente 28.,*

quo-

quorum quatuordecim tantum, Parocho teste, Populi subventioni satis superque sunt, rubra quatuordecim. *Ex Monte rubrorum frumenti* 52. *apud Societatem SS. Sacramenti in villa Pallorini, rubra* duodecim. *Ex Monte rubrorum* 50. *Societatis SS. Rosarii in castro Seraltæ, cujus Populus præ cæteris hujus Diœcesis ditior est, rubra* decem, & octo. *Ex duobus Montibus in castro Ficani sub titulo SS. Sacramenti, & Rosarii, rubrorum frumenti* 79., *habito respectu ad frequentiorem Populum in ejus Parochia degentem, rubra* septem. *Ac demum ex Monte rubrorum supra quinque Societatis S. Antonii in villa Cagnorum, quo nullimode Populus indiget, rubra* tria.

Atque ita concludit: *Si hæc assequor, ordinariæ Seminarii sustentationi erit aliqualiter consultum; sin minus, quo me vertam nescio. Confido autem, fore ut rei necessitas gratiam hanc, pro qua iterum iterumque, non pro me, rogo, a summa EE. Vestrarum benignitate obtineat. Unumque addo, quod si tota res consultationi & deliberationi præfatarum respectivarum Societatum relinquitur, nihil omnino consequemur. Earum enim Confratres ii ut plurimum sunt, qui reditibus prædictis, & piis frumentariis Montibus ad propriam commoditatem, & utilitatem abutuntur.*

De necessitate siquidem providendi per augmentum redituum septempedano Seminario, testimonium est Episcopi, provida *Sac. Concil. Tridentini* sanctio *in cap.* 18. *sess.* 23. *de reform.*, & Constitutio *Benedicti XIII.*, quæ incipit *Creditæ nobis*. Unice ergo deliberandum de modo. Justum Seminarii peculium cogendum jusserunt Tridentini Patres *ex fructibus integris Mensæ episcopalis, & Capituli, quarumcumque Dignitatum, Abbatiarum, & ex fabricis Ecclesiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuscumque ecclesiasticis reditibus, & proventibus*; ideoque quum de reditibus loquantur ecclesiasticis, excludere voluisse censentur reditus locorum piorum laicalium, ut sunt Sodalitia, & Montes frumentarii, de quibus agitur, ex regula *Textus in cap. ex parte de arbitr.*

Ait vero Episcopus = *taxam juxta Tridentinum, & Constitutionem san. mem. Benedicti XIII. solvendam decrevi; at nil inde ad activum Seminarii statum augendum conferri potest. Omnem etiam lapidem movi,* ut

ut tot malis occurrerem, sed oleum perdidi, & operam. Alia propterea ad conservationem Seminarii quærenda viderentur media; nec absurda esset laicalium Societatum, Montiumque frumentariorum taxatio, secundum *Franc. de Eccles. Cathedr. cap.* 28. *sub numer.* 303., *Card. de Luc. ad Concil. Trident. disc.* 25. *num.* 11. Num permitti autem deberet inauditis interesse habentibus, qui secundum Episcopum *ii ut plurimum sunt, qui reditibus prædictis, & piis frumentariis Montibus ad propriam commoditatem, & utilitatem abutuntur*, Eminentissimi Patres decernent; deliberaturi etiam de illius quantitate, & partitione, quarum rationes sunt in informatione ipsius Episcopi.

Proponitur itaque Dubium.

An, & quomodo sit providendum augmento redituum Seminarii septempedani in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo pro præfixione termini omnibus interesse habentibus ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione.

RIPANA FUNERUM. Quorumdam funerum occasione tres inter Zenobium Panelli Præpositum parochialis Ecclesiæ, & Patres Augustinianos discalceatos Cænobii S. Laurentii Aquævivæ ortæ sunt quæstiones; I. an convenire debeant prefati Religiosi in Ecclesia parochiali ad associanda ad propriã Ecclesiam cadavera. II. An ea occasione ingredi valeat Parochus illorum Ecclesiam cum stola, & interesse officio super Defunctis. III. an iidem Religiosi invitati ad associanda cadavera ad Ecclesiam parochialem, in ea prius convenire debeant. Quum autem hæc omnia sibi arrogaret Parochus, supplicarunt idcirco SS. Domino Nostro Religiosi, ut ipsorum jura servaret; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, utriusque Partis rationes exposuit ripanus Episcopus, censuitque, *ut qui ordo, & ritus in Civitate* (ripana) *adhibetur, is a Diœcesi nequaquam eliminetur; quare membra unius corporis in sacris cœremoniis sibi cohœreant, mutuaque procedant unione, & conformitate.* In Civitate enim sæcularis, & regularis Clerus, ac

Sess. 25. *cap.* 13. *de Regular.*

Sodalitia, quæ ad exequias vocantur, in Ecclesia conveniunt parochiali; & ubi tumulanda sunt cadavera in Ecclesiis Regularium, eas cum stola ingrediuntur Parochi, & efficium peragunt usque ad illa verba: *non intres*. Idque ex synodali lege, quam Sacra hæc Congregatio probavit die 26. Septembris 1623., & per sententiam exequi jussit anno 1658. A.C. de Bulgarinis.

Ad primam, & tertiam quæstionem accommodat sui favore Præpositus synodale decretum, confirmatorium Sacræ Congregationis rescriptum, & sententiam A. C., nam sancitum eo decreto fuit, *ut quicumque Sacerdotes, & Clerici, & Capitulares, & Regulares, nec non Confraternitates Laicorum, quæ ad exequias de more vocantur, conveniant in Ecclesia parochiali, seu curata Defuncti, a qua deinde omnes ad cadaver domo efferendum in habitu congruo, ac debita cum modestia progrediantur*. Constitutiones siquidem synodales ligant omnes intra limites Diœcesis existentes, *Henric. Boich. de synod. episc. part.3. art.2. concl.1. num.1.*, *Rot. in recent. decis.163. num.18. part.17.*, & *coram Ansald. decis.78. num.60.*, & *decis.234. num.4.* Quo vero ad secundam de ingressu in Ecclesias Regularium cum stola, & officio super cadaveribus, allegat consuetudinem, quam Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium servandam esse mandavit anno 1627., deindeque ad hæc tempora servatam testantur Parochi ripani,

Altera ex parte de singulis quæstionibus agunt Religiosi; & definitam ajunt primam, & secundam ab Urbano VIII., qui *in Brevi* 24. *Julii* 1641. emanato favore Eremitarum discalceatorum S. Augustini statuit, corpora tumulanda in Ecclesiis Regularium non esse prius deferenda ad Ecclesiam parochialem, sed ea Parochos de loco, ubi servantur, levare debere, & ad portam Ecclesiæ dictorum Regularium associare; nec se ingerere posse in officio super illis celebrando. Constitutionem addunt propriæ Religionis, in qua sub *cap.* 14. §.12. *pag.*30. cavetur, quod *si qui alii ob devotionem in nostris Ecclesiis sepeliri velint, illorum corpora a Fratribus ante Ecclesiæ portam expectabuntur, & recipientur, sepolturæ mandanda*. Valdeque postremo urgent decretum editum die 4. Maii 1673. a Sacra Congregatione Rituum favore ipsorum Patrum discalceatorum S. Augustini Aquævivæ.

Hæc

Hæc sunt decreti verba : *Sacra Rituum Congregatio ad preces Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis S. Augustini discalceatorum . . censuit , servandum esse Breve san. mem. Urbani VIII. emanatum ad favorem dictorum Fratrum die 24. Julii 1641. , ubi cavetur , corpora Defunctorum , qui sepulturam in Ecclesiis Regularium sibi elegerunt , non esse prius ad Ecclesiam parochialem deferenda , sed Parochos teneri cadavera suorum Parochianorum levare è loco , ubi asservantur , & associare usque ad portam Ecclesiæ Regularium , etiam ipsis Regularibus non associantibus ; nec Parochos se ingerere posse in faciendo super eisdem cadaveribus officium in Ecclesiis Regularium , sed ad ipsos Regulares in propria Ecclesia spectare & pertinere . Et ita ubique , & præcipue IN AQUAVIVA Diœcesis Ripætransonæ , & in Trioria Diœcesis Albinganensis servari mandavit .*

Ad tertiam vero quæstionem conferre arbitrantur alia ejusdem Sacræ Congregationis Rituum decreta , unum 20. Junii 1675. favore Patrum Eremitarum S. Augustini , alterum favore Minorum Observantium , apud *Ferrar. verb. Cadaver.* , ibi = *An allatis cadaveribus private ab heredibus ad aliquam tertiam Ecclesiam per modum depositi , Regulares convenire , & congregari debeant in dicta tertia Ecclesia , aut in parochiali ad effectum illa associandi ad Ecclesiam , ubi sunt tumulanda ? Sacra Rituum Congregatio , inhærendo alias decretis , respondit , Regulares debere congregari in illa tertia Ecclesia , ubi cadaver fuit depositum , ut die 22. Junii 1675. in una Ordinis S. Augustini , & iterum 13. Julii 1675. in una Ordinis Minorum Observantium .*

Si res definienda esset ex decreto synodali , confirmatorio Sacræ hujus Congregationis rescripto , sententia A. C. de Bulgarinis , & consuetudine ripanæ Civitatis , resolvendæ viderentur quæstiones omnes favore Parochi ; nam statutum ibi est , & consuetudine receptum , ut in omni exequiarum casu conveniant Regulares in Ecclesiis parochialibus , & illorum Ecclesias ingrediantur Parochi cum stola , ac funebre agant officium , ubi in iis Ecclesiis sepelienda sunt cadavera . Si vero peculiares prævalere debent Aquavivæ leges , contrarium forsan in omnibus ferri deberet judicium . Nedum enim in id est regula , quod Constitutio principis Civitatis non tollit speciales locorum consuetudines , & statuta , *Fagnan. in lib.3. Decretal. cap. Presbyter. num.36. de-*

celebr. Missar., sed hoc etiam notandum, quod Breve *san. mem. Urban. VIII.* 24. *Julii* 1641., decretum Sacræ Congregationis Rituum anni 1673., aliaque annorum 1675. posteriora sunt synodali lege, confirmatorio Sacræ hujus Congregationis rescripto, sententia A.C., & rescripto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium. Nisi magis cum Episcopo placeat, *ut qui ordo, & ritus in Civitate adhibetur, is a Diœcesi nequaquam eliminetur; quare membra unius corporis in sacris ceremoniis sibi cohæreant, mutuaque procedant unione, & conformitate.*

Dubia sunt.

I. *An Religiosi Cœnobii S. Laurentii Aquævivæ convenire debeant in Ecclesia parochiali ad associanda ad propriam Ecclesiam cadavera in casu &c.*

II. *An ea occasione ingredi valeat Parochus illorum Ecclesiam cum stola, & agere officium funebre in casu &c.*

III. *An iidem Religiosi invitati ad associanda cadavera ad Ecclesiam parochialem, in ea prius convenire debeant, seu potius in loco, ubi illa servantur in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Ses. 24. cap. 15. de Reform.

MELEVITANA. Parochialem Ecclesiam Visitationis B. M. Virginis oppidi Garbo in insula Gaulos in Collegiatam erexit Sacerdos Joseph Hasciach. Quot initio fuerint Canonici, non constat. Hæc alia vero post illius obitum addidit Canonicus Thomas ipsius frater, tanquam executor nempe fundationis per instrumentum anni 1763., suoque nomine per codicillos anni 1779. Assignavit siquidem in instrumento annua scuta triginta (melitensia) pro duobus Capellanis choralibus cum prælatione consanguineorum: alia scuta viginti pro accensione ceræ in Divinis recitandis officiis; totidemque pro suo, & successorum executorum stipendio; scuta duo Custodi Ecclesiæ pro sonitu Campanarum in Divinis officiis; & reservavit sibi, suisque successoribus facultatem assignandi congruum stipendium modulatori organorum Ecclesiæ. Atque his solutis, quidquid ex fructibus hereditatis Josephi superesset cumulari jussit donec annuus haberetur fructus scutorum 120., ex quibus erigi mandavit duos canonicatus cum præbenda scutorum 40., & capellanos duos, quorum-

rum unus ob adnexam Magistri Cœremoniarum officium cum stipendio scutorum 25., alter 15. Continuato deinde multiplico, & cumulata annua summa scutorum 110., binos alios erigendos voluit canonicatus cum eadem præbenda, dupiicemque Capellanum cum stipendio scutorum 15., & sic deinceps. In codicillis vero alterum instituit Capellanum choralem cum stipendio scutorum 35., & Magistrum cœremoniarum (a primo distinctum) cum stipendio scutorum 40. ejusdem melitensis monetæ.

Omnia fortasse impleta sunt; & hic modo est Collegiatæ status. Constat Capitulum Dignitatibus quinque, Canonicis sex, quorum præbendæ vix scuta attingunt viginti monetæ romanæ; licet augeri poterunt, ob demandatam in id a Fundatore annuam occupationem scutorum 27. ejusdem monetæ in bonis stabilibus. Nominandi etiam sunt chorales Capellani octo, unus cum stipendio scutorum 16. monetæ pariter romanæ, quinque cum scutis septem, & duo, ob adnexum officium Magistri cœremoniarum, cum respectivis stipendiis scutorum 11. & 18. Quum neminem autem ad tennes istas capellanias allexerint edicta, supplicat idcirco EE. Vestris Sacerdos Laurentius Hasciach, ipsius Collegiatæ Canonicus Decanus, & piarum fundationum executor, pro illarum reductione ad tres; ejusque instantiæ favet melitensis Episcopus in hæc verba: *Exploratissimum est, Collegiatam prædictam duobus saltem Capellanis pro chori, & Ecclesiæ servitio indigere. Quumque in oppido prædicto fere nullus inveniatur Sacerdos ad id idoneus, neque exteri inveniri facile possunt, qui relicto proprio domicilio, in hoc oppido residere contenti sint, quotidiano chori servitio addieti absque sufficienti congrua, hinc putarem, ex superextantibus Ecclesiæ reditibus duos vel plures arbitrio Episcopi nominandos esse Capellanos cum assignatione congruæ, ab eodem juxta locorum, & temporum vicissitudines assignandæ.*

Certum Fundatores Collegiatæ assignarunt stipendium Capellanis, illudque in erectione capellaniarum servatum fuit; nec quoad præteritum defuerunt, qui præscripto contenti stipendio eas asceperint. Hinc reducendæ non videntur contra Fundatorum voluntatem. At nulli modo, Episcopo teste, neque sex priores, neque duas posteriores appetunt capellanias, etsi per edicta invitati: nullus enim Garbii est Sacerdos idoneus, ne-

neque exteri inveniri facile possunt, qui relicto proprio domicilio, in hoc oppido residere contenti sint, quotidiano chori servitio addicti absque sufficienti congrua, ut idem monet Episcopus. In his porro terminis, locus esse posset reductioni capellaniarum, ut sufficiens reliquis assignetur congrua, ex *Sacro Concil. Trident. sess.24. cap.15. de reform.* Num fieri vero deberet hujusmòdi reductio ad duas, tres, vel plures capellanias, Vestra decernendum esset prudentia. Integra profecto summa, quæ modo est pro Capellanis octo, scuta attingit octoginta. Hæc autem satis forsan esset pro Capellanis saltem quatuor, assignato cuique, Canonicorum instar, stipendio scutorum viginti.

Deliberandum igitur.

An, & quomodo sit locus reductioni capellaniarum in casu &c.

Die Sabbathi 23. Aprilis 1796. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

RIPANA FUNERUM. *Sess. 25. cap. 13. de Regular.*

I. *An Religiosi Coenobii S. Laurentii Aquævivæ convenire debeant in Ecclesia parochiali ad associanda ad propriam Ecclesiam cadavera in casu &c.*

II. *An ea occasione ingredi valeat Parochus illorum Ecclesiam cum stola, & agere officium funebre in casu &c.*

III. *An iidem Religiosi invitati ad associanda cadavera ad Ecclesiam parochialem, in ea prius convenire debeant, seu potius in loco, ubi illa servantur in casu &c.*

Ad I. & II. Negative.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

MELEVITANA. *Sess. 24. cap. 15 de Reform.*

An, & quomodo sit locus reductioni capellaniarum in casu &c.

Affirmative ad tres tantum.

SPO:

Sess. 21. cap. 5. de Reform.

SPOLETANA ERECTIONIS MANSIONARIARUM. Insignis Collegiata S. Æmiliani civitatis Trebiæ Dignitatibus constat tribus, Canonicis tresdecim, Capellanis præbendatis, seu Mansionariis quatuor. Tres ex novissimis erecti fuerunt anno 1751. a san. mem. Benedicto XIV. per applicationem duplicis hereditatis, in celebrationem Missarum destinatæ, & capellaniarum novem, partim liberæ collationis, partim jurispatronatus consentientium laicorum, cum reductione respectivi oneris Missarum, atque exemptione a solvendis Cancellariæ Apostolicæ annatis, & quindenniis; reservato jure nominandi Canonicis, & Capitulo, ac demandata extinctione æris alieni, contracti pro sumptibus erectionis, ex massa erectarum mansionariarum. Præbendati omnes interveniunt diebus festis choro, duo tantum per hebdomadam profestis; dirigunt chorum, ac Missas solemnes; Missas canunt conventuales diebus profestis; Canonico inserviunt diebus festis celebranti; Fidelium confessiones per hebdomadam excipiunt, aliaque peragunt, per Spoletinum olim Episcopum Bonavisa in executionem Bullæ Benedictinæ decreta.

Post diuturnum quatuor Mansionariorum servitium adverterunt tandem Canonici, tot eos muneribus pares non esse. Quum unus enim e duobus hebdomadariis Missam canat conventualem diebus profestis, alter veluti inutilis remanet in choro. Diebus vero festis, in quibus omnes intersunt, quum duo inserviant Canonico celebranti, sæpe contigit, ut aliis legitime impeditis, nullus sit in choro: idque modo evenit semper, ex quo unus ob adversam valetudinem immunis est a cantu, alter ob quadragenarium servitium jubilatus. Hisce igitur de causis *Sanctissimo Domino Nostro* supplicarunt Capitulares pro erectione aliarum quatuor mansionariarum ex pluribus capellaniis, & beneficiis liberæ collationis, tum vacantibus, cum vacaturis. Quæ vacant, plures in eadem Ecclesia Sancti Æmiliani sunt capellaniæ cum onere Missarum ad quantitatem redituum, qui scuta in unum attingunt 14. 52. Hæc vera beneficia vacatura.

Primum sub invocatione S. Antonii, annui reditus scutorum 12. 73., erectum in dicta Collegiata cum onere Missarum 116. statis cujusque hebdomadæ diebus. *Secundum* SS̃mæ Annuntiatæ, annui fructus scuto-

rum

rum 10. 94., in eadem erectum Ecclesia cum onere unius Missæ qualibet feria IV., & alterius die Dominico. *Tertium* SSmæ Trinitatis, & S. Nicolai annui reditus scutorum 48. 36. 4., cameralibus deductis oneribus, in ipsa erectum Collegiata cum triplici Missa hebdomadali, & altera die Dominico. *Quartum* Sancti Leonardi erectum in Ecclesia S. Petri villæ Bovarii civitatis Trebii, cui annua sunt scuta 9. 22., nullumque impositum apparet onus. *Quintum* S. Jacobi, absque onere pariter erectum cum reditu scutor. 16.44. in diruta ejusdem tituli Ecclesia juxta suburbanam villam S. Mariæ in Valle. *Sextum*, seu canonicatus ruralis annui reditus scutorum 11. 60., erectus sine ullo onere sub titulo S. Mariæ in Ecclesia nunc diruta, ab eaque translatus ad Parochialem S. Bernardini villæ Lapidiæ ejusdem civitatis. *Septimum*, seu ruralis pariter canonicatus sub titulo S. Joannis Evangelistæ, erectus absque onere cum reditu scutorum 9. 65. in diruta dictæ villæ Lapidiæ Ecclesia. Vacantia ergo, & vacatura beneficia annuum constituunt reditum scutorum 133. 46.

Postulabant autem Oratores suppressionem vacantium capellaniarum *ex nunc*, aliorumque beneficiorum *nunc pro tunc*, cum vacatura erunt; pluresque pro novis Mansionariis proponebant conditiones I. quod ex reditibus dictorum beneficiorum communem conficerent massam, inter ipsos dividendam. II. eorum bini diebus profestis per hebdomadam, eodem habitu, ac quatuor alii, assisterent choro, ibique lectiones recitarent trium nocturnorum, omnesque Divini Officii antiphonas; quatuor vero diebus festis interessent choro, duo Fidelium exciperent confessiones, & reliqui duo Canonico inservirent celebranti in officiis Diaconi, & Subdiaconi. III. unus e duobus hebdomadariis canere, & applicare deberet diebus profestis Missam conventualem per turnum cum antiquis Mansionariis, sumpta ex massa communium distributionum eleemosyna obolorum 10.; ex massa scilicet de novo instituenda, inter Canonicos, & Mansionarios æquali; nam eorum quisque suam modo administrat præbendam, & punctaturas solvit in fine anni, ita ut ob defectum massæ communis applicare consueverint diebus festis Canonici Missam conventualem per turnum, eamque diebus profestis canere Mansionarii sine applicatione.

IV. Præstare tenerentur servitium Diaconi, & Subdiaconi per turnum Canonico solemniter celebranti diebus festis, aliisque arbitrio Capituli; necnon assistere Canonico hebdomadario in publicis omnibus functionibus, expositionibus nempe SSmi Sacramenti, novendialibus, septenariis, triduis, aliisque; & publicis interesse supplicationibus Capituli, cum propria cerea face in supplicatione S. Protectoris, ut reliqui Capitulares; servata tum in supplicationibus, cum in choro præcedentia juxta prioritatem adeptæ mansionariæ. V. post integram expletam dictorum beneficiorum massam celebrare deberent per turnum Missas, quibus gravantur capellaniæ, & beneficia supprimenda; tributo tamen spoletino Antistiti arbitrio reducendi, & statuendi illarum numerum. VI. obnoxii essent, ut cæteri Mansionarii assuetis punctaturis, inter præsentes dividendis pro servitio chorali, facta Capitulo potestate statuendi alias punctaturas applicandas Sacrario, si qui a prescriptis obligationibus defecerint. VII. quousque non obtinerent pinguiora beneficia quinque possessa per Sacerdotem Æmilianum Dominici, & non perficeretur massa, interesse deberent choro diebus tantum festis, sacrisque solemnibus, aliisque functionibus assistere, cum onere unius dumtaxat Missæ quotidianæ, per turnum ab ipsis celebrandæ. VIII. Capitulo pariter reservaretur jus nominandi ad quatuor erigendas mansionarias. IX. quod nova fieret erectio ad formam erectionis trium priorum mansionariarum, cum iisdem scilicet juribus, & privilegiis, quibus præsentes gaudent Præbendati, & facultate reducendi Missas. X. tandem, quod attenta tenuitate massæ, novi eximerentur Mansionarii, priorum instar, ab onere solvendi annatas, & quindennia.

Hisce autem precibus ad Sacram istam Congregationem remissis, hactenus exposita confirmavit Episcopus; de consensu retulit ipsius Capituli. & Rectorum Ecclesiarum, ac beneficiorum; modumque proposuit faciendi sumptus erectionis mansionariarum in hæc verba; *Ut exequi valeat* (erectio) *media expeditione Brevis Apostolici, Capitulum, & Canonici oratores, ultra expensas jam factas in peritiis, documentis, & copiis, in resolutionem veniunt creandi censum scutorum* 300. *minori, quo potest interessurio, ad effectum erogandi dicta scuta* 300. *in expensas ulteriores faciendas*;

das; ita ut Capellani de novo instituendi, postquam massa evaserit perfecta per vacationem omnium beneficiorum, teneantur solvere usuras census, & quolibet anno quotam, sive ratam deponere ex redditibus dictæ massæ in quantitate scutorum 10. pro extinctione debiti a Capitulo contracti; & priusquam massa perficiatur, in possessionem immissi dicti Præbendati capellaniarum vacantium, servitio devincantur festis tantum diebus, celebrent Missas, quæ eis taxabuntur ab Ordinario proportionatim fructibus, & solvant usuras census, si reditus permiserint; alias Capitulum ad dictas solutiones obligabitur donec augeantur fructus; & aucta massa, augeantur & Missæ, & dum impleta, insit onus unius Missæ quotidianæ satisfacien. ratatim ab ipsis Capellanis. Atque ita suum aperuit votum: *Quum igitur res accommodata circumstantiis videatur, & sit directa majori Ecclesiæ servitio, ac decori, sententiæ facilius adhæreo, licere Oratorum precibus annuere; maxime ob lites, quæ oriuntur sæpe sæpius, & nunc formaliter agitantur inter Canonicos, & Præbendatos causa graviorum munerum, quæ ipsi vicissim declinare vellent.*
Aliter censuerunt Ministri Datariæ Apostolicæ, de mandato Vestro auditi. Tribuendam sane censuerunt petitam mansionariarum erectionem commodo Canonicorum, qui sexdecim sunt, comprehensis Dignitatibus, commodeque cum quatuor antiquis Mansionariis regere valent chorum, aliasque Ecclesiæ functiones explere; ideoque supprimi non debere tot beneficia ad ea erigenda, nisi ex speciali Pontificia gratia, quæ regulariter majoris commoditatis causa concedi non solet. Nil de cætero opposuerunt quo ad onera novis Mansionariis injungenda in casu erectionis: sed impugnarunt Capitulo jus nominandi. *Nominationi* (ajebant) *expetitæ a Capitulo ad dictas mansionarias novas, si erigerentur, obstare videtur collatitia qualitas beneficiorum, quæ supprimerentur, ut & mansionariæ erigendæ collativæ esse debeant S. Sedis in reservatis reservatione temporis, vel personæ, & in affectis, ac respective Ordinarii in mensibus suis. Non enim Capitulum non fundantem, neque dotantem fieri patronum decet.* Ac supposita tandem erectionis gratia, expediendas in id monuerunt Literas Apostolicas.

Tali ostenso voto, secundam informationem exaravit Episcopus, impensiusque favit instantiæ Oratorum. Quum tenues vacantium capellaniarum reditus vix pares forent usuris census, pro expeditione Bullarum erectionis imponendi, ac difficile propterea essent, qui mansionarias appeterent, hinc præter capellanias, & beneficia in precibus expressa, applicandas insuper censuit illarum massæ quatuor alias vacantes capellanias liberæ collationis, in eadem Collegiata, aliisque trebiensis Comitatus Ecclesiis erectas. *Prima* sub titulo SS. Jacobi, & Philippi in castro S. Laurentii, vacata de anno 1737., annuum habet onus Missarum 14., redituumque scutorum 5. 38. *Secunda* SS. Petri, & Pauli in Ecclesia S, Stephani castri Pizzicarum, vacata anno 1750., annua reddit scuta 5. 31. cum onere Missarum 52. *Tertia* S. Mariæ *della Cintura* in Ecclesia villæ Mutidiæ, a longissimo vacans tempore, in annuis consistit scutis 3. 74., ejusque onera ignorantur. E *quarta* denique S. Mariæ Privilegiatæ in ipsa collegiata Ecclesia, vacat ab immemorabili, annuique est reditus scutorum 2. 83., quin de ullo constet Missarum onere.

Tanto Oratorum precibus favit studio, quia Ecclesia, *de qua agitur*, (sunt ejus verba) *primatum tenet inter alias, & adnexam habet Animarum curam, quæ maximam Populi illius civitatis complectitur partem, ibique fere omnes ecclesiasticæ functiones celebrantur, utique correspondentes decori Ecclesiæ, & civitatis, ad quem honorem modo Trebia fuit recenter a Sanctitate Pii Papæ VI. feliciter Regnantis evecta; hinc est, quod a magno populi civitatis, & comitatus concursu frequentatur*. Quod si pro quatuor erigendis mansionariis tenues EE. Vestris viderentur reditus constituendæ massæ, quos Ipse de præsenti in annuis constituit scutis 31., & de futuro in scutis 150., in hoc casu arbitrabatur, *duas tantummodo cum dictis fundis esse erigendas mansionarias, & simul duos Capellanos destinandos: primi devincantur iis oneribus uniformiter aliis Beneficiatis præbendatis; Capellani vero festis diebus, ac etiam infra hebdomadam in singulis functionibus deservire teneantur, qui facilius de pauco emolumento aliter gratificari queunt*.

Ad suadendam denique gratiam addit, quod *hujusmodi erectio duo bona redundare facit, nempe quod Sacerdo-*

dotes, vel Clerici in ætate, ut infra annum ad sacros ordines promoveri valeant, aderint, qui nominationem petant, quæ videtur Canonicis convenire ad dictas mansionarias, & ita Ecclesia & chorus debito servitio non destituuntur: deinde fructus prædiorum novæ massæ ex melioramentis augebuntur; e contra dum a Subcollectoribus administrantur, in diem deteriora fiunt, & fructus, & Missæ decrescunt; proposuitque reductionem Missarum, quibus capellaniæ, & beneficia gravantur, pro nunc scilicet ad annuas 30. sub lege augendi illarum numerum toties quoties vacatura beneficia accrescent massę.

Permittit sane *Tridentina Synodus sess. 21. cap. 5. de reform.* perpetuas beneficiorum uniones, *ut Ecclesiarum status, ubi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conservetur*. Hoc igitur in nostro themate ponderandum, num aliarum quatuor mansionariarum erectio adeo sit necessaria in collegiata Ecclesia S. Æmiliani, ut per eam *ex dignitate conservetur*. Ita affirmat Episcopus ex insufficientia priorum Mansionariorum, meliori Ecclesię servitio, frequentia populi, & decore trebiensis civitatis. Hæc omnia profecto necessitatem suadere possent, & utilitatem erigendi novas mansionarias, causamque idcirco justam, & rationabilem uniendi illarum massæ capellanias, & beneficia, de quibus agitur, secundum *Monet. de commut. volunt. cap.6. num.83.*, *Amost. de caus. piis lib.1. cap. 14. num. 32.*, *Ferrar. verb. unio num. 17. ad 33.* Maximè, quia pleraque unienda beneficia tenuis sunt reditus, & à diuturno vacant tempore, reliquorum vero Rectores consensum præstant futurę illorum unioni, quam in majorem Collegiatæ decorem vergere fatentur.

Animadvertere tamen dignentur Emi Patres, unum ab ipsa erectione Collegiatæ fuisse Capellanum præbendatum, eo quod Canonici, qui in sufficienti sunt numero, ea forsan adimplerent onera, quibus Mansionarii ab aucto ipsorum numero gravantur. Illudque prçcipuè notandum, san. mem. Benedictum XIV., perpensis deinde Collegiatæ circumstantiis, satis pro illius servitio, & decore censuisse numerum Mansionariorum quatuor, iisque Capitulum spatio annorum ferè quinquaginta ad designata chori, & Ecclesiæ ministeria pacate usum fuisse. In his porrò terminis valde

de cum Ministris Datariæ dubitandum, quin aliarum mansionariarum erectio ad majus Canonicorum commodum petatur. Ut hæc præterea fieret erectio, reducendæ essent juxta Episcopum cujusque capellaniæ, & beneficii Missę cum spirituali Fundatorum detrimento; nam justis fraudarentur Missarum suffragiis, contra dispositionem *Textus in Can. ultima voluntas* 13. *quæst.* 2.

At si, his non obstantibus, annuere velint EE. Vestræ precibus Oratorum pro erectione mansionariarum, & respectiva beneficiorum suppressione, deliberent etiam oportet de Mansionariorum numero. Censet Episcopus, *duas tantummodo cum dictis fundis* [seu redditibus scutorum 150.] *esse erigendas mansionarias*, & *simul duos Capellanos destinandos*. Verum post expletam per vacationem beneficiorum integram massam, satis fortasse esset erectioni quatuor mansionariarum præbenda scutorum fere quadraginta pro qualibet, ac satis etiam esse posset præsens reditus scutorum 31., si juxta ipsius Episcopi votum obligarentur pro nunc Mansionarii leviori servitio diebus tantum festis. Deliberandum quoque de oneribus, quæ novis Mansionariis imponi satagit Capitulum. Hæc utique consentanea videri poterunt Mansionariorum officio, eademque cum cæteris Mansionariis; una excepta communi massa de novo instituenda pro celebratione Missæ conventualis, de cujus æquitate EE. Vestræ decernent.

Ad jus quod attinet nominandi novos Mansionarios, exemplum Oratoribus favet Benedicti XIV., qui jus illud eidem tribuit Capitulo, licet priores etiam erexerit mansionarias per suppressionem beneficiorum. Cum præfatis vero Ministris Datariæ notandum, collativam qualitatem capellaniarū, & beneficiorum, de quibus agitur, in novas transfundi debere mansionarias; neque æquum esse, ut concedatur Capitulo jus nominandi absque fundatione, vel dotatione, prohibente *can. quicumque verb. aliquid* 16. *quæst.* 17., *Lambertin. de jurepatr. lib.* 1. *part.* 1. *in* 5. *quæst. princip. art.* 12. *num.* 1., *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. cap. cum propter de jurepatr. num.* 67. Quo autem pacto fieri deberent sumptus erectionis, Vestrum erit decernere; num permittendus nimirum sit census scutorum 300., ut proponit Capitulum, vel aliter providendum.

Quæ-

Queritur ergo.

I. *An, & quomodo sit locus novæ erectioni mansionariarum in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit concedendum Oratoribus jus nominandi ad dictas mansionarias in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit consulendum sumptibus erectionis in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. & III. provisum in primo.

CAMERINEN. CONCORDIÆ. Ad nominationem Communitatis Capriliæ, & præsentationem lateranensis Capituli, decreta fuit ineunte anno 1793. per Canonicum Valentini ejusdem Capituli Vicarium possessio beneficii fundati in solo lateranensi sub titulo S. Mariæ de Caspriano favore clerici Nicolai Carucci. At se in hujus contradictorem erexit clericus alter Simeon Marchetti, causamque per decreta Auditoris, & Præfecti Signaturæ Iustitiæ, demumque Auditoris *Sanctissimi* remitti obtinuit ad eumdem Vicarium *ex integro*. Infelici tamen exitu: nam in contradictorio judicio pronunciavit Vicarius pro Caruccio. Commissa hinc fuit appellationis Causa Sacræ Rotę: sed communium amicorum officiis Vicarium ipsum deputarunt collitigantes in Judicem compromissarium, qui possessionem confirmavit beneficii favore Carucci, eum vero damnavit ad numeranda contradictori Marchetto scuta 105. nomine expensarum litis. Atque huic inhęrentes laudo, ejusque servata forma, stipulati fuerunt compromittentes anno 1794. instrumentum concordiæ, *riservata l'approvazione de' Signori Superiori maggiori di Roma, ed anche di Nostro Signore, occorrendo*. *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

[illegible]o hac approbatione supplicarunt deinde EE. Vestris; & quamvis Emus lateranensis Capituli Archipresbyter

ter admitterci in conventa solutione scutorum 105. *aliquidem speciem malam, quia Judex compromissarius decrevit solutionem scutorum* 105. *non per Partem victam victrici, sed per victricem victæ faciendam*, animàdvertit tamen, quod *quum de pertinentia beneficii jam antea favore Carucci judicatum esset, solutio hæc ad redimendam ulterioris litis vexationem, & ad parcendum magnis expensis erogata videtur, non ad acquirendum jus beneficii*. Quamquam a suo abstinuerit judicio circa validitatem laudi, & approbationem concordię.

Rogatus vero ab EE. Vestris, suum Emus Livizzanì pandidit votum pro simonia, in hæc verba: *Non me latet, lites circa beneficia versantes dirimi quandoque posse, atque componi numerata pecunia. At ne inusta sit simoniæ labe hujusmodi compositio, duo præ cæteris requiruntur; alterum, ut qui solvit pecuniam, nullum jus ad beneficium, sed tantum in beneficio obtineat, alterum, ut jus claré suffragetur illi, qui pecuniam solvit, & injuste vexetur ab eo, qui pecuniam accipit. Neutrum tamen verificatur in re præsenti. Quandoquidem vacans adhuc est beneficii possessio. Et quamquam clericus Carucci favorabilem obtinuerit sententiam, nihilo tamen minus nullum jus in re, sive in beneficio hæc tribuere eidem potest, semelatque Causa conscendit ad Sacræ Rotæ Tribunal in gradu appellationis. Præterea, si S. J. Tribunal appellationem admisit a dicta sententia, nemo sane tanto erit animo, ut tuto affirmet, jus certum & manifestum habere clericum Carucci, ipsumque a suo contradictore per calumniam vexari.*

Quod si directe ita pacisci nefas erat inter duos illos clericos, ne ab Arbitro quidem, qui selectus ab iisdem fuerat, id fieri poterat. Arbiter enim spectare semper debebat, an jus in re alter ex litigatoribus haberet, an jus certum & clarum, an per calumniam ferret vexationem; quoniam alterutro ex his deficiente, nihil erat, cur suum interponeret arbitrium, quo licitum fieret, quod simoniaca pravitate vacuum esse nequibat. Hæc mea sententia est, quæ conformis dignoscitur gravissimo judicio, quod in simillimo casu dedit immortalis memoriæ Benedictus XIV. cum bononiensem regebat & moderabatur Ecclesiam, ceu videre est ex ejus opere Instit. eccles. 93. Atque ex his censuit, *eam con*

conventionem, quamquam pronunciato laudo conformem, uti simoniaca pravitate infectam, reprobandam omnino esse, Partesque monendas, ne audeant ad ejus executionem devenire.

Hinc Oratores prolixum exhibuerunt scriptum, in quo nova ad excludendam simoniam deducebant argumenta. Ex canone siquidem *Alexandri III. in cap. 3. de arbitr.*, *Innocentii III. in cap. 21. de præben.* licuisse ajebant compromittere Causam beneficialem Judici ecclesiastico; ergo per necessarium consequens illius laudum exequi. Maxime, quia lateranensis Vicarius solutionem demandavit, alias in præcitatis *Decretalibus* probatam. Juxta *can.* 21: *de præben.* compromiserant in Judices ecclesiasticos duo electi ad Prioratum, & uni adjudicatum fuerat beneficium, alteri certa pecuniæ quantitas; atque *Innocentius III.* exequendum dixit judicatum, ex eo potissimum, quod processerit pecuniæ solutio *non quidem ex pactione Partium* (quæ in nostro etiam deficit casu) *sed ex jussione Judicum*, qui de beneficio decrevisse censebantur *ex jurisdictione delegata*, de solutione pecuniæ *ex arbitraria potestate*, nempe *pro bono pacis*, & *utilitatis*. In casu vero *cap.* 2. *de arbitr.* agebatur de clerico. qui per sententiam Compromissariorum coactus fuerat cedere juri ad beneficium, *ut quinque marchas susciperet*; & *Alexander III.* rescripsit = *si arbitrium ipsum noveris æqnitate subnixum, ad observantiam ipsius utramque Partem appellatione remota compellas*.

Neque in nostro themate illa etiam Oratores desiderabant requisita, ex quibus Eminentissimus Livizzani excludi posse censuit simoniam a solutione pecuniæ favore cedentis beneficio. Licet namque per retardatam ex lite possessionem completum Caruccius non haberet *jus in re*, plenum tamen habebat *ad rem* ex nominatione, præsentatione, Bullarum expeditione, & sententia Judicis executoris; illudque majus non obtinuit robur ex concordia, & cessione Marchetti, qui veluti exclusus a patronis, & Judice, nullum habebat jus ad beneficium, & de facto tantum possessionem impediebat. Ex hoc autem clarum etiam desumebant jus Caruccii, injustamque Marchetti vexationem, quam de jure redimere licebat. Cæterum

ex *cap. 3. de arbitr.*, *& cap. 21. de praeben.* notabant, solicitum non fuisse *Alexandrum III.* de injusta contradictione, sed tantum *si arbitrium ipsum noveris æquitate subnixum*; & *Innocentium III.* validum declarasse Arbitrorum judicium *ex arbitraria potestate*, rectumque *pro bono pacis, & utilitatis*.

At posita etiam simoniaca conventione de solvendis Marchetto scutis 105.; adhuc tamen ipsorum precibus annuendum arbitrabantur Oratores per convalidationem saltem concordiæ. Transegerunt ipsi ad extinguendam litem, ad formam laudi, & cum reservatione Beneplaciti Apostolici, eaque per consequens bona fide, quæ ad concedendam convalidationis gratiam spectari potissimum solet. Hisce vero visis Oratorum animadversionibus, simoniam in secundo voto confirmavit Eminentissimus Livizzani, sed ob bonam initæ concordiæ fidem, Oratoribus favit.

En ejus verba: *Quamquam clerici Nicolaus Carucci, & Simeon Marchetti multa misceant, & cumulent, ut quam iniverunt conventionem, a simoniaca vindicent pravitate; mea tamen sententia est, quod operam laudant; quum de re præsertim agatur, in qua rigidè procedendum est, ne secus in hujus generis concordiis latens simoniæ labes se diffundat. Verumtamen, quum de simonia agatur non a Divino, vel naturali, sed ab humano, ac ecclesiastico jure inducta, & reprobata, quæri tantum poterit, an legitimæ præsto sint causæ, ut consulendum sit Sanctissimo pro approbatione laudi a lateranensi Vicario promulgati, quod Partes ipsæ tulerunt accepto, atque emologarunt.*

Jam vero ex universa rerum actarum serie non obscure colligitur, quod quum clerici de beneficio litigantes, rem omnem componendam, definiendamque delegaverint arbitrio Vicarii lateranensis, hoc unum habuerunt in votis, ut ab omni lite, quæ inter utrumque æstuabat, amice recederent; quin propterea alterutri animus fuerit, atque consilium rem spiritualem cum temporali commutandi. Arbitratus quidem est lateranensis Vicarius, possessionem beneficii clerico Carucci ea lege dandam esse, ut ipse scuta quinque supra centum suo contradictori clerico Marchetti nomine redintegrationis expensarum, quas hic in lite subierat, numerare deberet: sed hæc demandata redintegratio eo

po-

potissimum spectat, ne ob actam litem damnum ferat clericus Marchetti, qui ideo liti renuncians, damnum, quod tulit, ab se avertit, non lucrum captat. Quum vero arbitramentalem hanc sententiam tulerint accepto, tanta usi sunt modestia, ut ad executionem mittere illam noluerint, quin prius S. Sedis placitum accederet.

Sunt hæc, quæ, ut mea fert opinio, non obscure demonstrant animi candorem, bonamque fidem, qua in ea re se gesserunt Oratores, quæque idcirco flectere debet Sacram Congregationem ad consulendam Sanctissimo pronunciati laudi approbationem, veluti de simillimo casu agens, definivit hæc ipsa Sacra Congregatio in Ravennaten. proposita die 7. Maii 1785.

Ex relatione igitur Eminentissimi Archipresbyteri, votisque Eminentissimi Relatoris, atque Oratorum scriptis habent Eminentissimi Patres, unde decernant.

An sit consulendum Sanctissimo pro approbatione, vel convalidatione concordiæ in casu &c.

Affirmative.

FAVENTINA REDUCTIONIS MISSARUM; Institutis deficicientibus heredibus, erigi mandavit Matthæa de Barberiis anno 1617. beneficium simplex in Ecclesia Sancti Laurentii de Marradio ad Altare Sanctissimi Rosarii cum onere Missæ quotidianæ; assignavitque in illius fundum urbanam domum *posta in Marradio nella piazza del monastero, sotto condizione, che non debba essere appigionata, ma tenuta, ed abitata solamente dal Prete, che per tempo offizierà detto Altare*; nec non vineam in vocabulo *la Torretta*, & prædium nuncupatum *il Vivajo*. Jamdiu purificata substitutione erectum fuit hujusmodi beneficium; illudque post alios obtinuit anno 1782. Clericus ætate minor Alexander Fabroni, cujus tutores, & patrui ad rusticas reparandas beneficii ædes passivum super propriis bonis imposuerunt censum in sorte scutorum 500., florentinarum libellarum septem pro quolibet, sub lege, *che sia, ed esser debba a carico del Retto-* *Sess.25.cap.4. de Reform.*

re di procurarne le debite licenze per potere, mediante un pubblico contratto, trasferire il detto censo sopra il podere del Vivajo, e beni di detto benefizio.

Anno igitur 1792. EE. Vestris supplicavit Beneficiatus pro tot Missarum reductione, quot satis essent ad extinctionem sortis. Et quamvis sorores Tamburini creditrices census remittere profiterentur fructus, & sumptum probarent patroni beneficii *per esser stato tutto eseguito in vantaggio, e sgravio di noi infrascritti compatroni*, proposita tamen instantia *inter summaria precum*, rejecta fuit die 21. Aprilis per rescriptum *Lectum*. Renovatis autem precibus, rem faventinus Episcopus in secunda informatione accuratius expendit. Ex relatione siquidem peritorum impensam statuit reparationis ædium in scutis romanis 443. 50.; annuum vero beneficii reditum ex octenni calculo in scutis circiter 80. Ex his detrahit scuta 43. 92. pro eleemosyna Missæ quotidianæ, sacrisque utensilibus; alia tria pro manutentione ædium; 4. 45. pro oneribus communitativis; & 22. 17. pro fructibus census; atque ita concludit: *Demptis oneribus, quod superest ex fructibus beneficii, non excedit summam scutorum 6. 46., qua certe non solum non annuatim, sed vix uno mense Rector beneficii vivere poterit. Quum igitur eam summam Orator* [scutorum 443. 50.) *pro beneficii utilitate, & ad necessaria damna reparanda impenderit proprio periculo, & onere, atque fructus ejusdem beneficii ad eum redimendum ab eadem satis certo non sint, Oratorem eumdem dignum, cui petita concedatur gratia, arbitror.*

Quamvis teneatur Beneficiatus ad manutentionem bonorum beneficii, *Card. de Luc. de Benefic. disc.* 184. *num.* 13., & *Sacra hæc Congregatio in Cervien.* 7. *Junii* 1788. *ad VIII. Dub.*, dubitari tamen valet, quin teneretur Orator ad extraordinarium, gravemque sumptum reparationis ædium, qui simplicem excedebat manutentionem. Ad Beneficiatum enim, usufructuarii instar, modica pertinet impensa, non item immodica, quæ perpetuam respicit rei utilitatem, per *Text. in leg.* 3. *ff. de impens. in reb. dotal. fact.*, *Gars. de expens.*, & *meliorat. cap.* 11. *num.* 12. Posita idcirco necessitate reparandi ædes cum gravi sumptu scutorum 443. 50.; juxta relationem Episcopi, redinte-

tegrandus videretur Orator a beneficio de summa impensa, per temporaneam saltem suspensionem Missarum ad extinctionem census, ut in *Forolivien.* 13. *Junii* 1789. *ad II. Dubium*.
tremum contra est suspensionis Missarum remedium, ubi alius nempe non sit modus reparandi bona beneficii, *Amost. de caus. piis lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 36. *& seqq.*, *Brasch. de libert. Eccles. tom.* 3. *cap.* 24. *num.* 20., & *Sac. Congregatio in Cornetana Oneris Missarum* 8. *Maii* 1784.; ideoque quærendum, pares, nec ne sint ipsius beneficii reditus extinctioni census. Onera siquidem realia manutentionis ædium, & collectarum, quibus gravantur, in scutis consistunt 7. 45. His detractis a scutis 80., remanent pro Beneficiato scuta 72. 45. cum onere Missæ quotidianæ, & utensilium; nam fructus census remittuntur a creditricibus. Admodum ergo grave ipsi non esset, si in extinctionem census annua deponeret scuta triginta; dum ex reliqua summa eleemosynam haberet Missæ quotidianæ ad manualem, & utensilia. Quodque magis est, commodam etiam ex voluntate Testatricis habet habitationem, in enunciato reditu non comprehensam, certamque spem consequendi post extinctum censum uberiorem reditum ex melioratis fundis. Animadversionem denique promereri videtur, quod expleta fuerit restauratio a Tutore Beneficiati minoritatis tempore *in vantaggio, e sgravio di noi infrascritti compatroni*, ut ipsi ajunt compatroni in præstito consensu; quodque expensa non ad scuta 500., sed ad scuta dumtaxat ascendit 443. 50., quæ exuberans videri posset pro restauratione duplicis ædiculæ, rusticorum habitationi destinatæ, & satis forsan esset ad illarum ædificationem.
uæritur ergo.
n, & quomodo sit locus suspensioni Missarum in casu &c.

Negative.

JA-

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

JANUEN. IRREGULARITATIS. Improbans Sacerdos Innocentius Olcisius nuptias ejus sororis Agnetis cum Cajetano Olcisio, cum ea se e *Pannesio* consilii causa contulit mense Octobris 1779. ad Archipresbyterum Vicariumque Foraneum finitimi loci *Uscio*. Eos ibi ad prandium excepit Sacerdos alter, qui in ædes convenerat parochiales, deindeque ad patriam redeuntes comitabatur. Offenderunt in itinere Cajetanum, ortaque inter eum, & Sacerdotes rixa, una ex igneis ballistis, quibus Sacerdos Innocentius, & Cajetanus erant armati, ictum explosit, licet inane, quin de auctore constet explosionis. Cessata contentione, in suas abierunt partes Cajetanus, & Sacerdos, qui comitatus fuerat Sacerdotem Innocentium. Hic vero impellere cepit sororem patriam versus, igneamque tandem in eam reluctantem a tergo explosit ballistam, cujus ictu post paucos dies infelix puella decessit.

Fugam statim arripuit sororicida: sed mense Majo sequentis anni 1780. sponte se constituit, negavitque constanti animo delictum. Prævia tamen declaratione irregularitatis, & privationis quorumcumque beneficiorum, damnatus fuit a Januensi Curia Archiepiscopali ad publicum carcerem per vicennium. At mediante solutione libellarum 3000. *extra Bancum*, seu scutorum 500. monetæ romanæ favore Sèminarii, commutatus deinde fuit carcer in decennem illius detrusionem in Cœnobium Minorum Observantium loci *Revo*, cum comminatione carceris ad quinquennium in casu contraventionis. Ob hoc vero violatum præceptum, conjectus iterum fuit in carcerem ab anno 1785. ad 1789., quo tandem ex gratia dimissus est sub obligatione peragendi per dies octo, ut peregit, spiritualia exercitia.

Postulat nunc dispensationem ab irregularitate, eique Januensis favet Archiepiscopus in hæc verba: *De recta ipsius* [Oratoris] *vivendi methodo tam ante, quam post patratum crimen, testantur nedum proprius, sed finitimi omnes Parochi, qui sunt numero undecim. Nulla insuper alia de causa, quam superius memorata, in Oratorem inquam debuit inquirere Curia hæc mea. An in loco delicti scandalum Populo afferre valeat ejusdem in Divinis ministratio, interrogatus per me Vicarius Foraneus, id communiter expeti asseruit, præsertim ab incolis loci, unde ortum, domiciliumque habet Orator.*

Quum

Quum itaque facti vere penitens sit, & bonis cæteroquin prœditus moribus, consuetam in hisce casibus promereri mihi videtur indulgentiam.

pluribus flagitatam gratiam mereri posset Orator; ob diuturnam nempe adimpletam penam, constantem emendationem vitæ, lapsum annorum quindecim a commisso delicto, concivium vota, & commendationem Archiepiscopi. In similibus porro terminis indulgens fuit Sacra hæc Congregatio *in Tridentina Irregularitatis* 27. *Martii* 1784, *in Bruguaten. Irregularitatis* 6. *Maii* 1786., & *in Mutinen. Irregularitatis* 24. *elapsi Januarii*. At ponderare dignentur Eñi Patres qualitatem delicti, de quo, non obstante Oratoris negativa, dubitari nequit ex inflicta pena. Agitur sane de sororicidio, quod juxta Criminales dici potest *bestiale*; nam sororem interemit Orator ex levissima causa, quod præ timore forsan itinerem prosequi reluctaret. In casu autem simplicis inhumani homicidii rescripsit Sacra hæc Congregatio, *negative absque spe gratiœ*, in *Canenecen. Dispensationis ab irregularitate* 30. *Julii* 1785. stræ ergo proponitur deliberationi.

sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Negative absque spe.

ENOGALLIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Quum Societas S. Mariæ de Misericordia castri Belviderii, patrona Collegiatæ, in ejus Ecclesia, & solo lateranensi erectæ, duos alios cum beneplacito Sedis Apostolicæ addere vellet canonicatus *ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, ejusque gloriosissimœ Matris Mariœ*, nec par esset assignationi fundi pro sustentatione Canonicorum; hinc Ciprianus, Joannes Antonius, & Sebastianus de Ciprianis, earumque nepotes Dominicus, & Joseph, ei inter vivos donarunt anno 1612. *salmas quinque terrœ arativœ olivatœ cum domo* in regione *Mon-* *Sess.*25. *cap.*4. *de Reform.*

Montis Levi, & vangas sex vineæ in regione *Monticelli, pro sustentatione unius ex dictis duobus Canonicis, videlicet pro Bernardino de Ciprianis, qui dicitur jam Canonicus nominatus, ejusque successorum*; legemque dixerunt, ut *Canonicus nominatus, & in futurum nominandi in ejus locum, perpetuò sint obligati celebrare, pro anima defunctorum dictæ domus Cipriani duas Missas pro qualibet hebdomada in die ad beneplacitum dicti Canonici nominati, & nominan., ac etiam officium defunctorum in festivitate S. Joannis Baptistæ quolibet anno in perpetuum, in Altare Capellæ majoris dictæ Ecclesiæ*.

Hoc Missarum onus solemni stipulatione acceperunt Sodales donatarii, omnesque Canonici Collegiatæ, illudque accuratè semper adimpleverunt Canonici successores Bernardini de Ciprianis, ac ritè etiam implevit hodiernus Canonicus Petrus Sanctes Benvenuti. Hic tandem ob redituum tenuitatem Sacræ huic Congregationi, annuente Sodalitio patrono, supplicavit pro reductione Missarum, habita potissimum ratione servitii choralis, quod juxta legem fundationis, & statuta Capituli præstare tenetur per hebdomadam. Atque Emus Lateranensis Basilicæ Archipresbyter, a suo abstinens voto, testatur, quod reditus illius canonicatus = *ducto calculo decennali, vix ad scuta 17. 82. ascendunt, nec facile augeri possunt, quum ex natura fundi quodcumque meliorarnentum perfici nequeat, nisi cum ingenti expensa, cui minimè respondent fructus obventuri. Orator tamen meliores fecit agros, ejusque frater præbendam ex mala fecit meliorem ex additione census activi in sorte scutorum 50., injuncto tantum onere explendæ absolutionis quotannis super tumulum in die sui obitus anniversaria. Omnia autem onera collectæ, utensilium, & Missarum ad rationem tantum julii unius pro qualibet Missa, ascendunt ad annua scuta 12., & obul.55., itaut vix supersint favore Canonici scuta 5., & obol.27. in singulos annos*.

Canonicalis sanè præbenda, de qua agitur, onus habet duplicis hebdomadalis Missæ *ex contractu* inter illos de Ciprianis, & Sodales; idque impedimento esse posset reductioni, quæ denegari solet, ubi celebrandæ sunt Missæ ex contractu, licet impares sint, vel evaserint

rei

rei datæ fructus; nisi præseferat contractus manifestam iniquitatem, ut docet *Benedictus XIV. de Synod. diœces. lib.13. cap.25. num.23.*, & Sac. hæc Congregatio statuit *in Bergomen. reductionis Missarum 10. Julii* 1728. Maximè, quia acceptum onus pacificè adimplevit Orator per annos 25.. Difficilius enim post talem executionem conceditur Missarum reductio, veluti Sacra ipsa Congregatio decrevit *in Civitatis Castelli reductionis onerum 23. Januarii* 1790. Præbenda insuper non deterior, sed melior secundum peritos effecta est, redditque scuta 19. 32., non 17. 82., prærer activum additum censum in sorte scutorum 50., annui reditus ad taxam legalem duplicis saltem scuti, quæ summam illam augent ad scuta 21. 37.. Prætcrea lucratur forsan Orator quotidianas distributiones, quarum non fit mentio, atque extraordinarias inter præsentes. Detractis autem scutis 10. 70. pro Missis ad manualem, remanent Oratori scuta 10. 62., & distributiones, quæ satis videri possunt in castro Belviderii, & satis usque adhuc fuerunt eidem Oratori per annos 25.

Verum ponderare dignentur Emi Patres, quod de tempore contractus, & fundationis præbendæ canonicalis vix manualis Missarum eleemosyna obolorum erat circiter septem, quemadmodum testantur Sodales; & viliora insuper erant rerum pretia; unde decessores Canonici adimplere potuerint onera canonicatus cum tenui præbenda, ut plures per annos potuit etiam Canonicus orator. Quum nonnullis vero ab hinc annis rerum pretia evaserint cariora, manualis idcirco Missarum eleemosyna non parum crevit, nec amplius cum tenui præbenda scutorum 21. 32. ferre posse videtur Orator servitium chori per hebdomadam, & applicationem duplicis Missæ hebdomadalis, seque, ut par est, alere. Hisce porrò attentis circumstantiis non rarò Sacer hic Ordo obligationes etiam Missarum per contractum susceptas reduxit, ac præsertim *in Syracusana Missarum 10. Martii* 1759., *in Albinganen. 12. Decembris* 1778., *&* *in Anconitana Missarum 16. Martii* 1782., præsertim quum primario respexerint fundatores, ut in nostro casu, ad *devotionem cultus Altissimi, & sustentationem Canonici*, secundario ad celebrationem Missarum.

At dubium videri posset, num reduci potius deberet servitium chori, quam Missæ, ut in *Lunen. Sarzanen.* 15. *Maii* 1728., Ubi enim ultra celebrationem Missarum adjunctum sit beneficio servitium chori, melius est hoc reducere servitium, quam Missas, *secundum Monacell. formol. legal.* 19. *tit.* 10. *part.* 1. *num.* 25.. Missarum siquidem celebratio excellentior est servitio chori, *Garz. de benefic. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 126., & majus defunctorum animæ consequuntur suffragium ex celebratione Missarum, quam ex piis aliis operibus, *Fagnan in Cap. ex parte de constitut. num.* 34., *Passerin. de stat. homin. tom.* 2. *quæst.* 187. *num.* 1095., *Benedict. XIV. de Synod. diœces. lib.* 13. *cap. ultimo* §. 23., & *Sac. Congregatio in Derthonen. redutionis onerum* 19. *Maii* 1787..

Ab hac tamen recedi solet regula ex contraria Fundatoris voluntate, juxta eumdem *Passerin. loc. cit. quæst.* 183. *num.* 1001., & *Benedict. XIV. loc. pariter cit.*. In nostro autem themate prætulisse videntur donantes servitium chori celebrationi Missarum; dum prius consultum voluerunt sustentationi Canonici, quem Societas patrona instituit *ad laudem*, & *gloriam Omnipotentis Dei*, *ejusque gloriosissimæ Matris Mariæ*, deindeque onus duplicis hebdomadalis Missæ Canonico imposuit. In his porro terminis Missas potius reduxit Sacra Congregatio *in Aquen. reductionis* 19. *Decembris* 1772., & *in Urbanien.* 30. *Augusti* 1788.. Quæ autem concedi deberet Missarum reductio, a Vestra pendet prudentia. Ponderandum tamen, nullam a Fundatoribus designatam fuisse illarum eleemosynam; quo casu fieri solet reductio ad taxam perpetuæ, *ut in Nepesina reductionis onerum* 24. *Julii* 1734; & *in Viterbien. Capellaniæ* 11. *Januarii* 1744.

Dubium est

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Negative.

FIR-

FIRMANA SERVITII CHORI. Evexit anno 1787. SSmus D. N. Pius VI. Ecclesiam S. Marci castri Clementini ad honorem, & dignitatem insignis Collegiatæ, hac sub lege, quod Canonici *per octo annorum spatium omnibus diebus tam Adventus, quam Quadragesimæ, prout etiam omnibus Dominicis, & aliis de præcepto Ecclesiæ festivis diebus; elapsis vero præfatis octo annis, omnibus, & singulis anni diebus horas canonicas tam diurnas, quam nocturnas, aliaque Divina officia collegialiter . . recitare, decantare, & psallere, ac Divinis officiis interesse, oneraque eis respective incumbentia supportare debeant, ac teneantur*. Atque in hujusce erectionis sequelam suas Capitulum illius temporis, firmano approbante Archiepiscopo, condidit constitutiones, statuitque præ cæteris = *che spirato il termine degli otto anni di esenzione, e quando si dovrà officiare il Coro quotidianamente, sia lecito a ciascuno di tutti li Capitolari prendersi li due soliti mesi di vacanza ne giorni feriali, e non proibiti secondo gli ordini della Sagra Congregatione del Concilio*.

Sess. 24. cap. 12. de Reмor.

Jam octenne illius vacationis indultum lapsum est; solicitique Canonici de bimestri in posterum vacatione ad formam suarum constitutionum, pro hac EE. Vestris supplicant; eisque favet firmanus Archiepiscopus in hæc verba: *Vel constitutiones ipsæ attendantur, vel lex Tridentinorum Patrum inspiciatur, eorum preces, quas auditi per secreta suraffgia confirmarunt, valido niti fundamento videntur: potissimum quia singulorum canonicatuum fructus, comprehensis etiam incertis, scutata triginta sex per singulos annos dumtaxat attingunt*. Monet tamen, quod si EE. Vestræ *eorum votis annuere censeant, non aliter facultate vacandi frui possint, quam ad formam earum legum, quas in re Sacra ista Congregatio præscripsit, & synodales constitutiones servari jusserunt*.

Petitioni Oratorum obesse posset litera erectionis Ecclesiæ S. Marci in Callegiatam insignem; nam post octennium præscripsit Pontifex O. M. Pius VI. servitium chori *omnibus, & singulis anni diebus*; quæ verba nullam excipere videntur vacationis diem, per *Text. in leg. 1. ff. de novat.*, & *in leg. distinguemus §. si plures ff. de arbitr.* Idque consentaneum esset veteri disciplinæ, ex

qua sine ulla intermissione quotidie tenebantur Beneficiati recitare officium in choro, ut *in can ult. dist.* 92., de quo *Benedict. XIV. Instit.* 107. §.1. Verisimile contra non est, ut Pontifex ipse, qui ob tenuem fortasse cujusque Canonici præbendam scutorum 36., amplissimam per octennium concessit vacationem a chorali servitio diebus omnibus profestis, excepto tempore Adventus, & Quadragesimæ, obligare deinde voluerit Canonicos ad perpetuum servitium cum eadem præbenda. Verisimilius est, quod in præscribendo quotidiano servitio, ad universum respexerit Canonicorum cœtum, ne unquam scilicetdeficerent, qui interessent choro, relicta cujusque Canonici vacatione, de qua nullam fecit mentionem, sub dispositione *Sacri Concilii Tridentini*, quod *in sess.* 24. *cap.* 12. nedum bimestrem vacationem, pro qua ad formam suarum constitutionum supplicant Canonici, sed trimestrem permittit.

Pro hac Literarum Apostolicarum intelligentia sunt capitulares constitutiones, quæ paullo post erectionem conditæ, de bimestri caverunt vacatione, & juxta *Tridentinam* ipsam *Synodum loc. citat.* servandæ viderentur. In casu autem, quod Eminentiæ Vestræ annuere censeant precibus Oratorum, deliberare etiam digentur de modo. Servanda in id monet Archiepiscopus decreta Sacræ Congregationis, & synodales leges. Quæ sint leges istæ synodales, ignoratur. Ex decretis vero Sacræ Congregationis, hoc potissimum caveri debet, ne omnes simul absint Canonici, omnique servitio Ecclesia destituatur, testibus *Fagnano in cap. licet de præben. num.* 54., & *seq.*, & *Piasec. in prax. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 2.

Quæritur ergo.

An, & quomodo sint concedendæ vacationes a servitio Chori in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

BRU-

BRUGNATEN. MISSÆ CONVENTUALIS, ET PRO POPULO. In novissima Sacrorum Liminum visitatione exposuit brugnatensis Antistes defectus Collegiatæ S. Mariæ de Nazaret oppidi Sigestri, & Cathedralis Brugnati in celebratione Missæ conventualis, & pro populo. Provisum fuit Collegiatæ per rescripta diei 23. elapsi Januarii. Altera suspensa fuit provisio ob superventas nomine Capituli Cathedralis preces, de quibus infra post enarrationem facti. Constabat antiquitus Capitulum illud Canonicis tribus, quibus imposuit *Julius II.*, confirmavitque anno 1512. *Leo* X. onus residentiæ, & duplicis Missæ quotidianæ, quarum una diebus Dominicis, & festis cum cantu; deindeque injuncta etiam fuit Animarum cura, a quo, ignoratur. Quartum Canonicatum addidit anno 1551. Sacerdos Antonius Cattaneo, duos alios anno 1639. Sacerdos Petrus Antonius Bertucci, & septimum familia Sturlese; ac præter Canonicos septem, est modo Archidiaconus. Priores tres Canonici vix habent, deductis oneribus, præbendam scutorum 22. monetæ romanæ, ac uti Curati incerta duorum scutorum pro quolibet. Qui ex eis vero principaliter curam exercet animarum, ampliora percipit incerta, quæ tamen paria utplurimum non sunt impensæ palmarum, & candelarum, quas ipse unus distribuere tenetur in festo Purificationis B.M. Virginis, & Dominica Palmarum. Quatuor aliis de jurepatronatus laicorum præbenda est scutorum 11., Archidiacono nulla.

Sess. 22. Decret. de observ. & evitam. in celebr. Miss., & sess. 23. cap. 1. de Reform.

Nil constitutiones Capituli disponunt de Missa conventuali, & pro populo. Quidquid autem antiquitus fuerit de utriusque applicatione, ita a vicennio sese gesserunt Canonici. Unus ex tribus Curatis, qui canonicatum obtinuit anno 1775., dimisitque anno 1777., applicavit in suo turno Missam conventualem pro solo populo; idemque fortasse fecerunt alii duo, qui canonicatus & ipsi ad eumdem annum 1777., & respective 1780. retinuerunt, & modo extra brugnatensem Diœcesim morantur. Alter vero ex præsentibus illorum successoribus applicavit semper conventualem pro popolo simul, & benefactoribus: alter pro solo populo: & tertius per aliquot annos pro populo, deindeque pro populo, & benefactoribus. At eorum nullus applicavit Missam pro

pro populo in solemnioribus festis, in quibus conventualem cecinit Archidiaconus, neque iis in festis, in quibus eamdem celebravit Missam Canonicus ille de jurepatronatus laicorum, qui ad eam ex fundatione cum tribus Curatis tenetur per turnum.

Ad hæc tandem advertens, ab EE. Vestris postulavit brugnatensis Episcopus occasione visitationis Sacrorum Liminum, num tres Canonici Curati; ultra Missam pro populo, applicare etiam tenerentur conventualem pro benefactoribus; & num reliqui de jurepatronatus laicorum ad eamdem tenerentur conventualem diebus Dominicis, & festis de præcepto, licet onus haberent applicandi iisdem diebus Missam pro Fundatoribus. Paullo post supplicatum fuit nomine Capituli pro reductione Missæ conventualis, & absolutione, ob eam, alteramque pro populo in præteritum omissam; retulitque Episcopus, detrahi non posse eleemosynam Missæ conventualis ex incertis Canonicorum reditibus, *quum nullis fruantur hujusmodi reditibus Canonici quatuor de jurepatronatus laicorum, etiamque Archidiaconus, qui caret insuper omni quocumque certo reditu: reliquorum autem trium Canonicorum, quibus solis inhæret actualis Animarum cura, atque proinde onus parochialis Missæ, reditus incertus annua pro unoquoque non excedat scuta romana duo. Qui ex tribus hisce Canonicis curam prædictam exercet principaliter, & in capite, Curatique donatur nomine, aliquo majori gaudet incerto reditu, qui tamen utplurimum impensam non assequitur palmarum, & candelarum, quas ipse solus annuatim Purificationis B. Virginis festo, nec non die Dominica palmarum respective tenetur populo distribuere.*

Atque ita conclusit: *Ad bonam firmandam eorum fidem, Archidiaconus, quatuorque Canonici de jurepatronatus laicorum, qui omnes pro solis suis Sacra applicarunt peculiaribus oneribus, literæ innituntur jam enunciati decreti* (quod in id ab hac Sacra Congregatione editum asseritur die 30. Septembris 1724., sed neque in Thesauro resolutionum, neque in libro Decretorum illius anni reperitur) *Ex eodem pariter decreto non satis cognito, aut intellecto desumere intendunt eorum bonam fidem tres reliqui Canonici. Eisdemmet Canonicis ob exiles eorum præbendarum proventus non levis evaderet pon-*

ponderis, si quo ad omissas conventualium, itemque parochialium Sacrorum applicationes supplere ipsi deberent. Quapropter in hoc rerum statu, habitoque ad omnes circumstantias intuitu supplex Vos rogo, atque oro, Emi Patres, ut ipsis præteritarum omnium omissionum a Sanctissimo D. N. benignam in Dominio condonationem obtinere dignemini. Et interim in expectatione maneo jam implorati sapientissimi EE. Vestrarum oraculi quo ad modum satisfaciendi in posterum præfatis applicationibus.

Absque ipsorum scientia datum affirmant Canonici supplicem libellum pro reductione Missæ conventualis, & absolutione; ac præ viribus sustinent, eorum neminem teneri ad illius applicationem. Immunes dicunt ab hujusmodi applicatione Archidiaconum, & Canonicos de jurepatronatus laicorum, eo quod omni ille caret reditu, onus isti habent applicandi cum tenuissimo reditu scutorum 11. tres hebdomadales Missas pro Fundatoribus, aliasque diebus Dominicis, & festis B. Virginis; necessariam providendi ceram, manutenendi lampadam accensam singulis Sabbathis ad capellam Beatæ Mariæ Gratiarum, & inserviendi cum reliquis Canonicis choro. Ob eorum autem exemptionem æquum non censent Canonici Curati, ut omne conventualis pondus in ipsos refundatur. Potissimum quia tenuis eorum præbenda scutorum 22. neque aliis par est oneribus. Canunt enim cum cæteris Canonicis Missam, & vesperas diebus festis de præcepto, pluribusque aliis simplicis devotionis cum Canonico familiæ Cataneo per turnum; horas iisdem diebus recitant canonicas: in octava Corporis Domini canunt vesperas, recitantque matutinum, & laudes: canunt pariter diebus omnibus quadragesimę completorium; singulisque sabbathis, & vigiliis B. Mariæ Virginis de pręcepto litanias cum oratione *Salve Regina*: nocturnum recitant defunctorum prima cujusque mensis feria sexta; aguntque diebus Dominicis, & festis Deiperæ post completorium supplicationes.

His vero omnibus difficultatibus occurrit *Benedictus XIV. in Encyclica cum semper oblatas* §. 17. De iis enim loquendo, qui se excusatos voluissent ab applicatione Mis-

Missæ pro benefactoribus in genere ob particulare onus eam applicandi pro fundatoribus canonicatuum, & de Parochis, qui eam diebus festis applicare tenentur pro populo, eorum singulis præscribit, *ut Missam conventualem, quam canunt, pro Ecclesiæ benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, alterū substituant, qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret, applicetque.* Permittit tamen laudatus Pontifex §. 19. reductionē conventualis ad dies festos, ubi exiguæ sint Canonicorum distributiones, & alia deficiant media *a S. Concilio Tridentino* præscripta. Num in hoc vero versemur casu, EE. Vestræ decernent. Vix habent profecto singuli Canonici Curati præbendam scutorum 22.; & incerta juliorum viginti; & Sac. hæc Congregatio ad effectum reducendi Missam conventualem ad dies festos, pro tenui habet præbendam, quę non excedit annua scuta 30., ut *in Veliterna* 14. *Martii* 1722. *ad III. Dubium*, *in Ariminen.* 18. *Septembris* 1751., *& in Camerinen. Missæ conventualis* 14. *Decembris* 1793.

Neque teneri, ajunt Canonici Curati ad applicandam Missam pro populo. Quandoquidem præter tenuissima incerta, congruam non habent parochialem; & omnes assistunt infirmis, Sacramentales excipiunt confessiones, Evangelium exponunt per turnum; Curatus vero actualis pueros doctrinam docet christianam, Sacramentum ministrat Baptismi, matrimoniis assistit, populumque ad christianam erudit disciplinam. In his porro terminis applicationem Missæ pro populo ad aliquos dies magis solemnes restringendam censet *Scarfanton. ad Ceccoper. addit.* 9. *num.* 13. Aliter propterea Canonici Curati cogi non posse autumant ad applicandam singulis diebus festis Missam pro populo, quam si congruam ipsis assignet Episcopus, cui habitualem tribuunt curam, eo quia *Innocentius II.* in Bulla 27. Maii 1133. erectionis Monasterii S. Petri Apostoli, ac SS. Laurentii, & Columbani in brugnatensem Sedem episcopalem cavit, quod *Ecclesiæ, quæ citra ipsum Monasterium sunt, eidem Cœnobio in episcopalem Sedem erecto, parochiali jure subjaceant.*

Ge-

Generalis contra Canonicis Curatis obstat regula per *Benedictũ ipsum XIV.* statuta *sub* §.5.*Encyclicæ*,quod applicare omninò teneantur Parochi singulis diebus festis Missam pro populo,*licet congruis præfinitis reditibus destituantur*, *& quamvis antiqua*, *seu etiam immemorabili consuetudine in ipsarum Diœcesibus*, *seu Parochiis obtinnerit*. Applicare siquidem tenentur Parochi Missam pro polulo ratione officii, non reditus, ex *Sac. Concilio Tridentino sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*, *Benedictus XIV. in eadem Encyclica* §. 4., *& seq.*, *& de Synod. diœces. cap. ult. num.* 4., *& seqq.*, *& Sac.Congregat. in Neocastren. Missæ pro populo* 26. *Januarii* 1771. *ad I.Dubium*. At idem *Benedict. XIV.* §.8. *Encyclicæ* commutationẽ permittit Missæ pro populo a diebus festis ad profestos,ubi Parochi adeo tenues habent reditus, ut ex eleemosynis vivant Missarum,in hęc verba: *Quia vero propria nonnumquam experientia satis agnovimus*, *aliquos esse Parochos adeo pauperes*, *ut fermè ex eleemosynis*, *quas a Fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt*, *vivere cogantur*; *idcirco unicuique vestrum facultatem concedimus cum iis*, *quos revera tales esse noveritis*, *opportune dispensandi ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere*, *& pro ipso Sacrificium applicare libere*, *& licitè possint & valeant*, *dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa Ecclesia parochiali Missam celebrent*; *ea tamen adjecta conditione*, *ut tot Missas infra hebdomodam pro populo applicent*, *quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint*. In casu autem nostro Canonici Curati non vivunt omnino ex eleemosynis Missarum, sed admodum tenues habent reditus.

Quantum postremo ad pręteritum,videri possent Oratores in mala fide ob non celebratas Missas conventuales, & pro populo contra dispositionem Encyclicæ Benedictinæ. At omissionis veniam ex hoc mereri possent, quod *eisdemmet Canonicis ob exiles eorum præbendarum proventus*, *non levis evaderet ponderis*, *si quoad omissas conventualium*, *itemque parochialium Sacrorum applicationes supplere ipsi deberent*; ut monet Episcopus.

Deliberandum igitur.

I. *An, a quibus, & quomodo in futurum sit celebranda, & applicanda Missa conventualis in casu &c.*

II. *An, & quomodo Canonici Curati teneantur celebrare, & applicare Missam pro populo diebus etiam Dominicis, & festis de præcepto, in quibus celebrare debent Missam conventualem in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 28. Maii 1796. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

FIRMANA SERVITII CHORI. *Sess. 24. cap. 12 de Reform.*

An, & quomodo sint concedendæ vacationes a servitio chori in casu &c.

Affirmative juxta votum Archiepiscopi.

BRUGNATEN. MISSÆ CONVENTUALIS, ET PRO POPULO. *Sess. 22. Decret de observ. & evitan. in celebr. Miss., & sess 23. cap. 1. de Regular.*

I. *An, a quibus, & quomodo in futurum sit celebranda, & applicanda Missa conventualis in casu &c.*

II. *An, & quomodo Canonici Curati teneantur celebrare, & applicare Missam pro populo diebus etiam Dominicis, & festis de præcepto, in quibus celebrare debent Missam conventualem in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ab omnibus per turnum, & quoad applicationem pro Benefactoribus in genere diebus festis tantum, non omissa celebratione, & applicatione pro Fundatoribus in specie per alium juxta leges fundationum.

Ad II. Affirmative per alium vicissim ex reliquis duobus Curatis.

Ad III. Affirmative.

Sess. 22. cap. 6. & 11. de Reform.

VITERBIEN. ERECTIONIS CANONICATUS, ET APPLICATIONIS FRUCTUUM - Moriens reliquit anno 1712. Canonicus Joseph Piciocchi testamentariam schedam, suo scriptam, & subsignatam charactere, in qua usufructuariam instituit heredem Catharinam Barbarasi ejus matrem cum facultate alienandi bona, erigique post illius obitum mandavit beneficium, aut canonicatum in viterbiensi Ecclesia Cathedrali, ad quem nominavit ipse Joannem Baptistam, vel alterum ex filiis Jacobi Silvestrelli, relicto in posterum jure nominandi Capitulo ejusdem Cathedralis. Hoc autem neglecto illegali testamento, hereditatem filii cum beneficio legis & inventarii adivit Barbarasia ab intestato: sed in omnibus hereditariis, suisque bonis heredem scripsit anno 1714. (*anche in esecuzione della volontà più volte espressale del Canonico Piciocchi suo figliuolo*) *un canonicato, o sia beneficio semplice da istituirsi, ed erigersi dall' infrascritto suo esecutore testamentario con quel peso di Messe, che parerà, e piacerà al medesimo suo esecutore da celebrarsi in quell' Altare da designarsi dal detto suo esecutore testamentario*; nominavitque Jacobum Silvestrelli in executorem testamentarium *colle facoltà necessarie di trattare, stabilire, e fare l'istituzione di detto canonicato, o sia beneficio semplice, o cappellania da regolarsi secondo la di lui prudenza tanto rispetto al peso di Messe, officio, e residenza, quanto di dichiararlo, o nò, se debba essere patronato ecclesiastico, o laicale*; reservato illius familiae jure nominandi.

Statim vigore hujusce dispositionis adeptus fuit executor testamentarius possessionem hereditatis Barbarasiae, non nomine erigendi canonicatus, sed *pro se, ejusque filiis*. Eum vero in jus vocavit Capitulum viterbiensis Cathedralis, atque ex testamentaria scheda Canonici Piciocchi immissionem postulavit in Curia episcopali Viterbii ad illius bona hereditaria vigore *Legis fin. Cod. de edict. Div. Adrian. tollen.*, ad effectum nempe erigendi ad formam ejusdem schedae canonicatum. Qua de re ad eam evadendam actionem, constituit Silvestrellius per judicialem protestationem diei 13. Februarii sequentis anni 1716. *beneficium, de quo agitur, mere laicale cum onere Missarum centum celebrandarum per ipsum, ejusque successores per medium cujuscumque Sacerdotis, sive in hac Civitate, sive alibi*

cum

cum manuali eleemosyna ; reservato sibi jure melius declarandi, & variandi . Hinc siluit Causa ex parte Capituli ; sed actum adversus Silvestrellium fuit anno 1724. nomine Rev. Fabricæ S. Petri coram ejus Commissario Viterbii pro immissione *in possessionem omnium & singulorum bonorum hereditariorum Catharinæ* (Barbarasi) *ad effectum tamen retinendi donec & quousque fuerit sequuta erectio* (canonicatus) & pro applicatione perceptorum redituum , Quamquam hæc etiam conticuit Causa ob allegatam a Silvestrellio pendentiam litis cum Capitulo ; ut progressum deinde non habuit judicium a Promotore fiscali viterbiensis Curiæ episcopalis institutum anno 1726. pro præfixione termini ad erigendum canonicatum juxta testamentum Barbarasiæ , & redditione rationis bonorum ejus hereditariorum .

Continuarunt igitur Jacobus Silvestrelli , ejusque filius Cæsar in possessione hereditatis , annuis , ut asseritur , celebratis missis centum. Verum testamento anni 1776. jussit alter Jacobi filius Joseph = *per scrupolo di sua coscienza , che alli beni ereditarj lasciati dalla qu. Catarina Barbarasi con un peso arbitrario , e indeterminato di Messe, essendo quelli , che al presente si possiedono dal Signor Cesare Silvestrelli suo germano fratello , si aggiungano l' altri beni infrascritti di esso Testatore ; e dopo la morte di esso Signor Cesare , e di qualunque altro che fosse mai chiamato , e sostituito da detta Catarina nella sua disposizione testamentaria , con i detti beni ereditarj , e coll' altri da aggiungersi si debba erigere un canonicato con titolo di Bibliotecario . , col peso di celebrare , o far celebrare nella cappella de SS. Martiri Valentino , ed Ilario due Messe nei giorni di venerdì per ogni mese , ed in ogni anno in perpetuo* . Ex hac autem novissima Josephi dispositione occasionem sumpsit viterbiense Capitulum resumendi in hac Sac. Congregatione adversus Cæsarem Silvestrelli antiquam instantiam pro erectione canonicatus ad formam schedæ Piciocchi , cui addidit alteram pro restitutione fructuum . Duo igitur proponi curavit Dubia , I. *an sit locus erectioni canonicatus* , & quatenus affirmative , *an , quomodo , a quo tempore , & de quibus bonis debeantur fructus* ; at Sacra Congregatio respondit die 21. Junii 1783. Ad I. *affirmative ad formam testamenti Josephi Silvestrelli* ; ad II. *affirmative juxta modum , nem-*

pe

pe erectionem canonicatus perficiendam esse ad formam testamenti Josephi Silvestrelli ex bonis Catharinæ Barbarasi una cum aliis ab eodem Josepho ad hunc effectum relictis; & quo ad fructus negative.

Hisce non obstantibus resolutionibus, decrevit anno 1785. Judex Rev. Fabricæ applicationem bonorum hereditariorum Barbarasiæ, eorumque fructuum favore ejusdem Fabricæ. Causa vero per decretum R. P. D. Auditoris *Sanctissimi* ad Sacram hanc Congregationem remissa, de viribus modo dictarum resolutionum quæritur; & Procurator Fiscalis Rev. Fabricæ postulat adversus Capitulum, & Fulgentium Cotta, qui familiam modo repræsentat Silvestrelli, ut iis reformatis, demandetur erectio canonicatus, vel simplicis beneficii ex bonis Barbirasiæ ad formam ejus testamenti; fructus vero, qui ob illegalitatem schedæ Piciocchi denegati fuerunt Capitulo, applicentur Rev. Fabricæ a die obitus ejusdem Barbarasiæ. Erigendum profecto contendit canonicatum, vel beneficium, non ad formam testamenti Josephi Silvestrelli, sed Barbarasiæ; quum executor testamentarius, vel ejus heres, qualis erat Joseph, immutare non potuerit leges primæ fundationis, aliasque addere conditiones, secundum *Vivian. de jurepatr. lib.* 14 *cap.* 3. *num.* 6. *& seq.*, *Piton. discept. eccles. addit. ad discept.* 19. *num.* 15., *Rot. in recent. decis.* 136. *num.* 3. *&* 4. *part.* 13. Neque id licuisse ait Josepho ob sua etiam relicta bona ad augendam dotem canonicatus; nam ea largitio potius, quam dotatio beneficii, jam ex bonis Barbarasiæ dotati, eum non constituit confundatorem, unde primam everteret fundationem, qui ne honorificum quidem jus per talem largitionem quæsivit, ad tradita per *Rot. in Maceraten. Jurispatronatus* 27. *Januarii* 1749. §. 17. *coram Vicecomite*, *ejusque confirmatoria* 8. *Februarii* 1754. §. 6. *coram Caprara*.

Quod autem immutaverit Joseph primam fundationem, ex pluribus desumit. Ex testamento siquidem Barbarasiæ statim post ejus obitum erigi debuissèt canonicatus, vel simplex beneficium: ex altero vero Josephi fieri non poterit erectio, quam *dopo la morte di esso Signor Cesare* [Silvestrelli], *e di qualunque altro, che fosse mai chiamato, e sostituito da detta Caterina nella sua disposizione testamentaria*. Pro se insuper voluit pia illa mulier suffragium Missarum: de illarum contra

appli-

applicatione solicitus non fuit Joseph, dum onus tantum imposuit Beneficiato celebrandi due Misse *nei giorni di Venerdì per ogni mese*. Atque hinc reprehendit Fiscalis Silvestrellios, quod tamdiu tanquam heredes disposuerint de bonis hereditariis Barbarasiæ, quæ tamen heredem instituit *un canonicato, o sia beneficio semplice da istituirsi, ed erigersi*; præsertim vero Josephum, qui illius voluntatem commutare præsumpsit. Tributam quidem ait Jacobo Silvestrelli executori testamentario facultatem *di fare l' istituzione di detto canonicato, o sia beneficio semplice, o cappellania da regolarsi secondo la di lui prudenza tanto rispetto al peso di Messe, officio, e residenza, quanto di dichiararlo, o nò, se debba essere padronato ecclesiastico, o laicale*; sed commutari per eam non potuisse qualitatem veri beneficii, quam præseferunt demandata illius *erectio*, onusque *officii*, & *residentiæ*, in simplex legatum pium Missarum, ut aliquot celebratis manualibus Sacris, sibi Silvestrellii, hereditario velut titulo, superextantes addicerent reditus.

Posita itaque in Silvestrellis, eorumque successore obligatione erigendi canonicatum ad formam testamenti Barbarasiæ, expeditam dicit Fiscalis actionem Rev. Fabricæ pro applicatione redituum à die illius obitus. Eos namque suos facere non potuit, neque Jacobus Silvestrelli uti executor testamantarius, per *Text. in leg. Lucius Titius* §. *a te peto ff. de legat.* 2., *Rocc. respons. legal.* 77. *num.* 36. *tom.* 1., neque illius successores tanquam patroni, *ex cap. præterea de jurepatr.*, *Sacr. Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 11. *de reform.*, *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 12. *num.* 7., & *dis.* 20. *num.* 12. & *seqq.*, ideoque applicandos esse Rev. Fabricæ, quæ hoc privilegium habet quo ad fructus in opus pium non erogatos, teste *Vespignano de privileg. Rev. Fabr. pag.*42.

Fuse lateque altera ex parte impugnat Fulgentius Cotta illegalem illam Piciocchi schedam, quam neque contumax Capitulum, neque Fiscalis Rev. Fabricæ tuetur; atque utrique inhærens testamento Barbarasiæ, & Josephi Silvestrelli, servandam ait institutionem pii Missarum legati semel anno 1716. expletam a Jacobo Silvestrelli ex bonis Catharinæ; erigendum vero canonicatum ex bonis dumtaxat Josephi. Servandam quidem institutionem pii legati, veluti factam ex amplis-

sima

sima illa facultate declarandi, utrum erigendus canonicatus, beneficium, vel capellania *debba essere padronato ecclesiastico, e laicale*; quam fundationis legem abrogare non potuit ex allegatis juribus Josephi Sjlvestrelli; eo magis, quia secundum ipsius testamentum suspendi deberet Missarum celebratio ad extinctionem contentivae etiam ejus familiae, de qua est Gens Cotta, ut notat etiam Fiscalis. Erigendum vero canonicatum ex bonis tantum novissimi Testatoris, dum hic disponere poterat de re sua, non de aliena, neque alienam fundationem, jam per institutionem simplicis legati pii Missarum expletam, immutare. Inde autem infert, applicandos non esse Rev. Fabricae fructus bonorum Barbarasiae, qui jam in pium Missarum legatum juxta ejus institutionem cesserunt. Privilegium enim Rev. Fabsicae locum non habet adversus eum, qui pium opus adimplevit; ut notant *Ventrigl. in prax. for. eccles. part.2. annot.28. §.2. num.6.*, *Novar. in summ. Bullar. comment. 67. de Fabric. S. Petr. num.24. & seqq.*

Notare tamen dignentur Emi Patres quo ad Rev. Fabricam, potissimam ejus rationem, cur erigi non debeat canonicatus ad formam testamenti Josephi Silvestrelli, quod in aevum nempe differretur erectio, quam Barbarasia voluit statim post ejus obitum, destitutam videri praesidio facti. Jam enim decessit Caesar Silvestrelli, neque ullus alius omnino in testamento Barbarasiae substitutus est ad ejus hereditatem, in qua instituit dumtaxat *un canonicato, o sia beneficio semplice da istituirsi, ed erigersi*; ideoque erroneo innixus supposito, erectionem fieri non posse censuit Joseph, quam post extinctum Caesarem, aliosque a Barbarasia substitutos. Deliberandum propterea, num juxta resolutionem anni 1783. utilior, nec ne sit erectio canonicatus juxta testamentum Josephi, ut ex accessione ejus bonorum pinguior fiat. Ad omnia vero praecidenda diffugia, quibus ab octoginta annis & ultra neglecta est, de ea utique quam cito explenda cavendum videretur. Bona tandem Silvestriorum, eorumque successoris fides, qua exequuti sunt pium Missarum legatum ab executore testamentario Barbarasię institutum, eos excusare posset a petita applicatione, ad annum saltem 1783., quo post tot controversias demandata fuit erectio canonicatus.

Pon-

Ponderandum insuper quo ad Fulgentium Cotta, num attendi, nec ne debeat plum Missarum legatum a Jacobo Silvestrellio institutum. Hic porro juxta testamentum Barbarasiæ instituere, & *erigere* tenebatur canonicatum, beneficium, vel capellaniam cum officio, residentia, & Missarum onere, seu verum beneficium; proindeque se ipsum ex mero executore testamentario constituere non potuisse videretur heredem cum simplici, eoque tenui Missasum onere.

In contentionem igitur venit.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 21. *Junii* 1783. *quo ad* I. *&* II. *Dubium in casu &c.*

Quoad I. in decisis juxta modum. nempe applicatis Missis tam pro Catharina Barbarasi, quam pro Josepho Silvestrelli, & Eñus Episcopus statim procedat ad erectionem Canonicatus, & amplius.

Quoad II. Recedendum a decisis. & deberi fructus Rev. Fabricæ quoad bona Basbarasiæ ab anno 1783., quo vero ad bona Josephi Silvestrelli a die obitus Cæsaris, detracta eleemosyna erogata in celebrationem Missarum.

URBINATEN. Sacerdos Horatius Zeppi testamento condito sub die 30. Novembris 1784. ad formam *Cap. cum esses de testament.*, coram proprio nimirum Parocho Montis Guidutii Joanne Petro Forcina, & tribus testibus, hæc disposuit = *Per ragione di legato pio, ed in ogni altro modo migliore, esso Signor Testatore vuole, ordina, e comanda, che di tutti, e singoli suoi beni &c. ne venghi eretta una cappella sotto il titolo di Maria SSña Assunta in Cielo con l'obbligo di Messe due da celebrarsi alla settimana nella propria Chiesa, e che dal Cappellano pro tempore venghi solenizzata la festa dell'Assunzione* 15. *Agosto con obbligo di Messe dieci; e questo legatò sia perpetuo. Il jus poi di nominare l'abbia il suo fratello Bartolomeo Zeppi, e poi il detto jus di nominare sia sempre, sì attivo, che passivo, di Casa Zeppi, durante la linea mascolina, ed in mancanza di essa abbia il jus la linea feminina*. Aliquid verò ex his moderatus fuit in codicillis exaratis coram eodem Parocho, & quatuor testibus die 2. sequentis Decembris; nam = *considerando, che il*

Sess. 22. *cap.* 6. *& sess.* 25. *cap.* 5. *de Reform.*

peso della cappella da me eretta possa esser gravosa ai miei parenti di due Messe la settimana, perciò la rimetto all'obbligo di una Messa la settimana, e da celebrarsi, o far celebrare ovunque parerà al Cappellano pro tempore. De consilio tandem Archipresbyteri castri Petriani, qui extraordinarius erat ejus Confessarius, aliud die 5. ejusdem mensis Decembris condidit testamentum, non *coram Presbytero suo*, ut præscribit *Alexander III.* in dict. *Cap. cum esses*, sed coram præfato Archipresbytero, & quatuor testibus; atque in eo heredem instituit Bartholomæum ejus fratrem in usufructu, illius filios in proprietate.

Novissimo tamen isto, minusque legitimo abjecto testamento, executionem postularunt Zeppii prioris dispositionis pro institutione capellaniæ; eodemque tempore Parocus Forcina, coram quo ea dispositio exarata fuerat, exposuit archiepiscopali Curiæ Urbini, ac sub formali examine confirmavit, sibi insuper Testatorem coram testibus imposuisse = *che avesse manifestata, e dichiarata la sua volontà a Monsignor Illmo, e Rmo Arcivescovo sul punto dell'erezione di detta cappellania, cioè che detto Sacerdote Zeppi dava al prelodato Monsignor Arcivescovo ogni, e qualunque facoltà di moderare, riformare, aggiungere, e levare circa l'erezione di detta cappellania, come meglio avesse creduto, ed a suo pieno arbitrio*. At examinatis ad instantiam Procuratoris fiscalis ejusdem Curiæ testibus à Paroco indicatis, nemo unus de asserto deposuit mandato, vixque à Testatore hæc, & similia audivisse dixerunt verba = *Si ricordi* [Parochus Forcina] *di quello, che gli ho detto, li metto tutto sopra la sua coscienza, perchè si tratta di un'anima*.

Quamvis autem loquutus fuisset testator de simplici capellania, ad instantiam tamen Executorum testamentariorum, ipsius nempe Parochi Forcina, & Parochi Domus Rotundæ, eam tandem decessor Archiepiscopus Urbini erexit die 14. Aprilis 1785. = *ordinaria auctoritate, & omni meliori modo, causa, & forma nobis de jure permissis in perpetuum beneficium ecclesiasticum* = eique in fundum assignavit prædium in vocabulo *la Madonnina*, & domum intra castrum Montis Guidutii, cum annuo onere Missarum 52. ad formam codicillorum: atque ex facultate moderandi, & reformandi testamentum, sibi juxta Parochum Forcina tributa, licet de ea non convenissent testes ab eo indicati, decla-

claravit = *quod si quando contingat, nullum* (ex consanguineis vocatis) *adesse promptioris animi ad clericatum assumendum, durante vacatione prædictæ capellaniæ fructus annuos* dicti prædii *deponi apud Sacram hanc Urbini Ædem, detractis tamen quotannis eleemosynis Missarum, ut competenti conflata summa fructus prædicti dentur, & assignentur ad constituendos dotes puellarum testatoris consanguinearum.*

Priusquam stipularetur in id instrumentum, dedit Bartholomæus Zeppi testatoris frater cuidam Advocato mandatum promovendi in Archiepiscopali Curia instantiam = *che venghi messo nel detto istromento questa condizione, cioè che io mi riservo qualsivoglia ragione a me competente, affinchè dopo l' istromento abbia tempo di dire le mie ragioni, se mai li miei figli facendo qualche sproposito, lo possi rimediare.* Verum stipulato absque hujusmodi reservatione jurium instrumento, ad erectum beneficium nominavit Sacerdotem Antonium ejus filium, qui aliquot per annos illud pacato animo possedit. At Sacerdos ipse, ejusque fratres Stephanus, & Dominicus Sacræ huic Congregationi supplicarunt anno 1794.; ut moderata erectione beneficii ecclesiastici, eam fieri mandaret in simplicem capellaniam ad formam testamenti.

Impense eorum instantiæ obstitit hodiernus Archiepiscopus. Ex iis ipsis enim rationibus, quas fortiter modo Procurator fiscalis ejus Curiæ deducit, consentaneam fuisse dixit erectionem beneficii testamento, & codicillis Sacerdotis Horatii, qui voluisse videtur capellaniam ecclesiasticam; valdeque mirabatur, *quam ob rem ipsemet Sacerdos Antonius Zeppi Capellanus, qui prævia patris sui præsentatione capellaniam prædictam postulavit, & servatis canonicis solemnitatibus, ac Bullarum expeditione, solemnique interposito juramento acceptavit, possessionem assequutus est, atque annuos reditus, satisfactis oneribus, sibi huc usque vindicavit, ille inquam Sacerdos post ferme decem annorum curriculum, nescio, quo spiritu, aut quæstus larva abreptus, hanc ipsam ecclesiasticam capellaniam, sive beneficium, ab ejus patruo Sacerdote jamjam morituro sacrosanctis legibus institutum (proh nefas!) pessumdare, ac in germanorum fratrum sordidum lucrum convertere contendat!* Eo magis, quia juxta epistolam per decessorem Archiepi-

scopum conscriptam ad Parochum Forcina, Sacerdos ipse Antonius, ejusque fratres, in erectionem beneficii ecclesiastici initio convenerant.

Recte vero demandatum censuit depositum pro dotandis puellis consanguineis ex amplissima illa facultate moderandi, & variandi testamentum, quam Archiepiscopo tributam affirmabat Parochus Forcina; provideque demandatum in favore puellarum ejusdem familiæ Zeppi, & absque præjudicio masculorum, in casu scilicet, quod eorum nullus beneficium appeteret. Retulitque postremo, quod ad rem, si fieri posset, componendam, *Oratores ipsos cum eorum patrocinatore compluries accersivi, atque emolliendi causa eorum animos, inter cætera hoc compositionis pactum, si tamen Eminentissimis Patribus probatum acceptumque esset, proposui, nimirum, quod fructuum, ex vacantis capellaniæ reditibus in posterum congerendorum, quatenus nullæ forent puellæ, masculi quoque sæculares participes esse deberent. Placuit Oratoribus, eorum Defensori mea placuit propositio; atque exinde sine mora preces huic Sacræ Congregationi deferre spoponderunt. At spem fefellit eventus: nam quum diu cunctando me detinuerint, eos rusticanæ eorum prosapiæ genio morem gerentes, fidem perstringere non puduit.*

Seram Procurator fiscalis notat Oratorum querelam adversus erectionem capellaniæ in beneficium ecclesiasticum, decem nempe post annos; eo magis, quia erectio illa conformis fuit dispositioni juris, & voluntati Testatoris. Ex jure siquidem ecclesiastica in dubio præsumitur capellania, secundum *Amost. de caus. piis lib. 3. cap. 2. num. 17.*, *Piton. de controv. patron. allegat. 49. num. 27.*, & *Rot. cor. Olivat. decis. 654. num. 4.*, ac talis etiam videtur ex voluntate Testatoris, qui plura dedit illius argumenta. Mandavit enim = *che di tutti, e singoli suoi beni ne venghi ERETTA una cappella*; ejusque propterea *erectionis* votum capellaniam demonstrat ecclesiasticam, ut observant *Piton. de contr. patron. allegat. 9. num. 9.*, & *seqq.*, & *Rot. coram Olivatio decis. 654. num. 5.*, & *coram Riminaldo dec. 397. num. 6.* Adhibuit rursus vocabulum *cappella*, eamque erigi voluit *sub titulo* B.M.Virginis in Cælum assumptæ; idque eamdem indigitat ecclesiasticam qualitatem, ad tradita per *Amost. de caus. piis*

lib.

lib. 3. *cap.* 2. *num.* 11., *Piton. de controv. patron. cit. allegat.* 31. *num.* 9., & *Rot. coram Olivatio decis.* 654. *numer.* 7. Certam insuper eidem capellaniæ assignavit dotem, prædium nempe, & domum, quam assignationem plurimi ad rem facit eadem *decis.* 654. *num.*8. *coram Olivatio*. Et reservavit denique jus nominandi ejus fratri, & nepotibus, quod proprie beneficiis, non autem laicalibus convenit capellaniis *Ursaya discept.* 15. *num.* 16. *tom.* 1., & *Rot. in Civitatis Castelli capellaniæ* 10. *Martii* 1758. §. 10. *cor. Canilliac.*

Advertendum præterea rogat, erectam fuisse capellaniam in beneficium ecclesiasticum ad instantiam Executorum testamentariorum, ex qua eam censet legitimam *Piton. de controv. patron. cit. allegat.* 31. *numer.* 26., remque esse de erectione jam facta, quam idcirco servandam dixit, *Rot. in cit. decis. Civitatis Castelli capellaniæ* 10. *Martii* 1758. §. 18. *cor. Canilliac.* Neque his omnibus obstare ait subsidiariam lineæ fœmininæ vocationem; quum hæc activum respiciat jus nominandi, quod esse potest laicale in capellania ecclesiastica, *Cæsar. de Grass. decis.* 114. *de præben. per tot*. Addit immo, quod etiamsi deessent volitæ capellaniæ ecclesiasticæ argumenta, adhuc tamen ob non expressam a testatore *laicalem* illius qualitatem, licuisset Archiepiscopo illam in beneficium ecclesiasticum erigere, ut sentiunt *Lara de anniv.*, & *capellan. lib.* 2. *cap.* 7. *numer.* 17., *Piton. de controv. patron. allegat.* 49. *num.* 29., & *seq.* & *Rota coram Olivatio dict. decis.* 654. *numer.* 11., & *in Civitatis Castelli Capellaniæ* 10. *Martii* 1758. §.8. *coram Canilliac.* Attenta potissimum facultate illa moderandi, & variandi testamentum, de qua sub formali examine testatus fuit Parochus Forcina.

Altera ex parte insistunt Zeppii literæ testamenti, in quo de simplici loquitur legato pio per ea verba = *Per ragione di LEGATO PIO, ed in ogni altro modo migliore*; providamque urgent Missarum reductionem, quam testator fecit in codicillis, ut minus ejus consanguinei gravarentur, magisque propterea ex legato pio perciperent lucri. Omnia de cætero deesse contendunt ecclesiastici beneficii requisita, de quibus *Corrad. in prax. benefic. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 12.; nam si illud excipias perpetuitatis capellaniæ, deficit secundum eos alterum fundationis auctoritate episcopali,

ji : quod aliquid insuper capellania adnexum habeat spirituale, qualis non est simplex Missarum celebratio, ad tradita per *Rot. coram Danoz. jun. decis.* 101. *num.* 1. *tom.* 1.; quodque collatio fiat a persona ecclesiastica, & favore clerici, per *Text. in can. si quis deinceps* 16. *quæst.* 7., & *Rot. coram Ansaldo dec.* 38. *num.* 8. *in append.* Atque hinc concludunt, erectionem simplicis legati pii in beneficium ecclesiasticum fuisse omnino nullam, ex *Clementina quia contingit de religios. domib.*, & *sess.* 25. *cap.* 5. *Concilii Trident. de reformatione*, quas exornant *Corrad. in prax. benefic. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 145., & *cap.* 12. *num.* 33., & *Rot. post Piton. de controv. patron. alleg.* 33. *num.* 37.

Assertionem vero spernunt Parochi Forcim de concessa Archiepiscopo amplissima facultate moderandi, & reformandi testamentum, eo quod ad validam constituendam dispositionem juxta *Capit. cum esses*, non sufficit unius Parochi testimonium, sed duo etiam, vel tres requiruntur testes, qui in nostro themate cum Parocho Forcim non conveniunt, ut prænotatum est in facto. Hisque omnibus expensis, ad confirmandam nullitatem erectionis plura allegant Sac. hujus Congregationis decreta, & præsertim in *Marturanen. Erectionis canonicatuum* 25. *Januarii* 1733., in *Tridentina translationis onerum Missarum* 13. *Septembris ejusdem anni*, & *in Urbinaten. seu Ariminen. Capellaniæ* 3. *Februarii* 1753.

Quatenus autem Eminentissimi Patres ad primum ex infrascriptis *Dubiis* respondeant *negative*, deliberare dignentur secundo, utrum capellania, de qua agitur, simplex sit Missarum legatum, seu vera potius capellania; quo super dubio paucis collitigantes sese expediunt. Promotor siquidem Fiscalis ex rationibus deductis super *primo Dubio*, nedum veram sustinet, sed ecclesiasticam etiam capellaniam. Zeppii contra simplicis legati pii qualitatem iterum hic ex litera testamenti suadere contendunt. Ad *tertium* denique ponderandum rogat Procurator fiscalis, depositum fructuum capellaniæ a decessore Archiepiscopo pro dotandis consanguineis puellis demandatum, quoties in familia Zeppi non existant masculi, qui beneficium optent, utile quidem esse masculis, qui filias de proprio dotare deberent, nullius præjudicii aliis, qui beneficium non appetunt. At opponunt Zeppii testamen-

mentum, & codicillos, in quibus nihil de arbitraria legitur Archiepiscopi providentia pro dotatione fæminarum, neque eam facultatem tribui potuisse ajunt per assertionem unius Parochi Forcina.

Dubia sunt.

I. *An sustineatur erectio capellaniæ, de qua agitur, in titulum beneficii ecclesiastici in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An eadem capellania sit simplex legatum piam Missarum, seu potius vera capellania in casu &c.*

Et quatenus affirmativè ad primum Dubium.

III. *An sit locus deposito pro dotibus puellarum in casu &c.*

Ad I. Affirmative.
Ad II. Provisum in primo.
Ad III. Negative & amplius.

SANTANDRIEN. DUBIUM ORDINATIONIS. Hujus Causæ speciem, dubiumque de validitate ordinationis, ex ipso desumere liceat santandriensis Episcopi postulato, cujus hæc sunt verba = *Quidam Presbyter ipsum* [Episcopum] *consuluit de validitate suæ ordinationis, quia scilicet cum ordinaretur, tantum tetigit patenam calici superpositam, non tamen calicem ipsum; & quum utraque sit hujus materia, in dubium incidit, sit ne recte & valide ordinatus, an non? Probe novit Episcopus, calicem cum vino, & patenam cum hostia esse Presbyteratus ordinis materiam ex Instructione Eugenii IV., utramque quoque tangendam, ut habetur in Cæremoniali Episcoporum: veruntamen hoc non satis ipsi videtur, ut irrita declaretur ordinatio. Omissa Theologorum disputatione de essentia hujus ordinis, utrum scilicet in manuum impositione tantum, an etiam in contactu calicis, & patenæ consistat; & supposito, quod contactus calicis, & patenæ sit necessario requisitus, vide-*

Sess.23.cap.3. 7. & 14. de Reform.

detur, validam fuisse ordinationem. Licet enim contactus physicus [in Episcopo vera sententia] requiratur, non tamen contactus immediatus [vinum quippe, quamvis materia, non immediate tangitur] sed mediatus. Hoc igitur modo tetigit Presbyter prædictus calicem, cum physice tetigisset patenam ipsi superpositam, physiceque contiguam. Verum in re tanti momenti proprio judicio minime acquiescens Episcopus, EE. Vestras consulere decrevit, vehementerque rogat, ut ei indicare dignentur, quid in casu sentiant, utrum scilicet valida censenda sit, an iteranda, sin minus sub conditione?

Qui de tribus hierarchicis ordinibus scripserunt, tum veteres, cum recentiores Theologi, & Canonistæ, gravissimam agunt controversiam de essentiali Presbyteratus materia. Eam esse censent nonnulli instrumentorum traditionem, calicis nempe cum vino, & patenæ cum hostia superposita; ea potissimum ratione, quod per hujusmodi traditionem effectus exprimitur Presbyteratus, & collata demonstratur potestas sacerdotalis. Ita *Divus Thomas opusc.5. de Sacram. Eccles. tom.17.*, ibi = *Materia hujus Sacramenti est illud materiale, per cujus traditionem confertur ordo . . . quilibet ordo traditur per collationem illius rei, quæ præcipue pertinet ad ministerium illius ordinis* = & post antiquiores scholasticos *Sotus in 4. distinct.14. quæst.1. art.4.* Qua de re idem *S. Thomas in supplem. 3. part. quæst.37. art.5.* docuit, tunc Sacerdotem accipere characterem, cum ipsi ab Episcopo vasa cum vino, & hostia tangenda porriguntur = *quia principalis actus Sacerdotis est consecrare Corpus, & Sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur.*

Plures contra eruditi Viri arbitrantur, essentialem, & adæquatam Presbyteratus materiam in sola consistere manuum impositione; collationem vero instrumentorum ritum esse accessorium, & integrantem, ab Ecclesia additum ad majorem dumtaxat collatæ potestatis significationem. Duo autem sunt argumenta, quibus suam sententiam nedum probare, sed evidenter etiam demonstrare putant. Primum est, quod per annos saltem nongentos collati fuerint in universa Ecclesia hierarchici ordines per solam manuum impositionem, absque ullius instrumenti traditione, de qua nulla occurrit mentio in sacris Literis, SS. Patribus, antiquis Ritualibus,

& re-

& penes Amalarium Fortunatum, Rabanum Maurum, Walafridum Strabonem, qui de ritibus conferendi sacros ordines ex professo scripserunt.

Alterum desumunt argumentum ab Ecclesia Græca, quæ aliam in ordinationibus non adhibuit, nec modo adhibet materiam, præter impositionem manuum, ut legere est in Euchologio Græcorum, & testatur *Arkadius concord. lib.6. cap.2.*, quin umquam tamen Ecclesia Romana hujusmodi Græcorum ordinationes irritas habuerit, aut ullo pacto improbaverit. Non solum immo de illarum validitate dubitatum non fuit in Conciliis Lugdunensi, & Florentino, quibus cum Latinis interfuerunt Græci, sed nihil etiam dubitavit Clemens VIII., qui Russorum Episcopos, Presbyteros, & Diaconos ad catholicam admisit unitatem cum ordinibus, quibus secundum ritum Græcorum insigniti fuerant in schismate, ut tradunt *Natal. Alex. in Theolog. dogmat. & moral. lib. 2. de Sacram. ord. art. 2. §.2.*, *Morin. de Sac. ordinat. part. 3. exercitat. 7. cap. 1. num. 8.*, *Cabassut. in notit. ecclesiast. sæcul. IV. in append. ad can. Concil. IV. carthaginen.*, *Goar. in not. ad Euchologium Græcorum pag. 256. num. 11.*, *Juvenin. de Sacram. dissert 9. quæst. 3. cap. 2.*, *& quæst. 4. cap. 2. & 3.*, *Van-Espen. jur. eccles. univ. part. 2. tit. 9. cap. 1. num. 9.*, *& seq.*, *Marten. de antiq. Eccles. ritib. lib. 1. cap. 8. art. 9. num. 11. 16. & 18.*, *Tournelj de Sacram. ord. quæst. 3. conclus. 1. & 2.*, aliique recentiores, ducibus *Sancto Bonaventura in 4. distinct. 24. part. 2. art. 1. quæst. 4.*, *& Petro Soto lib. de instit. Sacerd. lect. 5.*

Alii denique utramque conciliantes opinionem censent, adæquatam Presbyteratus materiam, in Ecclesia saltem Latina, essentialiter ex utroque constare ritu, ex impositione scilicet manuum, & traditione instrumentorum. Idque præ cæteris probant ex decreto Eugenii IV. in generali Concilio Florentino anni 1439., in quo pro Armenorum instructione definivit §.15. = *Sextum Sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo; sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem* = atque ex *Pontificali Romano*, in quo sub *§.1. tit. 12. de ordinat. Presbyt.* mandatur, ut =*pro ordinatione Presbyterorum parentur oleum . . . calix cum vino, & aqua, patena, & hostia desuper posita*. Ad negativum vero illud argumentum antiquorum Cano-

O

norum, & Patrum, qui nullam de traditione instrumentorum fecerunt mentionem, respondent hujus sententiæ patroni, *Dominum Nostrum Jesum Christum* non determinasse in specie *atoma* materiam, & formam sacræ ordinationis, sed Ecclesiæ suæ facultatem dedisse eas statuendi, *Bellarm. de Sacram. ordin. cap.* 9. *lib. unic.*, *Hallier. de sacr. elect. & ordinat. part.* 2. *sect.* 2. *cap.* 2. *art.* 1, §. 10. & 14., *Vasq. in* 3. *part. disp.* 249. *cap.* 2. 3. & 4., *Estius in* 4. *dist.* 24. §. 24., *Vanroy de Sacram. ord. cap.* 3. *quæst.* 1., *Clericat. eod. tractat. dec.* 7., *Louren. jus can. lib.* 1. *tit.* 11. *de tempor. ordinat. quæst.* 489. *num.* 2., *Catalan. in comment. ad Pontific. Roman. tit.* 12. §. 1. *num.* 5.

Hanc vero potissimam afferunt rationem, cur manuum impositio, & instrumentorum traditio essentialis sit ordini Presbyteratus. Quum enim in ordinatione Sacerdotum duæ conferantur potestates, una conficiendi Eucharistiam, quæ dicitur potestas in Corpus Christi *verum*, altera absolvendi a peccatis, quæ dicitur potestas in Corpus Christi *misticum*, prima idcirco per traditionem confertur instrumentorum, secunda per impositionem manuum, veluti post *Scotum* observant *Catalan.*, & *Cleric. loc. cit.* Quæ autem ex tribus expensis opinionibus verior, aut probabilior, haud facili negotio decernendum censuit *Benedictus XIV. de Synod. diec. lib.* 8. *cap.* 10., easque propterea in suo robore reliquit; idemque Episcopis suo exemplo faciendum consuluit. Ex postrema tamen opinione, quæ communior est, ideoque veluti tutior in praxi tenenda, altera inter Doctores oritur quæstio, quæ præsentem respicit casum, super ejusmodi scilicet instrumentorum contactu.

Realem, & physicam materiæ, seu instrumentorum contactum in quolibet ordine, ac per consequens in Presbyteratu necessarium esse *necessitate præcepti ecclesiastici*, communissima est Canonistarum, & Theologorum sententia. Qui enim deliberatè illum omitteret, graviter contra præceptum, & morem Ecclesiæ universalis, ac rubricas Pontificalis Romani peccaret, ideoque Sacramentum acciperet dubium. An vero hujusmodi contactus realis, & physicus requiratur etiam *necessitate Sacramenti*, ad valorem nempe, atque essentiam ordinis, itaut sine illo nulla, & irrita sit ordinatio, non conveniunt *Doctores*.

Con-

Contactum moralem sufficere asserunt *Albertus Magnus num. 4. dist. 24. art. 34. ad 2.* , *Vasq. disp. 248. cap. 2. num. 6.* , *Laym. lib 5. tract. 9. cap. 5. num. 4.* , *Reiffenst. theolog. moral. dist. 12. tract. 14. quæst. 5. n. 68.* , *Sporer. tom. 3. part. 1. cap. 5. sect. 3. num. 35.* , *Pirhing in Jus. can. lib. 1. tit. 16. num. 2.* . Est immo qui nec moralem requiri ait ad valorem Sacramenti , eo quod ad verificationem formę necessarius est materiæ contactus . Ut enim quis vere , & proprie dicat = accipe hoc vel illud = necesse non est , quod ille , cui offertur, vel porrigatur , re ipsa accipiat , sed sufficit , ut ipsi offeratur , & porrigatur . Huic adhæret sententiæ Germanus canonista Ludovicus Engel in suo opere *jur. can. lib. 1. tit. 11. §. 1. de tempor. ordinat. & qualit. ordinand. num. 10.* , ubi proponens dubium nostro simillimum , hæc habet = *an recte ordinatus sit qui fortassim per incuriam , aut distractionem materiam ordinationis , verb. gr. calicem , aut librum realiter , & physice non attigit ? Quidam negant , eo quod verbum = accipe = prolatum ab Episcopo in traditione materiæ significat jussum capiendi , tangendi &c. Verum quamvis curandum sit , ut juxta ritum Ecclesiæ materia contingatur , si tamen contacta non fuerit, dummodò per Episcopum exhibita, probabilius videtur, quod docet Layman &c. , ordinem nihilominus recte esse collatum , quia nec ex divina , nec humana lege habetur, contactum physicum ad substantiam ordinis requiri . Illud verbum = accipe = potest , & debet intelligi in sensu juris de acceptione potestatis ministrandi . Ita in simili traditio dominij , quod venditor habuit in domo vendita , potest fieri ostensa solum domo , & data licentia capiendi possessionem , Leg. clavibus 74. ff. de contrahen. empt.*

Aliter docet Angelicus Doctor *in 4. distinct. 24. quæst. 1. art. 1. quæst. 5. ad. 3.* , in hæc verba = *quia potestas ordinis non accipitur à materia , sed à ministro principaliter , ideo porrectio materiæ magis est de essentia Sacramenti , quam tactus ; tamen ipsa verba formæ videntur ostendere , quod tactus materiæ sit de essentia Sacramenti , quia dicitur = accipe hoc , vel illud* . Ejusque sententiæ adhærent *Maustrius theolog. mor. disput. 19. de Sacram. ordin. artic. 2. num. 26.* , *Cajetanus tom. 1. opusc. tract. 26.* ; *Divus Antoninus 3. part. verb. ordin. num. 2. 4. & 5.* , *Pondas tom. 2. verb. ord. cas. 13. 14. & 15.* , *Barbos. de offic ; & potest. Episc. part. 2. alleg. 11.* ,

Schmalzgrueber. part. 3. tit. 11. de tempor. ordinat. §. 1. 2. 7., *Hallier. loc.* §. 20. *num.* 63., *Concit. de Sacrament. ord. disputat.* 3. *num.* 27., *Bonacin. de Sacrament. ord. disp.* 8. *quæst. unic. punct.* 3. *propos.* 2. *num.* 11., qui omnes tuentur, non sufficere ad valorem ordinis contactum moralem, sed requiri omnino physicum; quum juxta communem, & germanam significationem verbi = accipe = requiritur, ut is, qui dicitur accipere, rem saltem tangat oblatam: quod enim non apprehenditur, aut tangitur, non accipitur; ut in Baptismate, & Confirmatione, in quibus non recipitur Sacramentum, si materia a suscipiente realiter, & physice non tangitur. Idque confirmat Pontificale romanum, quod *in rubrica de Episc. consecr.* sic habet = *moneat ordinandos, ut imsrumenta, in quibus character imprimitur, tangant.*

Observant autem novissimi *Doctores*, quod licet physicus, & realis instrumentorum contactus ad valorem ordinis requiratur, haud tamen cujusque materiæ immediatus exigitur ad essentiam Sacramenti, sed sufficit mediatus. Ad Sacerdotium enim initiandi non tangunt immediate vinum, quod tamen essentialis est materia Sacramenti, sed illud mediate tangunt per contactum calicis, in quem infusum est, valideque ordinem accipiunt. Sic pariter, si quis Evangeliorum librum, vel calicem tangit manu chirothecis, strophiolo, vel aliis indumentis obvoluta, validum sane per mediatum hujusmodi contactum accipit ordinem, quia vere, & proprie dicitur tangere, qui manu ita obvoluta tangit. *Ferrar. in bibliothec. verb. ordo art.* 1. *n.*57., *Card. de Lugo resp. moral. lib.* 1. *dub.* 1. *num.* 8., *La Croix lib.* 6. *part.*2, *num.* 2155., *Gobat. tom.* 1. *tract.*8. *num.* 62.

Num vero hujusmodi contactus mediatus verificetur in eo, qui patenam dumtaxat, non calicem tangit, aliud est dubium. Santandriensis porro Episcopus validam censet per talem contactum sui Presbyteri ordinationem; nam = *hoc modo tetigit Presbyter prædictus calicem, cum physice tetigisset patenam ipsi superpositam, physiceque contiguam*. Hæc autem Episcopi opinio nullam fortasse admitteret difficultatem, si Presbyter ille unum tetigisset calicem = *sufficit namque ad Sacramenti valorem, quod hic calicem, super quem erat patena continens hostiam, immediate, & secundum se tetigerit, sicut & ipsam hostiam in patena positam; quia tunc*

unum

unum idemque majus instrumentum vere , & realiter tangitur , nimirum calix ; alterum autem , scilicet patena, etiam tangi censetur , eo ipso , quo tangitur tum calix, cui est superposita , cum hostia , quæ est super eam. Nec verisimile est , alium patenæ contactum esse de essentia , quum patena non sit instrumentum necessarium ad consecrationem hostiæ , sicut calix necessarius est ad consacrationem vini ; ut per hæc verba disserit *Franciscus Silvius tom.* 5. *oper. tract. variar. resolut. verb. Presbyter*, cui adstipulatur *Dominicus Soto in* 4. *distinct.* 24. *quæst.* 1. *art.* 2. . Immo vere ordinatus fuisset , si neque patenam , neque hostiam , sed solum calicem tetigisset , secundum *Ledesma cap.*3. *de ord.* , *Laym.lib.*5. *tract.* 9. *cap.* 5. *num.* 3; , *Vasqu. disput.* 246. *cap.* 2. , *Coninck. disput.* 20. *de ord. dub.* 7. *num.* 71. , *Filliuc. cap.* 2. *de ord. num.* 4; *Hallier. de sacr. elect.* , & *ordinat. part.* 2. *sect.* 2. *cap.* 2. *art.* 1. *num.* 54. . Moraliter enim calix , & patena faciunt quid unum .

Verum difficilior est casus , in quo versamur , non tacti calicis , sed patenæ . Quum hæc namque minor sit & accessoria illius pars , certo propterea dici nequit , per tactum unius , tactum videri & alterum ; ac per consequens ob calicem immediate non tactum , alterum in tactu instrumentorum defecisse censetur essentiale ordinationis requisitum , ita ut iterari debeat ordo sub conditione , ut censet *Roncaglia tract.* 20. *de Sacram. ord.* , iis verbis = *Si quis in sua ordinatione non tetigerit calicem , unaque patenam , in qua sit hostia ; quum dubium sit , an valide collatus fuerit Presbyteratus , eo quia non intervenerit omnis contactus physicus , quia sententia tutiore in ordinatione Presbisteri desideratur , esset hujusmodi ordo sub conditione iterandus ad vitanda pericula , & mala , quæ sequerentur , si non esset valide ordinatus* = *La Croix lib.* 6. *theolog. moral. part.*2. *cap.*2. *num.* 2. , *Silvius tom.* 5. *oper. tract. variar. resolut verb. ordo* . Eamque gravissimam adducit rationem *Card. de Lugo resp. moral. lib.* 1. *dub.* 33. *num.*2. , quod scilicet = *in Baptismo , Sacerdotio , & Episcopatu non licet amplecti opiniones probabiles circa valorem Sacramenti , propter maximam necessitatem valoris certi in his Sacramentis ; sed amplectendæ sunt opiniones magis tutæ , etiamsi sint minus probabiles , ob maxima inconvenientia , & damna , quæ ex invaliditate horum Sacramento-*

to-

torum sequerentur , quoties grave , & prudens dubium est de valore Sacramenti , seu quoties probabilis sententia dicit , non fuisse validum . Potissimum quia *Innocentius XI.* die 2. Martii 1679. inter alias damnavit propositionem *in ordine la* 1. , quæ ita erat concepta = *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore , nisi id vetet lex , conventio , aut periculum gravioris damni incurrendi* .

Neque iterari tantum debere videretur traditio , & contactus instrumentorum , per quam potestas confertur conficiendi Eucharistiam , sed manuum quoque impositio , per quam altera tribuitur potestas absolvendi a peccatis , quia hæc pendet ab illa , ut prosequitur *Silvius eod. tract. verb. ordo* , ibi = *Quum autem disputetur a Scholasticis , an impositio manuum , quæ fit post porrectionem calicis , sit necessaria , & essentialis , qualem esse nobis omnino videtur post examinatum Concilium Tridentinum sess.2. cap.3. , & can.4. , & sess.14. cap.14. de extrem.unct. ; consequenter existimandum est, quod hæc potestas , quæ datur per impositionem manuum , sit etiam repetenda sub conditione; quia si prior non fuit valide collata , nec posterior , quæ pendet a prima* . Quamquam Gregorius XI. *in cap. Presbyter* 3. *de Sacram. non iteran.* aliter decrevit = *quod si omissum fuerit , non est aliquatenus iterandum , sed statuto tempore ad huiusmodi ordines conferendos caute supplendum , quod per errorem extitit prætermissum* = idemque statuit Innocentius III. *in Cap. pastoralis* 1. *eod. tit.*

Si recte tamen intelligantur verba Gregorianæ Decretalis, cui consonat Innocentiana , non excludit iterationem totius ordinationis ; nam ibi secundum Canonistas accepit Gregorius IX. verbum illud *itero* in propria significatione , quatenus idem sonat , ac iterum specie conferre Sacramentum semel collatum . Porro = *non intelligitur iteratum , quod ambigitur esse factum* , juxta *cap. venies* 1. *de Presbyt. non baptizat.* , *cap. solemnitates* 16. *de consecrat. dist.*5. , & *cap. si nulla* 113. *eod.tit. dist.* 4. Additque Glossa *in cit cap. pastoralis de Sacram. non iteran. verb. permitti*, quod non dicitur actum, cum aliquid superest agendum , etiam si dubitetur esse de substantia ; quia = *generaliter quotiescumque dubitatur , an aliquid , quod omissum est de substantia ordinis , &* ta-

tamen expressum est in jure, ut fieri debeat, æstimari debet de substantia, & tota ordinatio est repetenda = & consonat *cap. unic. de Cleric. per salt. prom.*, & *cap. de quibus 2. de Baptismo, Fagnan. in cap. cum venisset 1. de Sacr. unct. num. 54.*, *Innocentius in cap. Presbyteri de Sacram. non iteran.*, *S. Antoninus in summa part. 3. de ordinan. §. quinta*.

His omnibus accedit praxis Sacræ hujus Congregationis, quæ in similibus casibus decrevit, totam ordinationem sub conditione iterandam esse ad cautelam, ac præ cæteris *in Dubio ordinationis* 11. *Februarij* 1708. *lib.* 58. *Decretor.*, cum Cappuccinus quidam ordinatus fuisset per porrectionem patenæ sine hostia, ut refert *Girard. in Exposit. jur. Pontific. part. 1. sect. 94. ad cap. Presbyter de Sacram. non iteran.*. Idemque in altero censuit casu, quo initiandus Sacerdotio, ad alia distractus, non accessit ad Episcopum porrigentem patenam cum hostia, & calicem cum vino, ut refert *Benedictus XIV. de Synod. Diœc. lib. 8. cap. 10. num. 13.*

Vestræ igitur proponitur deliberationi,

An constet de nullitate ordinationis, ita ut sit iteranda, & quomodo in casu &c.

Scribatur Episcopo juxta mentem.

LEODIEN. MATRIMONII. Defuncta Maria Theresia Lixson-Noppius, fidem nubendi dedit superstes ejus vir Dionysius Collard privignæ Agneti Noppius, quam in primis nuptiis ex Joanne Baptista Noppius obita uxor susceperat, eamque carnaliter etiam novit. Orta hinc suspicione probabilis illius graviditatis, publicisque inter vicinos obmurmurationibus, Vicario generali Leodiensi, absente Episcopo, supplicavit Parochus Dionysii pro dispensatione super impedimento primi gradus affinitatis lineæ rectæ, ut eum cum privigna in matrimonium jungeret, *salva auctoritate Sedis Apostolicæ, ad quam* (ob Gallorum incursionem in Leodiensem Civitatem) *omnis præcludebatur accessus, nec prævidebatur ullum citius patere*; precibusque Vicarius ge-

Sess. 14. cap. 1. de Reform. matrimon.

generali: annuit *attentis circumstantiis valde urgentibus, & rationibus in libello deductis, imposita Oratoribus salutari pœnitentia*. Inito igitur vigore hujusce dispensationis inter Dionysium, & Agnetem in faciem Ecclesiæ matrimonio, proleque suscepta, moniti tandem fuerunt conjuges de illius nullitate, ac supplices propterea Pontificium adierunt Solium pro ejusdem matrimonii convalidatione, & quatenus opus, pro Apostolica dispensatione, retulitque Vicarius ipse Generalis ad Sanctissimum, se dispensationem concessisse *ad evitandam præsertim prævaricationem. ad consulendum eorum saluti, & ne alii pravum haberent exemplum matrimonii nulliter contrahendi; sed firmo animo implorandi a Sanctitate vestra relatæ dispensationis confirmationem, absolutionemque*; atque insuper monuit, *quod nisi dispensationis gratia eis concederetur, damnabilem incestuosam vitam agere continuarent, non sine summa infamia, gravissimis scandalis, evidentique salutis periculo; quocirca observandum esset, quod in casu denegationis valde pertimescendum foret, ne desperatione abrepti, coram municipalibus Officialis matrimonium contraherent*.

Precibus autem ad Sacram istam Congregationem remissis, eas EE. Vestræ ablegarunt Episcopo *pro informatione, & voto, auditis; & referat de tempore contracti matrimonii, de impotentia recurrendi ad S. Sedem*, & *de bona fide Oratoris*; & *interim mandet separari assertos Conjuges usque ad exitum Causæ, transmissa copia dispensationis*; atque præfatus Vicarius Generalis, absente adhuc Episcopo, rescripsit = *Preces pro parte Dionysii Collard, & Agnetis Lambertinæ Noppius sibi porrectas, in supplice libello hic adnexo contentas, una cum subinsertis dispensationum, nec non matrimonialibus literis veritate omnino inniti: pro tunc realem, ac absolutam recurrendi ad S. Sedem existere impotentiam: præfatos Oratores, Sacræ Apostolico-Romanæ Religionis vere cultores, in bona fide versatos esse, benevolentiaque S. Sedis revera dignos propter eorum summam S. R. E. submissionem; ac interim illos separari non prætermisissse usque ad exitum Causæ, quem felicissimum avidissime appetens* (idem Vicarius Generalis) *ex eo potissimum quod ex predicto matrimonio juxta Sacræ Rom. Ecclesiæ ritus celebrato, ac omnibus noto, jam nata sit proles, cujus legitimationi, nec non oratorum* su-

saluti prorsus consulendum videtur, Sac Congregationem enixissimè deprecatur, ut præmissa attendere, ac ideo dispensationem confirmare, seu quatenus opus ex integro benignè concedere dignetur.

Præ omnibus quippe quærendum est, quo ex jure interdictum sit matrimonium inter coniunctos in primo affinitatis gradu lineæ rectę, quales sunt vitricus Dionysius Collard. & privigna Agnes Noppius. Quamplures gravissimi *Auctores* asserunt, prohibitum esse hujusmodi matrimonium a jure naturæ, eodemque propterea jure irritum, si contrahatur, denegando Ecclesiæ dispensandi potestatem. *Ita Bellarmin., Gotti, aliique apud Rigant. ad regul. 49. Cancell. num.* 18. *tom.* 4. Aliter vero communiter sentiunt Theologi, & Canonistæ, atque impediri censeat tale matrimonium jure dumtaxat ecclesiastico, itaut super eo dispensari valeat ab Ecclesia; atque his nituntur rationibus. Primo, quia non sunt interdicta hujusmodi matrimonia apud omnes Gentes. Secundo, quia non opponuntur primario, aut secundario eorum fini, neque in iis violatur naturalis ordo superioritatis, qui non est inter affines, sed consanguineos. Tertio demum, quia permisit aliquando Ecclesia, ut in simili matrimonio fideles permanerent, veluti desumitur ex *Concilio Aureliano* 3. *ann.* 538. Quas, aliasque rationes late expendunt *Gonzal. in lib.* 4. *Decretal. tit.* 14. *in comment. ad cap.* 1. *n.* 9., *de Justis de dispensat. lib.* 2. *cap.* 7 *num.* 48., *& seqq.*, *Sanchez de matrim lib.* 7. *disp.* 66., *Rigant. ad dict. regul. Cancell.* 49. *num.* 20. *tom.* 4., *& Congregatio Sac Inquisitionis habita coram Benedicto XIV. die* 14. *Februarii* 1727., ut refert *Rigant. loc. cit.*

Posita autem in Ecclesia dispensandi potestate, quærendum adhuc, num a Summo tantum Pontifice, vel etiam aliquando saltem ab Episcopis dispensari valeat super eodem impedimento primi gradus affinitatis lineæ rectæ. Potestatem certe non habent Episcopi dispensandi super impedimentis matrimonium dirimentibus, ubi res sit de matrimonio contrahendo. At æque exploratum non est, num extraordinaria saltem potestate, ac præsumpto Summi Pontificis consensu dispensare valeant super matrimonio contrahendo, quando id exigant urgentissimæ causæ, nec facilis pateat recursus ad Sanctam Sedem. Et in hac etiam quæstione *Doctores* in varia trahuntur. Nonnulli enim

adeo Episcopis illimitatam tribuunt extraordinariam dispensandi potestatem, ut eos ex gravissimis causis, dificilique accessu ad Summum Pontificem dispensare posse censeant super quocumque ecclesiastico impedimento, cujuscumque generis sit, sive occultum, sive publicum, pro contrahendo etiam matrimonio. Quandoquidem pia Mater Ecclesia hujusmodi impedimenta, & reservationes non ad destructionem, sed ad ædificationem induxit, neque vult ea subsistere, ubi damnum, præjudicium, scandalum, periculum pariant Animarum. Quum aliquando siquidem per dilationem matrimonii gravia oriantur mala, donec dispensatio a Summo Pontifice obtineatur, credibile namque præfatis *Doctoribus* non videtur, Ecclesiam in his circumstantiis suarum legum observantiam a Fidelibus exigere. Et ita præ cæteris sentiunt *Pont. de matrim. lib.8. cap.13. num.6.*, *Pignatel. consult. can. 33. n.7. tom. 3.*, *aliique apud Ferrar. verb. impedim. matrim. art.3. num.7. & seq.*

Alii vero licet extraordinariam quamdam in Episcopis admittant potestatem dispensandi super impedimentis matrimonii etiam contrahendi, eam tamen ad impedimenta restringunt occulta, ac denegant in publicis, etiamsi gravissimæ urgeant causæ, & facilis non sit ad Romanum Pontificem accessus. Extraordinaria namque Episcoporum potestas haud se extendit *ad dispensandum contra præcipuas, gravesque Ecclesiæ sanctiones*, ut inquit *Barbos. de offic., & potest. Episc. part.2. pag.171. num. 74.*; ideoque se extendere nequit ad dispensandum super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus, quæ ad præcipuas, gravesque Ecclesiæ sanctiones pertinent, ut observant *de Just. de dispensat. lib.2. cap.2. num.149. & seq.*, *Pichler. in jus can. lib.4. tit.16. num. 33.*, *& Rigant. ad cit. regul. Cancel. 49. num.2., & seq. tom.4.*, qui ad rem affert Sacræ hujus Congregationis resolutionem *in Siracusana*; nam proposito de mandato Sanctissimi dubio = *An Episcopus in casu urgentissimæ necessitatis possit ante contractum matrimonium ex impedimento publico dispensare* = prodiit die 13. Martii 1660. rescriptum = *negative* = Hoc immo articulo per Sacram ipsam Congregationem proposito Congregationi Sacræ Inquisitionis, hæc declaravit = *propositio asserens, Episcopum posse dispensare in publico impedimento matrimonium di-*

ri-

rimente consanguinitatis pro matrimonio contrahendo, sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint expectare dispensationem Sedis Apostolicæ, est falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, & seditiosa = Quam declarationem confirmavit deinde Sacra hæc Congregatio die 19. Januarii 1661. per decretum = *mox exscriptam propositionem esse falsam, & temerariam*.

Si ex defectu igitur potestatis neque Leodiensis Episcopus dispensare potuisset super matrimonio, de quo agitur, ob publicum impedimentum affinitatis in primo gradu lineæ rectæ, multo minus id potuit ejus Vicarius Generalis; qui speciale de cætero habere debuisset mandatum Episcopi, de quo non constat, *Pellegr. de Vicar. part.1. sect.3. subsect.2. num.* 49. Maxime quia potissimæ dispensandi causæ per Vicarium adductæ non subsistunt, & vera in ejus informatione reticetur. Haud porro subsistit, quod privignæ *impregnatio SEQUUTA fuit*; nam eidem Vicario exposuit illius Parochus in supplici libello, quod *imprægnatio profecto est SEQUUTURA*. Neque subsistere videtur, quod dispensationis tempore difficilis esset accessus ad Sanctam Sedem; dum liberum erat commercium epistolarum, per quas peti potuisset dispensatio. Vera autem, vel principalis causa per Vicarium reticita, temporalis omnino fuit; ut vitricus nempe, & privigna indivisum servarent commune negotium, quo dissoluto, uni alterum deserenti *pars mercium, ædium, totiusque commercii competebat, gravissimumque utrique, opera manuum suarum, & industria tantum viventi, inferebatur damnum*; ut dixit Parochus in libello.

Posita autem contracti matrimonii nullitate, ponderandum denique, utrum ex præsumpta in eodem dispensante facultate, bona contrahentium fide, ac servata in omnibus *Sacri Concilii Tridentini* forma jam contractum matrimonium consistere valeat. In his porro terminis valida, ac firma habenda esse contracta matrimonia, *nec illa egere novo consensu novaque dispensatione, sed confirmatione solum Apostolica*, scribit *Pignatel. consult.* 83. *num.*15. *tom.* 3.= *Nam gesta publici officii auctoritate a Prælato, sive Ordinario, sive Delegato, qui communi æstimatione auctoritatem credebatur habere* = regulariter valida esse docet *Fagnan. in*

lib.5. *Decretal. de crim. fal*. [illegible] .2. *num*.4. [illegible] lo-cum etiam habere affirmat in spiritualibus [illegible] jus non repugnat Divinum. Juxta hanc par[illegible] sen-tiam viribus consistere videretur matrimonium C[illegible]o-rum, jam ex dispensatione Ordinarii contractum, quemadmodum sentit *Pont. de matrim.*, qui *lib*. 7. *cap*.54. *num*.6. ad rem firmat, eos qui ex ignorantia legum ecclesiasticarum matrimonium contraxerint cum impedimento primi gradus affinitatis lineæ rectæ, non esse separandos.

Advertant contra Emi Patres, quod error, ignorantia, bona fides jurisdictionem, & potestatem non conferunt non habenti, nisi in eo saltem titulus concurrat coloratus, & error communis in Populo. Nullum autem Episcopus, multoque minus ejus Vicarius, coloratum habet titulum ad concedendas matrimoniales dispensationes, ac semper idcirco attentare videntur ex defectu jurisdictionis, & potestatis. Quodque magis est, etsi aliquando Episcopi hujusmodi dispensationes ex colorato titulo concesserint; matrimonia tamen carum vi bona fide contracta judicata fuerunt nulla. Quidam sane Regularis in Hispania multasApostolicas dispensationum Literas decem per annos confinxit, easque exequuti fuerunt Ordinarii. At re cognita, quum Rex Catholicus Summum Pontificem rogasset, ut committeret Episcopo Oxonensi confirmationem matrimoniorum, quæ jam bona contracta fuerant fide, data fuit commissio Hispaniarum Nuntio, ut dispensaret cum iis, qui bona fide contraxerant, ut iterum contrahere valerent; licet ex falsis Literis Apostolicis coloratum Episcopi habuissent titulum. Idemque evenit de matrimoniis bona fide contractis ex dispensationibus super impedimentis dirimentibus pro Belgio concessis a Cardinali Legato Germaniæ, licet eo ductus fuisset communi tunc errore, quod comprehenderetur Belgium in Germania, & ad illud extenderentur facultates Apostolicæ pro Germania concessæ.

Nulla igitur sunt, & irrita, ait *Rigant. ad regul*.49. *Cancel. num*. 2. *tom*. 4., *matrimonia inter consanguineos, & affines contracta cum dispensatione ab Episcopis impertita, nec Sedes Apostolica matrimonia præfata revalidat, permittendo. quod in iis contrahentes remanere possint; sed mandat, de novo contrahi servata forma Concilii Tridentini; solumque ubi multitudo fuit in causa*,

sa ; quia nempe bona fide fuerunt nulliter matrimonia contracta inter consanguineos , & affines , prævius dispensationibus Episcoporum , aut Missionariorum dispensandi facultate carentium , vidi illa in radice revalidata sine novo consensu ad evitandam stragem tot matrimoniorum , & ne conscientiæ inquietentur , ut in casu Avenionen. de anno 1693. Et modernis hisce temporibus Sedes Apostolica nec expresse dicta matrimonia revalidat , sed rescribere solet , non esse inquietandos existentes in bona fide . Quum ergo neque in nostro themate de multitudine agatur talium matrimoniorum, & bona contrahentium fides intercisa fuerit ob superventum dubium de validitate eorum matrimonii ; hinc juxta allata Hispaniarum , & Belgii exempla , & sententiam Rigantii , aliter matrimonium , de quo agitur, consistere non posse videretur, quam ex Apostolica dispensatione .

Obstat sane hujusmodi dispensationi in primo gradu affinitatis lineę rectæ , quod centies a Summo Pontifice implorata , toties ab Ipso , de voto etiam Sacræ Inquisitionis fuit denegata ; licet a magnis Principibus petita , & copula inter affines intercessisset . Varia hujus generis exempla adducit *Rigant. ad cit. regul. Cancel.* 49. *num.* 23. , *& seqq. tom.* 4. . pluresque *num.* 27. enumerat *Doctores* , qui testantur , numquam ad illorum tempora similes dispensationes concessas fuisse. Ponderandum contra , quod agitur in nostro themate de matrimonio jam bona fide in faciem Ecclesiæ contracto , ex quo nata quoque est proles ; quodque ex illius dissolutione maxima orirentur scandala , & mala ; conjugum scilicet infamia , spuria proles , damnum mulieris , quæ perpetuo maneret innupta , ac periculum denique subversionis utriusque conjugis , qui a catholica deficere possent Religione,suique matrimonii confirmationem ab acatholicis Ministris cum æterno propriæ salutis dispendio obtinere , ut in simili casu novissimis hisce temporibus evenisse narrat Vicarius Generalis Leodiensis . Prompta accedit Oratorum obedientia ; dum nulla interposita mora mandatis Sacræ hujus Congregationis paruerunt , & ad injunctam devenerunt separationem .

Licet autem denegatæ fuerint similes dispensationes, ut notatum est supra , haud omnino tamen contraria desunt exempla , eaque præsertim de Juditha Caroli Calvi

vi Francorum Regis filia nupta privigno, & de sorore Theodoberti, nupta item privigno Varnorum Principi, de quibus idem *Rigant. loc. cit. num.* 21., & *Petav. tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 7. *pag.* 493. *in fin.* Hæc sane exempla duriora videntur, quum inverso reverentiæ ordine nupserint novercæ, quæ personam gerunt matris, privignis, qui locum tenent filiorum, eisque subditæ evaserint, quod non eveniret in subjecto casu, in quo privigna per matrimonium subiiceretur vitrico, cui jam naturali ordine subest. Quod ea autem matrimonia contracta fuerint ex dispensatione Ecclesiæ, non obscure innuit *Rigantius*. Illorum namque refert exempla ad confirmandam veriorem sententiam, quod matrimonia in primo affinitatis gradu lineæ rectæ prohibita non sint jure naturali, sed ecclesiastico, ut *ibid. num.*20. 21. & 22.

Illudque postremo addendum, quod res non est de matrimonio contrahendo, sed de matrimonio bona fide contracto. Hujusmodi siquidem matrimonia *sua dispensatione rata habet Ecclesia*, teste *Natal. Alex. ad sæc.* 6. *cap.* 5. *art.* 15. §. *canon decimus*; reque ipsa *Concilium Aurelianen.* 3. *anni* 538. *can.* 10. sic statuit: *de incestis conjunctionibus ita quæ sunt serventur, ut hi, qui aut modo ad Baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali prædicatione antea in notitiam non venerunt, ita novitate conversionis, ac fidei suæ credidimus consulendum, ut contracta huc usque hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum quod de incestis conjunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum est, observetur; idest, ut ne quis sibi sociare sub conjugii nomine præsumat relictam patris, filiam uxoris &c.*

Quatenus vero EE. Vestræ concedendam censeant dispensationem, deliberare etiam dignentur de modo; num ita scilicet concedi debeant, ut imposita iterum Oratoribus salutari pœnitentia, renovent ipsi in faciem Ecclesiæ consensum. Sic profecto suadere videretur nullitas contracti matrimonii, juxta sententiam *Van-Espen. jus eccles. part.* 11. *tit:* 14. *cap.* 5. *num.* 9. *de dispens. matrim.*, & *Corrad. in prax. dispensat. lib.*7. *cap.*7. *num.* 9.

Decernere itaque dignentur Eminentissimi Patres

An sit consulendum Sanctissimo pro convalidatione matri-

trimonii contracti inter Dionisium **Collard** , *& Agnetem Noppius , in casu &c.*

Et quatenus negative .

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super impedimento primi gradus affinitatis lineæ rectæ in casu &c.*

Ad I. Negative , & ad mentem .
Ad II. Negative ,

SPOLETANA EMPHYTEUSIS . In Ecclesia S. Margaritæ villæ Maltignani districtus Cassiæ simplex est beneficium sub titulo S. Angeli in Macerillo . Ejus fundus in tribus consistit prędiolis sub vocabulis *Pranzalana* , *le Prata* , & in canone mensurarum aliquot frumenti , quem præstant Moniales SS. Margaritæ , & Antonii Cassiœ . Prędiola , secundum peritos , annua reddere possent scuta 17. 25. , canon in scutis æstimatur 3. 93. ; sed utraque ex decenni calculo locata initio fuerunt pro scutis 10. , deindeque ab hæc tempora 12. , atque unum ipsis onus est obolorum 16. pro collectis cameralibus . Ut ex meliori igitur cultura tenuem hunc augeret reditum , EE. Vestris supplicavit Sacerdos Julius Nuvoletti , hodiernus beneficii possessor , pro facultate concedendi bona illa in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam sub conditione , *che l' enfiteuta debba soccombere a tutte le spese necessarie* ; & hactenus exposita ad præscriptum referens spoletinus Episcopus , duos Edicta ad emphyteusim excitasse ait Carolum Antonium nempe Palazzoli , & Hieronymum E.coli , quorum alter obtulit scuta 14. , alter 15. Testatus insuper fuit de illorum idoneitate , & in hæc conclusit verba : *Quare perspecta majori beneficii bonorum cultura , & augmento canonis, sive fructus, arbitror , enuntiatam emphyteusim expedire .* *Sess. 25. cap. 11 de Reform.*

Quum

Quum una autem, & altera oblatio præsentem quidem excederent prædiorum, & canonis locationem, sed inferiores essent reditu per peritos liquidato, demandata idcirco fuit die 10. Maii 1794. nova Edictorum affixio super oblatione Ercoli; qua ineunte Junio expleta, priores iterum adstiterunt oblatores, obtulitque Palazzolius scuta 10. 25., excluso canone, scuta 15. 25., eo comprehenso; Herculius vero scuta 10. 50. in primo casu, 15. 50. in secundo; ut retulit Episcopus in altera informatione. Hinc die 21. ejusdem Junii EE. Vestræ rescripserunt = *Pro facultate arbitrio, & conscientiæ Episcopi favore Hieronymi Ercoli pro annuo canone scutorum 15. 50.; salvo jure vigesimæ, & sexte per Breve*. Qua de re die 20. sequentis Julii obtulit Palazzolius vigesimam, quæ tamen die 25. superata fuit ab altera Herculii; nam hic obtulit *sopra la detta vigesima sino alla somma di scudi 17.*; cum protestatione tamen, quod oblatio Palazzolii, utpote data extra tempus, non esset admittenda.

Quoniam vero manebat adhuc negotium absque conclusione, tertio, & quarto ad instantiam Beneficiati requisitus Episcopus *de resultantibus ex rescripto 21. Junii 1794., & utrum Edicta affixa fuerint ad tramites primi supplicis libelli pro expensa necessaria pro Beneplacito Apostolico obtinendo*, nunquam ob defectum Literarum Apostolicarum exequutum fuisse dixit rescriptum; amplius de cætero oblatores accipere nolle emphyteusim ob non expressum in eo canonem Monialium, & vigesimas reprobare, utpote oblatas extra legitimum terminum dierum viginti; nullamque postremo in Edictis, & oblationibus factam fuisse mentionem expensarum Beneplaciti Apostolici; ideoque oblatores illarum onus subire nolle. Post hæc tandem præfixus fuit oblatoribus terminus unius mensis ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione, & modo in eorum contumaciam infrascripta proponuntur Dubia.

Ne juxta primum exequatur rescriptum 21. Junii 1794., opponit præsertim Herculius, expresse in eo comprehensam non fuisse præstationem Monialium, cujus intuitu canonem obtulit scutorum 15. 50.; nam absque ea minor erat oblatio scutorum 10. 50. At notare dignen-

gentur Eminentissimi Patres, facultatem deliberandi emphyteusim pro canone scutorum 15. 50. omne id comprehendere, quod sub eodem canone Herculius comprehendi voluit, & sic præstationem etiam Monialium. Quibus in terminis teneri videretur ad executionem contractus, & oblationem servare quam semel dedit. Ipsa enim die editi rescripti perfecta dici valet deliberatio, a qua amplius propterea recedere non licet, ut dixit *Rot. post de Vecch. ad mater. Bon. Regim. decis. 64. num.* 23.

Quæri insuper posset, num pro solo canone scutorum 15. 50., de quo loquitur rescriptum, vel pro auctione etiam vigesimæ, seu scutis 17. decernenda esset illius executio. Secundum apices porro juris nulla habenda esset ratio vigesimę, quæ comprehensa non est in rescripto, de cujus executione agitur, & legitime ante expeditionem, atque executionem Literarum Apostolicarum offerri non potuit, secundum *Petr. ad Constit. Apost tom.* 1. *pag.* 85. *sub num.* 42., *Rot. in Romana Afflictus* 12. *Februarii* 1751. §. 4. *coram Matthæjo*. Hoc tamen procedit forsan favore diliberatarii, ut præmaturam excludat alterius vigesimam, non item propriam, utpote illa ipsius Herculii in scutis 17.; nam quilibet renunciare valet juri suo, *Polit. de dot. quæst.* 13. *num.* 11. *tom.* 3., *& de miscell. dissert.* 11. *num.* 11. *tom.* 5.

Quoad expensas, de quibus in secundo Dubio; ad eas teneri non videretur Beneficiatus, dum in primo supplici libello protestatus fuit, *che l' enfiteuta debba soccombere a tutte le spese necessarie*, idque in edictis exprimi debuisset: neque ad eas tenetur deliberatarius; nam in Edictis, & oblationibus, quæ informant contractum, nulla facta fuit illarum mentio. Res ergo remanet sub dispositione Juris, ex qua fieri debent expensæ pro ratione utilitatis, & commodi, *Bellett. disquisit. cleric. de Cleric. debit.* §. 3. *num.* 40., *& seq.*, *Antonell. de jur. & oner. Cleric. lib.* 2. *part.* 6. *cap.* 11. *tom.* 2., & per consequens in nostro themate a Beneficiato, & deliberatario pro virili; dum utilis est emphyteusis Beneficiato ob meliorem conditionem beneficii, æque utilis deliberatario ob lucrum, quod afferre solet.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

I. *An, & quomodo sit exequendum rescriptum diei 21. Junii 1794. in casu &c.*

II. *An, & cujus sumptibus sint expediendæ Literæ Apostolicæ in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

Sess.24. cap.6. & 16. de Reform.

S. SEVERINÆ. Vicarius Capitularis S. Severinæ in Calabria ab EE. Vestris postulat, num absolvere valeat a casibus Episcopo permissis a *Tridentina Synodo cap. 6. sess. 24. de reformat.*, in hæc verba: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.*

Nec integra profecto dici valet Episcopo conciliaris hæc facultas; nam ob posteriores Summorum Pontificum Constitutiones absolvere amplius nequit hæreticum in foro conscientiæ, & a casibus reservatis in Bulla *Coenæ*, ut ab hac Sacra Congregatione definitum refert *Gallemart. in dict. cap. 6. sess. 24. de reform. num. 6. sub verb. aut Vicarium*. De reliquis ergo decernendum casibus; & animadvertere juvat, in iis Vicarium Capitularem succedere Episcopo, quæ illi competunt de jure communi, non item in iis, quæ sunt de jure speciali delegato, ut pluribus collectis firmat *Pellegrin. de Vicar. Capitul. part.1. sect.4. subsect.2. num.1.*

Pendet hinc postulati resolutio a qualitate facultatis concessæ Episcopo *in citato Tridentini capitulo*. Sunt qui eam censent omnino delegatam, ideoque sustinent, Vi-

Vicarium Capitularem absolvere non posse a casibus permissis Episcopo, ac præ cæteris *Bonac. de censur. disput. 7. quæst. 5. punct. 1.*, *Alter. eod. tract. tom. 2. disput. 6. de suspens. cap. 3.*, *& Leo. in thesaur. for. eccles. part. 1. cap. 10. num. 8. fallent. 8. & 9.* Communiter tamen alii arbitrantur, quod licet facultas illa sit specialiter Episcopo delegata, competit tamen jure communi ex jurisdictione ordinariam perpetuo adnexa dignitati episcopali; eaque propterea uti posse Vicarium Capitularem, qui in ordinariam succedit jurisdictionem. Ita *Molin. de just. tom. 5. tract. 4. disput. 11. num 8. & seq.*, *Enriqu. in summ. lib. 6. cap. 16. §. 1.*, *Suar. tom. 4. de poenit. disput. 30. sect. 2. num. 4.*, *Genuen. in prax. Archiep. Neap. cap. 66. num. 22.*, *& cap. 85. num. 31.*, *Barbos. de jur. eccles. lib. 11. cap. 32. num. 71.*, *Ricc. in prax. tom. 3. resol. 265.*, *& Piasec. in prax. episcopal. part. 2. cap. 1. art. 3. de casib. Episc. reservat. num. 18.*

At juxta secundam hanc sententiam, quærendum insuper, an uti valeat Vicarius Capitularis facultate conciliari absque speciali mandato Capituli. Pro affirmativa est ratio, quod *Sacrum Concil. sess. 24. cap. 16. de reform.* obligat Capitulum ad constituendum infra octo dies Vicarium, qui episcopalem exerceat jurisdictionem; ideoque per ipsam Vicarii electionem, jus omne in eum transfundi videtur Capituli, nec alia opus esse speciali delegatione, secundum *Guttier. quæst. canon. l. 1. cap. 11. num. 10. vers. id quod hodie*, *Genuen. in prax. Archiep. Neap. cap. 86. num. 5.*, *Molin. de just. tract. 5. disp. 11. num. 4.* Aliter vero decrevit Sacra hæc Congregatio *in Cremonen. 4. Decembris 1632. lib. Decret. 14. fol. 683. terg.* Siquidem *inhærens declarationibus alias factis rescripsit, Episcopos vigore cap. 6. sess. 24. de reform. non posse absolvere, nec dispensare in casu hæresis neque in aliis nova lege post Concilium Sedi Apostolicæ reservatis. Verum in his casibus, in quibus Episcopis talis facultas non est adempta, eam utique transferri in Vicarium Capitularem, Sede episcopali vacante, dummodo talis facultas specialiter per Capitulum eidem Vicario tributa fuerit.*

Contrarium sane argumentum desumptum ex demandata Vicarii Capitularis electione infra dies octo, non concludit, omne in eum transfundi jus Capituli, de quo *Sacrum Concil. Trident. in cit. sess. 24. cap. 16.* non loquitur. Dum enim *Sancta Synodus* nihil de transfusione jurisdictionis disposuit, casum reliquisse cen-

tetur sub dispositione juris communis, *arg. leg. Aurelius §. testamentum 1. ff. de leg.* Ante Concilium autem major in Vicarium Capitularem non transibat potestas, quam in Vicarium Episcopi, qui in casibus *capituli* 6. speciali indiget delegatione, *Pavin. de potest. Capit. Sede vacan. part. 2. quæst. 10. num. 17.*, *Mandos. in regul.24. Cancell. quæst.6. num.10.*, *Sbroz. de Vicar. Episc. lib.2. quæst.4. num.5.*

In deliberationem igitur venit.

An, & quomodo Vicarius Capitularis S. Severinæ absolvere valeat a casibus Episcopo permissis in cap.6. sess.24. Concilii Tridentini de reform. in casu &c.

Sess.24. cap.3. de Reform.

TERRACINEN. ET SETINA. In sacra visitatione Sulmonis in Latio offendit Setinus Vicarius Apostolicus Cerroni Capitulum insignis Collegiatæ B. Mariæ in Cœlum assumptæ. Orta primum fuit quæstio de procuratione, quam Capitulum deberi autumabat dimidiam. At prævia resolutione capitulari, oblata tandem fuit juxta petitionem Vicarii integra; isque mutato consilio, *non volle riceverla, e determinossi sul fatto lasciare in deposito in mie mani non solo la metà, ma l'intiera procurazione, dicendomi di volersi informare in Roma, e che poi averebbe preso quella somma creduta di dovere*, ut in hæc verba de facto proprio testatur ejusdem Collegiatæ Canonicus Americi, cum quo conveniunt alii; quemadmodum testimonio Abbatis Curati, & Beneficiatorum alterius Collegiatæ S. Michalis Archangeli, nullam ab ipsis exegit procurationem ad totam diem 8. Februarii 1795. Quædam hinc Vicarius edidit decreta: *primum* nempe ad exhibendum sibi intra bimestre codicem introitus, & exitus capitularium redituum sub pœna suspensionis a Divinis, imposito sub eadem pœna futuris procuratoribus onere reddendi quotannis in natalitiis festis *Domini Nostri Jesu Christi* rationem rationis Syndacis synodalibus; *secundum* super exemptione Convisitatorum a punctaturis: *tertium* de supplenda una & altera Missa non celebrata in mense Septembris 1794., & de celebrandis in posterum Sacris in diebus per Testatores designatis, sub pœna unius scuti pro qualibet omissione.

Qua de re EE. Vestris supplicatum fuit nomine Capituli pro restitutione dimidiæ procurationis, & pro refor-

ma-

matione decretorum; atque in sua informatione tribuit Vicarius recursum quinque, vel sex duntaxat Canonicis, quum *plerique nullam de hoc ipso notitiam habuerint*. Sibi de cætero oblatam ait integram procurationem ex resolutione capitulari, eamque recusatam ab ipso fuisse, relicta pecunia, ob reluctantiam Canonici Procuratoris, in manibus Canonici Americi; & ita in id conclusit = *proindeque hilari animo possum dicere, illos non offendisse lucri gratia, quum hocce vitium semper abhorruerim, nec inveniatur qui me pecuniæ cupidum valeat accusare. Plures ad amicos Romam scripsi literas, ut scire tutò possem, utrum Vicarii Apostolici procuratio eadem sit, an potius Vicarii capitularis, & Vicarii Episcopi, quum non ignorarem his tantum competere medietatem; quin ullum habuerim responsum positivum, etiam ab illis, qui Romæ sunt alicujus nominis.*

Singulorum deinde decretorum rationem reddidit. Demandatam porro librorum exhibitionem sub pœna suspensionis a Divinis, in hæc tuebatur verba = *Præterquam quod nonnulli ex Canonicis hoc a me enixe petiverunt in personali visitatione, ut respectivis Procuratoribus poena suspensionis infligeretur, nisi infra præfinitum tempus rationem reddiderint suæ administrationis; in dioecesana Synodo statuitur, quod peracta administratione, infra quindecim exhibeantur libri, & infra mensem fiat sententia syndicatoria, sub poena, in casu inobedientiæ, scutorum quinque. Non ne ista Sacra Congregatio in Calaguritana* 18. *Junii* 1701. *decrevit, quod si visitati renuant libros exhibere, censuras possunt infligere [Visitatores] Eos igitur omnimode exhibere renuentes suæ administrationis libros censuris coegi, suspensionis scilicet poena, sicque libros vidi, eosque nulla forma, nullo conscriptos ordine animadverti; ideoque decrevi, ut alia deinceps methodo describantur, & quolibet anno statis temporibus & ratio reddatur, & syndicatoria fiat sententia.*

Gravissimis item de causis edidisse retulit decretum de supplemento Missarum quo ad præteritum, & futura illarum celebratione ad præscriptum Testatorum. *Si ad EE. Vestras*, inquit, *libros hujusmodi* (capitulares) *possem exhibere, ictu oculi prospicerent, quam male describantur, & quanta sit in Missarum celebratione negligentia. Adsunt duo ex Primatibus, qui numerum Missarum debent explere, alter scilicet celebrare facere debet* 2776., *etiam post obtentam a Rev. Fabrica*

com-

compositionem de anno 1783., alter 953. ad totum annum 1793. (de duobus tantum Missis non celebratis loquitur decretum) *Adsunt beneficia possidentes, qui illorum reditus percipiunt, minime vero oneribus satisfaciunt. Inter hos Canonicus quidam fuit, qui ultimo Sacræ Visitationis die librum onerum ad ipsum spectantium exhibuit, sed ut plurimum volantibus foliis, Missasque descriptas vel alieno incognito charactere, vel etiam cujusdam Notarii, adeo ut absolutorium decretum noluerim efformare, illi injungens, ut Missas omnes primum in libro describat, & in calce deinde reportabit decretum.*

Nec silentio prætereundum est, aliquam dedisse suspicionem, utrum revera hic Sacerdos suis plene oneribus satisfecerit, quum aliquos rogaverit Sacerdotes, ut mihi secreto retulerunt, ut sese subscriberent in suo libro Missarum præteritarum. Hocque non sufficit: majora siquidem dicam (horrendum licet sit dicere) pecunias distraxit collectas pro expiandis Animabus, in purgatorio existentibus, Sacrificiis; at hisce postpositis, tercentum, & ultra impendit scutata in ædificando Oratorio nomine cœmeterii, non sine magna Populi querimonia, & scandalo, adeo ut protinus suspenderim prosequutionem ædificii, statuens, ut in posterum fideliter applicentur eleemosynæ, pro Animabus Purgatorii sublevandis, in Missarum celebratione. Non sine magna animi mei perturbatione hæc vidi, amotoque protinus tam negligenti procuratore, contra quem reservavi jus agendi pro pecunia distracta, alium diligentem inveni meticulosæ conscientiæ.

Quoad tertium postremo decretum circa exemptionem Convisitatorum a punctaturis, consentaneum illud dixit decretis Sacræ hujus Congregationis, questusque fuit, quod *tamen illos punctare ausi sunt, ut me irriderent, & nihili facerent emanata decreta*; juniores nempe Canonici, *qui Divinis vix persolutis officiis, ad aliquam se transferunt apothecam, ibique alearum lusu totam fere ducunt diem, & partem noctis, multis circumspicientibus cujuscumque conditionis; quare aliquoties evenit, ut jurgia sint inter eos, inhonesta proferantur verba, & ebrietate quoque conficiantur*. Infrascriptis autem concordatis Dubiis, protestatus est, nolle se quæstionem instituere de procuratione, quam non exegit, seque ad suam informationem referre: quo vero ad exhibitionem librorum, & exemptionem Convisitatorum a punctaturis, Causam proponi non

pos-

posse, nisi iis citatis Canonicis, quorum interesse respiciunt decreta: & respectu tandem Missarum, *quod si Sacræ Congregationi decretum ab ipso latum paullulum durum videatur, pro sui arbitrio corrigatur, & moderetur.*

Adversus hæc omnia, quæ ad propriam defensionem Vicarius Apostolicus deduxit, constare præ omnibus ait Capitulum de excessiva exactione procurationis. Hæc namque debetur integra Episcopo visitanti; dimidia ejus Delegato, ex *cap.* 1. *§. procurationes de cens. & exact. in sexto, Nicol. in flosc. verb. visitatio num.* 1. *vers. quando tamen, & num.* 10. *limit.* 9., & Delegato etiam Apostolico, ut ex pluribus Sacræ hujus Congregationis resolutionibus probat *Monacell. tom.* 3. *tit.* 2. *formul.* 4. *num.* 3. & 80. Juxta nonnullos vero Capituli testes, eam Apostolicus Vicarius Cerroni exegit integram labente mense Decembris 1794., nec primum restituit, quam exeunte Januario sequentis anni. At contrarium testantur alii, & præsertim Canonicus Americi, qui de facto proprio deponit, oblatam quidem fuisse talem procurationem a Capitulo, sed eam Cerronium accipere noluisse, & penes Canonicum ipsum reliquisse loco depositi *sul fatto*. Ideoque ponderare dignentur Emi Patres, num pręferri debeant, qui de illicita deponunt exactione, vel ii potius, qui eam excludunt. His certe favent jura, de quibus *Rot. in recent. decis.* 51. *num.* 16. *part.* 12., & *in Placentina Separationis Tori* 5. *Junii* 1752. *§.* 5. *cor. Bussio.*

Ex integra, quam supponit, procurationis exactione infert Capitulum, incidisse Cerronium in pænam dupli, & censuras *Sacri Concilii Tridentini sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.*, & quidem ipso facto, quin sententia opus fuerit declaratoria, *Monacell. part.* 3. *tom.* 1. *formul.* 4. *in addit. ad supplem.*. Id vero procederet, quoties præferri non deberet testimonium Canonici Americi, aliorumque de non accepta procuratione: alias enim omnis in Cerronio defecisset culpa, & per consequens pæna. Illudque insuper ponderandum, num posita etiam illicita exactione, eam excusare potuisset animus reddendi excessivam summam, quatenus non deberetur, & subsequuta restitutio, quam ipsi admittunt testes Capituli. Ad evitandam enim pænam quęlibet prodest levis, fatua, & colorata causa, *Polit. de dot. dissert.* 35. *num.* 18. *tom.* 3., *Rot. in recen. decis.* 562. *num.* 18. *part.* 5. *tom.* 2,

Transeunt Capitulares ad effectum censurarum, quas ab

ab ipsa exactæ procurationis die in Cerronio supponunt, penitusque nulla affirmant decreta sub illis edita, per *Text. in cap.* 1. *de sent.*, *& rejudic.*, *Pirhing. in jus canon. lib.* 5. *tit.* 39. *sect.* 6. §§. 309., *& seq.* Hoc tamen pendet a declaratione o lipsæ pœnæ, quam Cerronio impingunt. Singula de cætero expendentes decreta, injustum dicunt primum super exhibitione librorum, & redditione rationis Syndicis synodalibus, eo quod ex propriis constitutionibus illos exhibere, & rationem reddere teneutur Revisoribus capitularibus: eoque magis injustum ob comminatam pęnam suspensionis, dum adhiberi potius debuisset pecuniaria ad formam synodalis legis. Ex hoc pariter gravamen desumunt secundi super exemptione Convisitatorum a punctaturis, quod solus Episcopus privilegium habet assumendi binos Convisitatores, ex *cap. de cætero* 7. *de cleric. non residen.*, non item inferior, nisi eos assumat de consensu Capituli, quem Cerronius neglexit, *Ceccoper. animadvers. ad lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 12., & *seq.* Ad tertium denique, omissionem duplicis Missæ tribuunt errori, quem plectit Vicarius rigida unius aurei pœna. De his igitur deliberaturi, ad ea advertant Eminentissimi Patres, quæ in sua informatione monet Vicarius, Dubia nempe super redditione rationis, & Convisitatorum exemptione a punctaturis, ad Canonicos interesse habentes, qui non sunt in Causa, pertinere.

In quæstionem igitur venit.

I. *An constet de excessiva exactione procurationis in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An Vicarius Apostolicus inciderit in pœnas in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

III. *An edictum, & decreta sint circumscribenda in casu &c.*

Et quatenus negative.

IV. *An sustineatur, vel potius sit reformandum decretum quo ad exhibitionem librorum dati, & accepti in casu &c.*

V. *An sustineatur decretum super exemptione Convisitatorum a punctaturis in casu &c.*

VI. *An sustineatur, seu potius sint reformanda decretum, & edictum respective quo ad omissiones in implendis oneribus Missarum in casu &c.*

D ~

Die Sabbathi 18. Junii 1796. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SPOLETANA EMPHYTEUSIS.

I. *An, & quomodo sit exequendum rescriptum diei 21. Junii 1794. in casu &c.* *Sss. 25. cap. 11. de Reform.*

II. *An, & cujus sumptibus sint expediendæ Literæ Apostolicæ in casu &c.*

Ad I. Affirmative pro canone scutorum 17., salvo jure sextæ.

Ad II. Affirmative sumptibus utriusque pro medietate.

S. SEVERINÆ. *Sess. 24. cap. 6. & 16. de Reform.*

An, & quomodo Vicarius Capitularis S. Severinæ absolvere valeat a casibus Episcopo permissis in cap. 6. Sess. 24. Concilii Tridentinl de reform. in casu &c.

Affirmative ad formam resolutionis in Cremonen. 4. Decembris 1632.

TERRACINEN. ET SETINA. *Sess. 24. cap. 3. de Reform.*

I. *An constet de excessiva exactione procurationis in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An Vicarius Apostolicus inciderit in pœnas in casu &c.*

III. An edictum, & decreta sint circumscribenda in casu &c.

Et quatenus negative.

IV. An sustineatur, vel potius sit reformandum decretum quoad exhibitionem librorum dati, & accepti in casu &c.

V. An sustineantur decretum super exemptione Convisitatorum a punctaturis in casu &c.

VI. An sustineantur, seu potius sint reformanda decretum & edictum respective quo ad omissiones in implendis oneribus Missarum in casu &c.

Ad I. II. & III. Negative.

Ad IV. Affirmative juxta modum, nempe apud Syndicatores synodales existentes in loco, & deleta pæna suspensionis; subrogata tamen multa pecuniaria arbitrio Ordinarii,

Ad V. Negative.

Ad VI. Affirmative juxta modum, nempe deleta pæna suspensionis; & quoad omnes amplius.

Ses. 25. cap. 11. de Reform.

FERRARIEN. EMPHYTEUSIS. Supremo elogio anni 1717. mandavit Antonius Bajardi, ut ex annuo fructu prædii siti in villa Sancti Nicolai ferrariensis Diæcesis tot quotannis in suum, suorumque suffragium celebrarentur Sacra. Hujusce pii legati administrationem post alios a Testatore designatos suscepit Comes Alphunsus Muzzarelli ferrariensis Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, prædiumque instructum aratoriis bobus, aliisque rebus ad culturam necessariis, valoris scutorum fere biscentum, ad novennium locavit anno 1788. Maurelio Giuliani pro annua pensione scutorum 90.; reservatis sibi casibus fortuitis, ædiumque ruralium restaurationibus. Quum decurrente autem novennio plures in hujusmodi reparationes fecisset sumptus, parum idcirco pio Operi utilem novit locationem, iniitque anno 1791. sub reservatione beneplaciti Apostolici contractum perpetui usus, seu emphyteusis

sis

sis cum Matthæo Gulinelli pro annuo canone scutorum 100., omnibus in emphyteutam translatis oneribus, ac liberali etiam favore pii operis conventa cessione trium LL. Montium Ferrariæ nuncupat. *Monte sanità sesta erezione*.

Hoc evulgato contractu, Sanctissimo administratoris nomine supplicavit conductor prædii Giuliani pro prælatione ad perpetuam emphyteusim, aucto in scutis duobus canone; eodemque tempore supplicavit Gulinelli pro approbatione initi contractus. Priores vero preces remissæ fuerunt ad Sacram hanc Congregationem, quæ die 3. Martii 1792. Eminentissimum rogavit ferrariensem Archiepiscopum, *ut prævia affixione edictorum favore majoris, & melioris oblatoris pro emphyteusi ad tertiam generationem masculinam tantum, finita locatione, de annuo referat prædii reditu per decennium*; posteriores remisit primum R. P. D. Auditor Sanctissimi ad eumdem Archiepiscopum pro informatione, & voto, deindeque ad Sacram ipsam Congregationem *cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis*. Ad formam igitur Vestri rescripti affigi curavit Eminentissimus Archiepiscopus edicta, obtulitque Maurelius Giuliani die 20. Augusti ejusdem anni 1792. pro simplici usu, ad formam nempe edictorum, annuum canonem scutorum 120.; unumque alterum scutum supra alias oblationes usque ad summam scutorum 125.. quatenus prædium traderetur instructum; canonem vero scutorum 116., si aliis pium Opus venderet animalia, *e li scudi cinque di più, come sopra*.

Schedam alteram exhibuit die 23. ejusdem mensis Florianus Giuliani, obtulitque *ad uso perpetuo* canonem scutorum 108., largitionem trium LL. Montium, emptionem animalium per solutionem scutorum 4. supra illorum pretium, & sumptus Beneplaciti Apostolici. Ac die tandem 28. despondit Matthæus Gulinelli *a titolo di uso a fuoco, e fiamma* canonem scutorum 102. 50. cum resignatione trium LL. Montium favore pii Operis, & scutorum 116. absque illorum largitione, qualibet in se assumpta expensa; obtulitque tandem scutum unum supra meliorem oblationem sub protestatione = *di non pregiudicare giammai con questa mia offerta al convenuto per scrittura privata in data 9. Novembre 1791. fra me, ed il sudetto Signor Conte Ca-*

nonico Muzzarelli, nè al rescritto riportato da Monsignor Uditor Santissimo.

Hisce autem pendentibus oblationibus, dedit Gulinelli die 7. sequentis Septembris vigesimam supra majorem oblationem; eumque titulo etiam vigesimæ in uno superavit scuto die 18. ipsius mensis Maurelius Giuliani. Ideoque in tali oblationum discrepantia demandavit Eminentissimus Archiepiscopus secundam edictorum affixionem, aliasque æmuli exhibuerunt licitationes. Die namque 6. Novembris 1794. obtulerunt fratres Giuliani pro emphyteusi ad tertiam generationem canonem scutorum 40., eodemque modo Matthæus Gulinelli sequenti die 7. canonem scutorum 110., largitionem trium LL. Montium; emptionem animalium; omnesque expensas ad perficiendum contractum necessarias; aucto canone ad scuta 118., quatenus animalia *abbiano da rimanere per dote del fondo*. Hisce autem expensis oblationibus, emphyteusim deliberavit Eminentissimus Archiepiscopus die 8. *favore Domini Matthæi Gulinelli tamquam majoris, & melioris oblatoris pro annua pensione scutorum 110., aliisque, de quibus in oblatione, salvo tamen Beneplacito Apostolico reportando.*

Dum suam deinde ad EE. Vestras parabat informationem, cesserunt fratres Giuliani eorum jura Dominico Bottoni, qui pro emphyteusi pariter ad formam edictorum annuum obtulit canonem scutorum 150. a quovis onere liberum, *sive, ut ajunt a fuoco, e fiamma*, nec non *LL. tria Montium libera, & in creditum pii Operis quoad capitale, & quoad fructus*; seque insuper exhibuit, vel empturum animalia pretio scutor. 200., vel aucturum fore canonem in aliis scutis decem; & soluturum denique *omnia onera, taxas, collectas, cæteraque omnia vel imposita, vel imponenda super fundo.. salvo semper Operi pio beneficio addictionis in diem, sive augmenti vigesimæ, & sextæ*. Interim vero, ne pendente Sacræ hujus Congregationis decisione, maneret prædium absque conductore, illud provisionalis conductionis titulo accipere promisit pro annua pensione scutorum 169. Atque his omnibus in sua informatione expositis, rem Emus Archiepiscopus Vestro reliquit judicio.

Ser-

Servandam profecto contendit Gulinelli deliberationem emphyteusis, ejus favore decretam ab Eminentissimo Archiepiscopo, eo quod major ad secunda edicta fuit ipsius oblatio, ut prænotatum est in facto; nam demandavit Sac. hæc Congregatio edictorum affixionem *favore majoris, & melioris oblatoris*, cui favet etiam dispositio Juris ex sententia *Bartoli in Leg. licitatio vers. sedputo ff. de publican., & vectigal., Corradin. de jur. prælat. quæst. 66. num.2., & Rot. in Imolen. prælationis 5. Februarii 1751. §.5. coram Matthæjo*. Neque attendi debere oblationem Bottoni, uti cessionarii fratrum Giuliani, licet ampliorem. Eam namque non dedit Bottonius titulo vigesimæ, ut post deliberationem opus fuisset, sed uti simplicem oblationem, *reservato semper Operi pio beneficio addictionis in diem, sive augmenti vigesimæ, & sextæ*; quæ oblatio post deliberationem non admittitur, ne addictio in diem reddatur illusoria, juxta *Perez. in cod. de fid. instrum., & jur. hast. fiscal., & de adject. numer. 3. tit. 12.* Idque etiamsi agatur de Ecclesia; nam si novæ ultra terminum admitterentur oblationes, nemo amplius cum ea contraheret, *Corradin. de jur. prælat. quæst. 65. num.2. & Rota in Romana Appaltus lignorum 15. Januarii 1742. §. allegata in fin. coram Calcagnino*.

Sibi altera ex parte Bottonius, uti cessionarius fratrum Giuliani, deberi ait emphyteusim, ex prima præsertim oblatione Maurelii, quæ major fuerat, etiam supra vigesimam a Gulinellio oblatam. Attendenda vero non esse secunda edicta, novas oblationes, & decretum deliberationis; tum quia excessit Emus Archiepiscopus facultates ab hac Sacra Congregatione acceptas pro unica edictorum affixione, & pro transmissione oblationum, ut emphyteusim non ipse, sed EE. Vestræ deliberarent; tum quia secunda oblatio fratrum Giuliani pro minori canone scutorum 40. data fuit ementito illorum nomine; dum verisimile non est, talem eos canonem offerre voluisse in secunda oblatione, qui longe majorem obtulerant in prima. Maxime ob neglectam dictorum fratrum interpellationem ante promulgatum decretum.

Suam de cætero recipiendam autumat oblationem omnium certe majorem, & meliorem, licet post decre-

cretum deliberationis superventam. Res namque ante obtentum, & per stipulationem instrumenti executum Beneplacitum Apostolicum, adhuc erat *integra*; proindeque nova dari poterat oblatio, ut observat *Petr. ad Constit. 1. S. Leonis Magni num. 41. tom. 1. pag. 51.* ut melior nempe fieret pii Operis conditio, ad quam potissimè respiciendum docet idem *Petra loc. cit. pag. 84. num. 38.*, *Campell. ad Constit. Urbin. decret. 33. num. 124.*, *Rot. in Forolivien. Vigesimæ 22. Martii 1784. §. 6. coram Eminentissimo Domino Card. Flanginio*.

Quatenus vero EE. Patres servandam non esse censeant deliberationem emphyteusis, ab Emo Archiepiscopo decretam, decernere dignentur de nova illius concessione *ex integro*. In sua Bottonius confidit amplissima oblatione, maximaque pii Operis utilitate. Ad ea contra, quæ super primo deduxit dubio, Gulinellius addit, seram illius oblationem auferre sibi non posse jus quæsitum per oblationem datam intra terminum edictorum, quemadmodum docet *Ros. de execut. Liter. Apostolic. cap. 4. num. 327. & seq.*, & *Rot. in Hieracen. Alienationis Bonorum 9. Martii 1759. §. 6. coram Elephantutio*; idque dumtaxat Bottonio superesse, ut vigesimam, deindeque sextam offerat.

In quæstionem igitur veniunt.

I. *An sit servanda deliberatio emphyteusis favore Gulinelli in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & cujus favore sit locus illius concessioni in casu &c.*

Ad I. Negative, & amplius.

Ad II. Dilata, & firma remanente oblatione Bottoni, scribatur Emo Archiepiscopo pro nova affixione Edictorum cum solitis clausolis.

Sess. 24. cap. 12 de Reform.

NULLIUS, SEU FOROPOMPILII JUBILATIONIS.

In oppido Foropompilii, sub spirituali jurisdictione Capituli Vaticani, insignis est Collegiata S. Rufilli, quæ undecim constat Canonicis, Mansionariis octo. In ea

ea primum ab anno 1745. mansionariatum obtinuit Sacerdos Petrus Antonius Gardini, deindeque ab anno 1753. canonicatum. Ob chorale igitur ultra quadragenarium servitium, supplicavit anno 1793. Sacræ huic Congregationi pro indulto jubilationis; ejusque Collegæ, per Vicarium Generalem Capituli Vaticani de mandato Vestro auditi, in Comitiis 27. Maii ejusdem anni assentiti fuerunt *unicamente rispetto alla sola interessenza alle ore canoniche, e sagre funzioni, e non mai al peso delle Messe dell' ebdomada, e tutte le altre spese che occorrono, e occorrere possono communi a tutti e singoli, alle quali s'intenda, che sia onninamente tenuto ed obbligato*. Asseruerunt immo, jam eum hujusmodi conditionem sub obligatione camerali accepisse: sed ob non redditum Vicario supplicem libellum, super quo ad EE. Vestras referre debebat, Oratoris instantiam biennio detinuerunt. Hac tandem elapso anno renovata, in sua Capitulares per secundam resolutionem perstiterunt sententia; favitque Vicarius quo ad jubilationem Oratori, in hæc verba = *Quum nullum dubium sit de laudabili, atque assiduo Oratoris servitio chori, & aliarum functionum per quadraginta & amplius annos, videtur mereri petitam jubilationem*. Quo vero ad onus Missarum conventualium, ad primam se retulit resolutionem capitularem, ac testatus est, *quod ipsemet Orator mecum fassus fuit, se non renuiturum sua obire onera in hebdomada, uti nunc*.

Nisi aliter Eminentiæ Vestræ censeant, jubilationis gratiam suadere possent continuum, & laudabile quadragenarium servitium chori, Capitularium consensus, & Vicarii generalis favor. Ad exemplum sane veteranorum militum, quibus concedebantur vocationes ex providentia *Constantini in leg. 1. lib. 12. Cod. de veteran.*, concedere consuevit Sacra hæc Congregatio post quadragenarium servitium chori indultum jubilationis, ut de antiquioribus illius resolutionibus testatur *Benedictus XIV. de Synod. diœces. lib. 13. cap. 9. num. 15.*, & inter recentiores sunt *Civitatis Castellanæ 29. Novembris 1766.*; *Lauretana Jubilationis 2. Decembris 1775. ad II. Dubium*; *& in Brictinorien. Jubilationis 12. Maii 1792.*

Tota propterea inter Oratorem, & Capitulares est quæstio de modo concedendi hujusmodi indultum. Promptum se-

se paratumque Gardinius dicit ad communes contribuendas expensas Capituli, onus tamen recusat Missæ conventualis (pro qua nullum est emolumentum) eo quod neque ad eam per se, vel alium celebrandam, & applicandam emisit obligationem, quam gratis asserunt Capitulares, neque posito jubilationis indulto, de jure tenetur, ut Sacra hæc decrevit Congregatio in *Aquipendien. Jubilationis* 23. *Martii* 1697. *lib.* 47. *decretor. pag.* 85., *&* 111., *in Balneoregien. Missæ conventualis* 19. *Augusti* 1713. *lib.* 63. *pag.* 349., *in Senen. celebrationis, & applicationis Missæ conventualis* 12. *Maii* 1759., *& in Spoletana Jubilationis* 15. *Septembris* 1770.

Contendunt altera ex parte Capitulares, vere se Gardinium ad celebrandam Missam conventualem obligasse, juxta enunciativam prioris resolutionis Capitularis; idque fecisse, quod in similibus jubilationis casibus fecerunt ejusdem Collegiatæ Canonici *Selbaroli*, & *Briganti*, & servatur etiam in foroliviensi Capitulo, juxta attestationem unius, & alterius ejus Canonici. Quod gratis autem enunciata fuerit illius obligatio in primis capitularibus Comitiis, excluditur ex testimonio Vicarii generalis, quod *ipsemet Orator mecum fassus fuit, se non renuturum sua obire onera in hebdomada, uti nunc*. Verum EE. Vestræ decernent, utrum ea servanda sit obligatio, ob quam assensum præstiterunt Capitulares jubilationi Oratoris, vel potius, tamquam irrationabilis, abolenda, ut plenum jubilatio habeat effectum, quemadmodum in similibus terminis decrevit S. Congregatio *in Civitatis Castellanæ Jubilationis* 29. *Novembris* 1766., in qua ad dubium = *An, & quomodo indultum jubilationis sit concedendum* = respondit = *Affirmative, demptis conditionibus*.

In deliberationem igitur venit.

An, & quomodo sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.

Affirmativè dempto onere Missæ conventualis, & amplius.

BAL-

BALNEOREGIEN. EMPHYTEUSIS. Sodales quidam sub invocatione SS. Rosarii oppidi S. Michaelis balneoregien. diœcesis EE. Vestris supplicarunt pro facultate concedendi Com. Camillo Cellesi prædiolum eorum Sodalitii sylvosum, & sativum in territorio castri Cellesii, ad redimendam litem cum illo pendentem super prætenso jure pascendi in eodem prædiolo ejus sylvæ adnexo; atque affixis de mandato Vestro edictis, tres tantum datæ fuerunt oblationes, una annui canonis scutorum quatuor per Antonium Polidori, altera scutorum 4. 60. per Franciscum Sargnano, & tertia scutorum 8. 25. per Comitem Cellesi, qui in se insuper assumere despondit onera omnia imposita, & imponenda, dummodo tertia masculina generatio a suis inciperet filiis. Ex his autem oblationibus præferre censuit balneoregiensis Episcopus oblationem Cellesi, ut pote magnopere utilem Societati, *quæ spatio decennii annuum reditum non majorem quantitate scutorum sex ex ipsis agris percepit*, neglecta aliorum Sodalium contradictione. Hi enim *in dicta Congregatione infestum ostenderunt livorem adversus tam utilem contractum jure, meritoque optatum a nonnullis confratribus sanioris consilii, qui Congregationi minimè interfuerunt, in quorum precibus exposita plene verificantur. Contractus enim emphyteusis auget fructum Societati, eamque eximit a prosecutione diuturnæ, gravissimæque litis in Tribunali A. C. adhuc agitatæ. cui finem imponeret contractus emphyteuticus cum Comite Cellesi meliori oblatori decernendus.*

Pre viribus sane emphyteusi contradicit Sodalium Congregatio ea potissimum ratione, quod = *con il dare questo terreno in enfiteusi, potrebbe cadere nelle mani del nominato Signor Conte Cellesi, il quale è confinante con detto terreno, e con il tratto successivo potrebbe restare diminuito nella sua quantità non solo, ma farci insorgere altra più dispendiosa lite, anche nell'esigenza dell' istesso canone per essere egli Barone di detto Castello*. Utrum hæc vero contradicendi ratio impedire valeat emphyteusim favore Comitis Cellesi majoris oblatoris, evidenter Sodalitio utilem, tum ob canonem majorem annuo reditu prædioli, cum ob assumpta per Comitem ipsum onera super eodem prædiolo imposita, & imponenda, & recessum denique

Sess. 25. cap. 11 de Reform.

S a li-

a lite, EE. Vestræ decernent. Ubi evidens profecto concurrit Ecclesiæ, vel loci pii utilitas, bonorum emphyteusim permittit *Clementina 1. de reb. Eccles. non alienand.*, & *Gregorius IX. in cap. ad aures de reb. Eccles. alienand. vel non*, ac in simili casu contradicentium administratorum Xenodochii S. Mariæ Humilitatis, & S. Joannis Firmi, permisit Sacra hæc Congregatio *in Firmana Emphyteusis 12. elapsi Martii ad I. Dubium*.

Difficultas esse posset de conditione, sub qua Comes Cellesi omnibus utiliorem dedit oblationem, dummodo nempe incipiat tertia generatio masculina a suis filiis. Hoc vero a Vestro potius pendet arbitrio, quod erga illum propendere posset, dum meliorem facit Sodalitii conditionem, directeque filiorum nomine petere potuisset emphyteusim, quam suo postulat nomine, ut ab iis incipiat.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

An, cujus favore, & quomodo sit concedenda emphyteusis in casu &c.

Affirmative favore Cellesi ad formam ejus oblationis, salvo jure vigesimæ, & sextæ.

Ses. 25. cap. 4. de Reform.

ARIMINEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Instituit Sebastianus Costanzi anno 1775. in universa hereditate Mariam Joannam ejus filiam, eique post alias in diversis casibus scriptas substitutiones, substituit tandem Antonium, Silvestrum, & Dominicum Tonini ex sorore nepotes, quatenus illa, ejusque filii sibi prædecederent, vel nullo condito testamento obirent. Hisce autem substitutis præscripsit = *che siano tenuti far celebrare ogni anno per il corso di anni 50. Messe duecento ove ad essi parerà, e piacerà; come pure a questi lascio l' obbligo di fare un Uffizio in perpetuo di dodici Messe, ove similmente gli parerà e piacerà, nel giorno della festa di S. Antonio di Padova in onore, e gloria del medesimo Santo mio Protettore; e più lascio agli stessi miei nipoti, nel caso di dover succedere alla mia eredità, il peso di tenere con-*

continuamente questa mia casa paterna aperta, in specie per comodo de' Religiosi, e de' poveri.

Triennio post, absque liberis moriens, eosdem Toninos scripsit heredes Maria Joanna, confirmatisque paternis tabulis, & ipsa jussit = *che per cinquant' anni dopo la di lei morte, ed in suffragio dell' anima sua debbano far celebrare ogni anno Messe duecento ove loro parerà, e piacerà, non compreso l' altro consimile legato fatto dal suo Genitore* = Hereditates adepti, ad totum annum 1794. adimpleverunt Tonini legata: sed præ redituum tenuitate, supplicarunt tandem EE. Vestris pro reductione Missarum; retulitque in prima informatione ariminensis Episcopus, annuum utriusque hereditatis reditum attingere posse scuta circiter 83. 56. 3½, *non ex generali proventuum calculo per decennium, sed partim ex instrumentis locationum, partim ex peritorum œstimatione*; quodque *ad illum augendum nulla prorsus patet via: bona enim hereditaria eadem ipsa mox sunt, quæ a Testatoribus relicta fuerunt, nec præter ea, ab Oratoribus, quoad fieri potuit, culta, reperiuntur alia, quæ de juribus hereditatis Costanzi haberi possint*. Testatus insuper fuit, reddere Oratores non potuisse perceptorum redituum rationem, ob non servatas dati acceptique notulas: a se tamen, opportunis conquisitis juribus, firmatum esse hereditarium statum, ex quo patebat, *hereditatem supra vires a Testatoribus fuisse gravatam, & Oratores ad omnia onera adimplenda debuisse hactenus plura scuta de proprio.. superimpendere*. Atque hinc æquum censuit, *ut pro petita reductione Oratoribus indulgeatur: quæ quidem reductio, si adjuncto statui stare velimus, nonnisi super Missarum legata cadere posse videtur*.

Hæc autem erat firmatio status. Totus hereditatum as consistebat, juxta publicum æstimum, & peritos, in capitali scutorum 2366. 67. 5., annuoque reditu scutorum 83. 56. 3 ½; onera vero in annuis scutis 111. 17. 2. ½; scutis nimirum 40. pro Missis 400. ad eleemosynam manualem obolorum 10.; scut. 3.02½ pro celebratione officii in festo S. Antonii patavini; scut. 12. 65. pro fructibus passivi census hereditarii;

scut. 40. pro manutentione duarum ædium, & molæ frumentarię; & scut. 15. 50. pro usuris alterius census in sorte scutorum 310., in reparationem dictarum ædium imponendi. Et hoc pacto exitus superabat introitum in scutis 27. 60. 4.

Ad præscriptum deinde, in secunda addidit enarratione, adivisse Fratres Tonini *inconsulto prorsus, & absque beneficio legis, & inventarii hereditatem qu. Sebastiani Costanzi eorum avunculi*; restitutos vero in integrum fuisse adversus inconsulto aditam hereditatem per rescriptum decessoris Cardinalis Legati Ravennę. Opus quidem fuisset, ut post hanc obtentam restitutionem, inventarium conficerent bonorum, & servatis servandis rationem redderent: monuit tamen Episcopus, quod *quum omnia, & singula bona ex hereditate ipsis obventa, in formatione status, cujus folia una cum altera mea relatione Sacræ Congregationi transmisi, fuerint descripta, & una cum singulorum valore, ac reditu distincte considerata. inutile duximus, alium similem statum efformare ad effectum moderationis onerum, adjunctis precibus postulatæ*.

Quamvis porro simplices heredes sint Oratores, ita ut supplere tenerentur de proprio, quod deficit forsan ad omnia implenda legata, juxta doctrinam *Benedicti XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult. num.* 32., & decreta Sac.hujus Congregationis *in Camerinen. Subsidii dotalis* 17. *Junii* 1761. *ad II. dubium, in Burgen. Reductionis* 15. *Martii* 1777., & *in Januen. Legati* 15. *Decembris* 1787. *ad I. Dubium*, eis tamen prodesse posset rescriptum restitutionis in integrum, & firmatio status hereditarii, ex quo, si pia omnia adimpleri deberent legata, exitus superaret introitum in scutis 27. 60. 4. Ubi par enim oneribus non est emolumentum concedi solet illorum reductio, *Petra ad Constit.* 7. *Eugenii IV. sect.* 2. *num.* 28. *tom.* 3., *Fagnan. in cap. cum omnes de constit. num.* 31., & *Sacra Congregatio in Viterbien. Reductionis* 8. *Maii* 1784.

In hoc autem casu, quod aliquod oratoribus concedendum esset reductionis onerum levamen, deliberari deberet de modo. Enixe profecto contemplasse videtur Se-

Sebastianus Costanzi Officium in die festo S. Antonii Patavini, & Religiosorum, pauperumque hospitalitatem, ejusque dispositionem confirmavit ipsius filia. Primariò igitur pia hæc opera contemplata videri possent, ideoque reduci potius deberent Missæ, secundum *Benedictum XIV. loc. cit.* Aliter vero suadet ordo scripturæ; nam præ omnibus utrique Testatores celebrationem voluerunt Missarum; in quibus terminis alia potius onera reducenda censuit Sacra Congregatio in *Regien. Reductionis Servitii Chori, & Missarum* 29. *Julii* 1775., & *in Urbanien. Reductionis Missarum* 16. *Februarii* 1788.

Ponderare tamen dignentur Emi Patres, num legitimum inventarium supplere valeat firmatio status hereditarii, post vicennium fere nemine citato expleta, atque ex publico Æstimo, dictisque Peritorum desumpta. Maxime quia plus æquo in ea passivus augetur status. Annua siquidem assignatur summa scutorum 40. pro manutentione hereditariarum ædium, & molæ frumentariæ annui reditus scutorum 63. 50., & ad calculum insuper ponitur annua summa scutorum 15. 50. pro usuris census in illarum reparationem imponendi. Si autem sub hisce usuris fieret reparatio, altero ædes non indigerent forsan sumptu scutorum 40. pro earum manutentione. Illudque etiam notandum, onus Missarum 400. perpetuum non esse, jamque ex præscripta quinquagenaria, elapsos esse annos circiter viginti, ita ut Oratores post alios annos triginta liberam habebunt hereditatem, eamque domorum reparationibus auctam; quodque Oratores nec pauperes, nec oneribus impares asseruntur.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Negative.

Sess.24.cap.12. de Reform.

ROMANA QUOTIDIANARUM DISTRIBUTIONUM. A l Dubium = *An, & cui competant distributiones quotidianæ in casu &c.* = rescripserunt EE. Vestræ sub die 23. elapsi Januarii = *Affirmative favore Tazj*. De viribus modo quæritur hujusce rescripti; ideoque priori resumpto Folio, novisque perpensis collitigantium juribus, deliberare dignentur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess.25.cap.9. de Reform.

RECINETEN. JURISPATRONATUS. Nobilis vir Jacobus Lepretti sua omnia anno 1786. donavit bona, & jurapatronatus æque nobili Petro Podaliri; perpetuumque super illis instituit fideicommissum favore filiorum & descendentium donatarii, reservato sibi quoad viveret usufructu, & quarta eorumdem bonorum parte ad effectum testandi, cum dimidio jure nominandi ad gentilitia beneficia, & capellanias. In correspectivitatem vero solvit Podalirius donanti scuta 600.; alia despondit 400., & *per titolo di reciproca donazione* alienum æs ad summam scutorum 692. 50.. in se assumpsit, necnon, *qualora si creda necessario* (obtinendi Beneplacitum Apostolicum) *attesta l' inclusione nella presente donazione di tutti e singoli giuspadronati, nomine, cappellanie, & beneficj*.

Orta hinc quæstione super liquidatione reservatæ quartæ ad effectum testandi, aliquantulum actum fuit ex jure, deindeque pretio scutorum 300. per transactionem vendidit Ulpianus donatario *tutti e singoli beni di ogni sorte, ragioni, azioni, e diritti di qualunque natura, a lui competenti in forza della riserva fatta nel citato istromento di donazione*. Expresse tamen ab hoc venditionis contractu excepit reservatam jurispatronatus vocem, eamque nullo pretio liberaliter cessit emptori in hæc verba: *Non perche poi sia stato dedotto in con-*

trat-

tratto ; ma precisamente , e propriamente per una sua mera e semplice volontà , e liberalità , e per dare al detto Signor Pietro una nuova significazione di amore , dichiara il prefato Signor Marchese Giacomo di abdicare da se , e pienamente rifiutare il dritto di una voce , che nell' atto della donazione riservossi alla nomina di tutti i benefici , e di tutte le cappellanie , i di cui padronati esistono nel patrimonio donato , e respettivamente venduto ,

Hujusce liberalis cessionis approbationem postulat modo Podalirius , ejusque petitioni favet Episcopus Maceratæ , Vicarius Apostolicus Recineti . *Si in re* , ait , *mihi licet votum pandere , de gratia dignum ipsum existimarem . Dubitari siquidem nequit , agi de donatione gratuita : inficiari minime potest , agi de donatione universali : non improbatur ergo , ni fallor , a Jure canonico , nec adversatur Juris dispositioni hæc patronatuum translatio* . Nilque Ulpianus ipse , post præfixum ei terminum ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione , habere declaravit , quod opponeret .

De simoniaca dubitari posset labe ob comprehensa jurapatronatus in donatione *correspectiva* , in qua pretium intervenit scutorum 1692. 50. , & ob illa etiam cessa in venditione quartæ partis bonorum Ulpiano reservatæ , pro qua alia soluta fuerunt scuta 300. Quum enim juspatronatus sit quid spirituale , quisquis idcirco ad illud obtinendum aliquid dederit , simoniam committit , juxta *cap. sicut* 34. *de simon.* Et in his terminis reprobanda potius esset illius cessio , ex *Sac. Concilio Tridentino sess.* 25. *cap.* 9. *de reform.*

Notandum tamen , quod scuta 1692. 50. correspectivum fuerunt pretium universalis donationis ; ideoque in donatarium absque simonia transferri potuerunt jurapatronatus cum universitate bonorum,per Text. *in cap.ex literis* 7. , *& cap. sæculum* 13. *de simon.* ; quem exornant *Suar. de simon. cap.*28. *num.* 13. , *Engel. in jus canon. lib.*3. *tit.*38. *sub num.*23. Insuperque notandum , quod in contractum posterioris venditionis una deducta fuit quarta bonorum reservata ad effectum testandi , non item jurapatronatus , quæ cessit venditor *per una sua me-*

mera e semplice volontà , e liberalità , e per dare al detto Signor Pietro una nuova significazione di amore .
Quæritur itaque .
An sit approbanda cessio jurispatronatus in casu &c.

Die

Die Sabbathi 9. Julii 1796. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ROMANA QUOTIDIANARUM DISTRIBUTIONUM. *Sess.24.cap.12. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad primam post proximam.

RECINETEN. JURISPATRONATUS. *Sess.25. cap.9. de Reform.*

An sit approbanda cessio jurispatronatus in casu &c.

Affirmative.

ASCULANA BREPHOTROPII. Asculanum Sodalitium SS. Corporis Christi curare consuevit ad decimum ætatis annum spurios, eosque ob defectum Brephotropii tradere nutricibus Civitatis, cum menstrua lactantibus mercede obolorum 75., cum minori obolorum 40., aut 50. pro iis, quæ post expletum nutricium, pueros ad decennium educarent. Quum plura autem per immaturam puellarum dimissionem orirentur mala, ad instituendum idcirco illarum Conserva- *Sess.25. cap.8. de Reform.*

 to-

torium, obtinuerunt Sodales a *Sanctissimo Domino Nostro* Collegium, Ecclesiamque ex-Jesuitarum Asculi cum annuo reditu scutorum 140., hisce in Chirographo 24. Septembris 1791. præscriptis legibus; I. nempe, quod fieret ex Collegio Conservatorium sumptibus Sodalitii; II. duodecim saltem decennes spuriæ deberent *essere quivi mantenute, custodite, ed educate, ed abilitate al lavoro a tutte spese della medesima Compagnia, nè possano essere dimesse, se non quando prenderanno stato, o troveranno qualche altra onesta situazione.*

III. quod remaneret *fisso, ed immutabile l'altro pio istituto di ricevere, e far nudrire i bambini lattanti esposti dell'uno, e l'altro sesso fino all'età d'anni dieci, come si è praticato fin'ora.* IV. manutenere teneretur Sodalitium ædificia Conservatorii, & Ecclesiæ, atque onera adimplere Missarum, quibus eadem gravata est Ecclesia. Et V. denique reservata esset Ordinario asculano, ad formam *Sacrorum Canonum, & Sacri Concilii Tridentini*, facultas curandi piorum operum, onerumque adimplementum, *senza che però resti pregiudicata la Compagnia circa l'amministrazione delle rendite, nè circa la nomina delle fanciulle, direzione, economia, e regolamento del Conservatorio, e della Chiesa, deputazione de' Sacerdoti, e de' Predicatori (li quali però dovranno essere approvati dall'Ordinario) le quali cose tutte spetteranno alla Compagnia medesima.*

Reipsa Collegium aptarunt Sodales ad usum Conservatorii cum sumptu scutorum circiter 800., sed eos apud Summum Pontificem incusarunt zelatores negligentiæ in spuriorum cura, & die 5. Augusti 1793. hoc obtinuerunt rescriptum = *SS.mus attentis, & veris existentibus narratis, Officialibus, & Confratribus Confraternitatis introscriptæ mandavit, ut perpetuis futuris temporibus unam ex domibus in Civitate asculana sitam, ad dictam Confraternitatem spectantem, aptam cæteroquin, & capacem pro excipiendis expositis, sin minus luendam assignent, & in ea rotam, ut vocant, collocent; probam & idoneam personam destinent; nutricibus ad hoc necessariis summam obolorum saltem 75. singulis mensibus persolvant, easque de utensilibus ad puerorum usum necessariis provideant. Moderno, & pro tempore Archidiacono Cathedralis existenti, cum duobus ex Parochis dictæ Civitatis, prudentia, & re-*

rum

rum gerendarum usu pollentibus , & nunc a Vicario Capitulari , & deinde a pro tempore existenti Ordinario designentur , qui spirituali , ac temporali domus hujusmodi statui , & regimini præsint, amoto præsenti dictæ domus Ministro . Et ut feliciori ejusdem domus statui prospiciatur , Sanctitas Sua modernis & pro tempore existentibus Officialibus Confraternitatis interdicit facultatem erogandi pro libito illius reditus .

Hoc per Vicarium Generalem asculanum exequuto rescripto , plures inter Deputatos , & Sodales ortæ fuerunt quæstiones . Pontificium idcirco adierunt Solium Deputati , & supremum super nonnullis Dubiis oraculum flagitarunt. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem remissis , retulit Vicarius Capitularis , se in exequutionem rescripti 5. Augusti 1793, in Deputatos nominasse Archidiaconum Patrizi , Priorem S. Andreæ Dominicum Baldassarri , & Priorem S. Juliani Franciscum Cancellieri ; cæterasque ejusdem rescripti leges adimplevisse : contentionum exposuit capita , illudque præsertim de prætensa obreptione , & subreptione rescripti 5. Augusti , *quæ tamen* [sunt ejus verba] *non videtur proficua postquam idem SSmus Noster illud servandum esse decrevit , prout retulit mihi meritissimus Præsul Mercanti* ; rogavitque postremo EE. Vestras , *ut providere dignentur , ne reddatur inoperosa deputatio ; ne Societas administrationem hucusque habitam amittat ; & salva sempèr remaneat tam ordinaria,quam delegata jurisdictio hujus Curiæ tam super Deputatis , quam ipsa Societate , ejusque bonis* . Undecim modo ex conventione Partium proponuntur Dubia .

Priusquam Sodales ad propositas descendant quæstiones , fuse lateque suadere conantur subreptionem , & obreptionem rescripti 5. Augusti 1793. Sed cum Deputatis notandum , infrascripta omnia Dubia *modum* dumtaxat respicere exequendi rescriptum ; ideoque illius validitatem supponere . Ad *primum* igitur impugnant Sodales Deputatis jus interessendi comitiis Sodalitii super negotiis respicientibus pueros expositos , eorumque bonorum administrationem , & approbandi , vel reprobandi resolutiones . Hoc namque jus neque ipsi habent Episcopi , qui se in æconomicis immiscere nequeunt comitiis laicorum , *Ursaya discept. eccles.* 15. *num.* 15. *tom.* 6. *part.* 1. , *Monacell. tom.* 1. *tit.* 6. *formul.* 11. *num.* 18. , *Frances de Eccles. Cathedral. cap.* 25. *num.* 330. , & si eis quandoque assistere velint ,

suffragium ferre non possunt; ut pluries a Sacris Congregationibus Episcoporum & Regularium, ac Rituum decisum refert *Ferrar. in Biblioth. verb. Confraternitas art. 2. in fin.*, *& art. 3. num. 16. & 17.* Eoque minus se ingerre posse contendunt Deputatos Brephotropii, de quo agitur, quia nulla Sodalitio pro curandis spuriis relicta sunt bona, piumque sit opus ex propria illius substantia; & quia rescriptum 5. Augusti coercitum est ad unam spuriorum domum.

Urgent contra Deputati ea rescripti verba = *qui spirituali, ac temporali domus hujusmodi statui, & regimini præsint*. Hac sane formula posuisse videtur Summus Pontifex Deputatos supra Sodales administrantes rem æconomicam Brephotropii, eosque veluti inspectores, & censores. Adduntque sequentia alia ejusdem rescripti verba = *ut feliciori ejusdem domus statui prospiciatur, Sanctitas Sua modernis, & pro tempore existentibus Officialibus Confraternitatis interdicit facultatem erogandi pro libito illius reditus* = ex quibus a contrario sensu concessa videtur hujusmodi facultas sub Deputatorum censura; ut declaravit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium, quę ad instantiam Sodalium pro facultate vendendi quædam prædiola rescripsit die 31. Januarii 1794. = *Oratores doceant de consensu Præsidentium deputatorum a Sanctissimo*.

Paucis se a reliquis Dubiis collitigantes expediunt. Ad *secundum* enim arbitrantur Sodales, reddere non debere Deputatis rationem administrationis, quam ex præscripto *Sacri Concilii Tridentini sess. 22. cap. 9. de reform.* reddituri quotannis sunt Ordinario; ne bis eam reddere cogantur, contra dispositionem *Textus in leg. semel Cod. de apoch. publ. lib.* 10. Sibi vero tanquam Præsidentibus Brephotropio reddendam esse ajunt Deputati a die editi rescripti 5. Augusti, ne inutiliter præsint; sibique deinde onus incumbere eam reddendi Ordinario. Absurdius quo ad *tertium* censent Sodales, quod eorum Minister rationem reddat Deputatis; nam hoc Minister gravatur onere erga dominos suos, quales ipsi sunt, *Escobar. de ratiocin. cap. 3. num. 3. in fin.*, *Rot. post Scarfanton. decis. 36. n. 27.*, ipsique deinde omnia subiicere debent Ordinario, juxta *Pignatell. consult. can. 15. n. 3. tom. 7.* Si ita esset, jam se ignoraturos dicunt Deputati singula gesta Ministri, quæ ad regimen pertinent ipsis commissum Brephotropii.

Su-

Super *quarto*, spectare videretur electio Ministri, & Custodis spuriorum ad Officiales Sodalitii, secundum *Nicol. in flosc. verb. Confraternitas num.6.*, *Monacell. formul.11. tit.6. tom.1. num.24.*, *Ursaya discept. 15. tom.6. part.1. num.4. & 20.*, *& Sac. hanc Congregationem in S. Marci 13. Aprilis* 1726. Maxime quia in Chirographo anni 1791. servata eis fuit libera administratio verbis illis = *senza che resti pregiudicata la Compagnia circa l'amministrazione*. Sed notandum rogant Deputati, in electione potissimum Ministri, & Custodis rectam consistere rerum, & Brephotropii curam, quæ ipsis commissa est. Ad *quintum* de cohibenda expensarum libertate per consensum Deputatorum, primam Sodales appellant partem rescripti 5. Augusti, in qua libere ipsis committitur nutriciorum solutio, & utensilium præstatio. Dissimulant vero secundam, in qua = *Sanctitas Sua Officialibus Confraternitatis interdixit facultatem erogandi pro libito illius reditus*.

Agentes de *sexto*, contendunt Sodales, eamdem nutriciorum quantitatem, quæ prestatur in obolis 75. nutricibus lactantibus, præstandam non esse aliis, quæ post expletum nutricium pueros custodiunt; eo vel magis, quia nec obolos lactantibus solvunt 75. alia Brephotropia Recineti, Civitatis Castelli, Camerini, Firmi. Notant altera ex parte Deputati, demandatam esse in rescripto 5. Augusti solutionem nutriciorum in obolis 75. absque ulla lactantium, & non lactantium distinctione. Sed ponderare dignentur Eminentissimi Patres, num hæc distinctio, quæ locum habebat, cum educari ad decennium debebant pueri extra Brephotropium, locum modo sibi vindicet in Brephotropio, in quo a mammis amoti non indigeant nutrice, & educari valent ab illius Custodibus, saltem post quatriennium. Absurdum Sodales censent *septimum* de supplenda summa, quæ ad integram subsidii quantitatem data non fuit pueris ad decimum ætatis annum; nam charitativum subsidium non inducit obligationem. At insistunt Deputati Chirographo anni 1791. in quo præscripta pro pueris fuit manutentio *sino all' età di anni dieci, e nella medesima maniera, e forma, che si è praticato in passato*.

Succedit *octavum* de arbitrio Deputatorum prorogandi expositis subsidium ultra decennium; illudque sibi tribuunt Sodales uti bonorum Sodalitii dominis, sibi Deputati vigore rescripti 5. Augusti, ex concesso scilicet

licet ipsis Brephotropii regimine, & adempto Sodalibus arbitrio erogandi reditus Sodalitii. *Nonum* est, an reditus destinati ad alendos pueros, erogari etiam valeant in manutentionem Ecclesiæ ex Jesuitarum. Affirmant Sodales, quia Ecclesia illa per concessionem Pontificiam effecta est propria Sodalitii, ab eoque propterea manuteneri debet, *Matthæucc. Official.Cur. cap.* 14. *sub num.* 6., *Ursaya discept.* 19. *numer.* 37. *tom.* 6. *part.* 1., & quia expresse Summus Pontifex de hac manutentione cavit in Chirographo anni 1791. Negant contra Deputati, quia onus manutenendi Ecclesiam compensatum fuit per cessionem annui reditus scutorum 140.

Versatur *decimum* circa executionem Chirographi anni 1791. pro erectione Conservatorii. Pro executione, quam urgent Sodales, est juris regula apud *Rot. in Romana Deliberationis* 18. *Junii* 1779. §.9. *coram Reverendissimo de Bayane*. Eam vero non aliter permittendam arbitrantur Deputati, quam si, dempta manutentione Brephotropii, supersint reditus; nam præ omnibus *Sanctissimus* cavit in Chirographo = *Che debba rimaner fisso, ed immutabile l'altro pio istituto di ricevere, e far nudrire i bambini*. Utrique *undecimo* certant Collitigantes de hac agenda lite sumptibus pii operis: sed notandum, principaliter hinc inde agi de personalibus vindicandis juribus, non de tuendis bonis Sodalitii, & Brephotropii; quibus in terminis cedere debent sumptus in damnum litigantium, *Rot. cor. Olivat. decis.* 130. *num.* 4., *& seq.*

Dubia sunt.

An Deputati jus habeant interessendi comitiis Confraternitatis, in quibus capiendæ sunt resolutiones de rebus, & negotiis respicientibus pueros expositos, eorumque bonorum administrationem, & approbandi, vel reprobandi resolutiones in casu &c.

II. *An, & a quo tempore Confratres teneantur reddere rationem Deputatis de administratione bonorum, ac redituum ad pueros expositos pertinentium, & sub quibus pœnis in casu &c.*

III. *An Minister electus rationem reddere debeat Prioribus Confraternitatis, vel potius Deputatis, vel utrisque, aut saltem redditio rationis a Deputatis approbari debeat in casu &c.*

IV. *An electio Ministri Confraternitatis pro administratione bonorum, ac redituum domus expositorum, nec*

non

non eorumdem Custodis nuncupati Balio, *sive* Mamino *fieri debeat a Deputatis, aut saltem cum eorum consensu, & approbatione in casu &c.*

V. *An Confratres quo ad expensas faciendas in posterum pro manutentione expositorum, eorumque domus teneantur requirere consensum Deputatorum in casu &c.*

VI. *An menstruum salarium juliorum septem cum dimidio una cum utensilisibus pro usu puerorum dari debeat solum nutricibus lactantibus in casu &c.*

VII. *An pueris expositis, quibus datum non fuit integrum subsidium usque ad decimum ætatis annum, compensari debeat illud pluris, quod dari debuisset ad normam fundationum, vel antiquæ consuetudinis in casu &c.*

VIII. *An pro necessitate circumstantiarum liceat ultra decennium prorogare subsidium, etiam iis expositis, qui nec animi, nec corporis vitio inhabiles sunt ad comparandum sibi victum; atque hujus prorogationis arbitrium spectare debeat ad Deputatos in casu &c.*

IX. *An Confraternitatis reditus, ex fundatione, vel consuetudine destinati ad alendos expositos, erogari possint etiam pro manutentione Ecclesiæ ex-Jesuitarum a Sanctissimo concessæ dictæ Confraternitati in casu &c.*

X. *An, & quomodo sit locus executioni Chirographi sub datum 24. Septembris 1791. quo ad erectionem Conservatorii pro manutentione duodecim puellarum ex numero expositarum in casu &c.*

XI. *An, & quorum sumptu fieri debeant expensæ præsentis litis in casu &c.*

Dilata, & proponatur Dubium = *An constet de obreptione, & subreptione rescripti Sanctissimi* = & interim scribatur Eminentissimo Episcopo pro informatione, & voto juxta mentem, auditis.

LU-

Sess. 14. *cap.* 1. *de Reform.*

LUNEN. SARZANEN. Subdiaconus Joseph Chella per calumniam exposuit anno 1794. criminalem querelam adversus Sacerdotem Antonium Paita ob tentatam in ipsum igneæ balistulæ explosionem; ac pendente inquisitione ascendit ad Diaconatum. Re tamen per Sarzanensem Curiam cognita, absolutus fuit Sacerdos ex capite innocentiæ, damnatusque calumniator ad expensas, & damna, & ab illo deinde reconventus criminali pariter actione calumniæ. *Rebus deinde cum querelante compositis, ac desistentia per eumdem facta ab intentato contra oratorem criminali judicio, Fiscus ad ulteriora non processit, qui in hoc temporis intervallo plura dedit* (Diaconus) *argumenta emendationis, & pœnitentiæ*, ut Sarzanensis refert Episcopus. Idem modo supplicat Diaconus pro absolutione a censuris, & dispensatione ab irregularitate, & rehabilitatione ad Ordines; eique in hæc verba favet Episcopus: *Quibus argumentis pœnitentiæ, & constantis emendationis firmis manentibus censerem, aperiendo sensum animi mei, benigne impertiendam ab EE. Vestris Diacono Chella gratiam absolutionis a quacumque censura incursa, nec non dispensione ab irregularitate pariter incursa.*

Nullam profecto excusationem admittit Oratoris delictum, dum suam ipse fatetur calumniam. Sed dubitari posset, num *ipso facto* in canonicas inciderit censuras, deindeque in irregularitatem per ascensum ad Diaconatum, ejusque ministrationem. *In cap.* siquidem 1. *de calumniatorib.* mandavit *Gregorius Nonus*, Subdiaconum calumniatorem Sacerdotis, absque pæna dimissum, *subdiaconatus* (*quo indignus fungitur*) *privari officio*; ideoque requirebat privatio declaratoriam Ordinarii, seu ferendæ erat sententiæ, ut notat *ibi glossa verb. privari*, neque in in eam idcirco incidisse videtur Orator, quem Ordinarius, imposita dumtaxat expensarum, & damnorum pæna, dimisit. Atque ex hoc etiam sequeretur, solutum fuisse Oratorem a censuris, cum ad Diaconatum ascendit, & in ejus ordine ministravit, nec propterea irregularitatem contraxisse.

Morari tamen posset Eminentissimos Patres publica calumniæ infamia, quæ ipso jure suspensionem irrogat. *Fagnan. in cap. ad aures de tempor. ordin. nu.* 8., & speciem quamdam inducit irregularitatis, secundum

Van

Van. Espen. in jus. eccles. part. 2. tit. 10. cap. 6. nu. 13. & 14., & in hoc casu deliberandum esset de absolutione a censuris, & dispensatione ab irregularitate. Obstant sane gravitas delicti, breve ab eo commisso elapsum tempus, & nondum sequuta Oratoris solutio a pœna *capituli 1. de calumniatorib.* At veniam fortasse merentur compositio Partis, silentium Fisci, argumenta emendationis, & pænitentiæ, favor Episcopi, & character Oratoris, qui ab ecclesiastico recedere nequit statu. Similibus enim concurrentibus circumstantiis, indulgens etiam fuit Sacra hæc Congregatio homicidis *in Murana Irregularitatis* 12. *Martii* 1763., & *in Melevitana Irregularitatis* 15. *Decembris* 1787.

Quæritur itaque.

An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione, & dispensatione in casu &c.

Affirmative.

PHARAONEN. SUPPRESSIONIS ONERUM, ET ABSOLUTIONIS. Pia Domus Misericordiæ, quæ jamdiu in pharaonensi Civitate pro infirmis, & peregrinis erecta est, plurimis ab ipsa erectione gravabatur Sacrificiis, annuisque subsidiis dotalibus sex. Onera hæc præ redituum imminutione reducta fuerunt anno 1735., Missæ scilicet ad annuas 338., dotes ad tres. Ob maximum deinde terræmotum anni 1755. in Algarbiorum Regno, graviores Domus illa passa fuit calamitates in rusticis, urbanisque prædiis, & ab eo propterea tempore omissa sunt Sacra ad numerum duodecim circiter millium, & collatio dotium. Huc modo redacta res est, ut certi ejusdem Domus reditus annuam attingant summam scutorum circiter 800. monetæ romanę; ægrotantium, aliorumque piorum operum sumptus summam scutorum 1100. Qua de re illius Provisor, & Confratres *Sanctissimo Domino nostro* supplicarunt pro suppressione oneris Missarum, & dotium quo ad futurum, & absolutione quo ad præteritum. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, hactenus exposita confirmavit pharaonensis Episcopus, retulitque, parem non esse piam Domum celebrandis præteritis Missis, pro quibus *cum eleemosyna fere jam absoleta unius julii cum dimidio expendere necessum erit summam scutorum mille quingentorum, & eo amplius*; neque in ea Civitate existere Sacerdotes, qui cum tali eleemosyna celebraturi essent, tum præ exiguo ipsorum numero, cum ex hac potissimum ratione, quod ibi *omnia ad victum necessaria ad incredibilem caritatem redacta, postulant ut Missarum eleemosyna necessario augeatur, ut Sacerdotibus indigentibus possit quodammodo satis esse*: quo ad dotes vero ignorari, *existant nec ne integri etiam illi pauci reditus ob documentorum defectum* [quæ ex terræmotu perierunt cum aliis respicientibus legata Missarum] *& summam pro unaquaque dote relictam a Testatore, & etiam auctam post reductionem, esse hodie tenuissimum subsidium ad virginem in matrimonium collocandam.*

Atque hinc conclusit, *sanctum justumque mihi videri, Congregationem hanc piam, & in operibus charitatis semper se exercentem, benigne ab his oneribus liberare, quantum EE. Vestris, Sanctitatique insuper Suæ bonum æquumque videbitur. Omnia enim hæc onera olim prædiis injuncta [aliquando forsan satis imprudenter] optime supplentur per ægrotorum pauperum curationem. Eleemosyna siquidem, ut EE. Vestris satis notum, ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam. Accedit ulterius, consuetudinem esse olim Fidelium hic decedentium, ut Missarum onera relinquerent absque numero. pauperum ægrotantium parum, aut nihil recordati; hincque ortum habet hospitalium domorum paupertas. Tandem hæc pia Domus Misericordiæ, cohortationibus meis persuasa, incipit novam fabricam construere ad domum hospitalem ædificandam; quæ nova ædificatio est summe necessaria: parva enim domus, quæ hodie ægrotos recipit, indigna est, quæ Hospitalis nomine decoretur.*

Annui sane Hospitalis reditus nec pares sunt, Episcopo teste, illius sumptibus; ideoque vel pium restringendum videretur ægrotantium opus, vel onus supprimendum Missarum, & dotium. Pugnant autem inter se justitia, & charitas; una pro Testatoribus, qui suffragia præsertim voluerunt Missarum, altera pro ægrotis,

tis, & peregrinis, quæ illi cedit. Si aliquod propterea levamen meretur Hospitale, ex aliis potius, quam Missarum oneribus concedendum esset, secundum *Fagnan. in cap. ex parte num.34. de constit.*, & *Benedictum XIV. de synod. diœces. lib.13. cap. ult. §.23.*

Contra quidem urget juris præsumptio, quod Testatores, qui hereditates, & legata relinquunt Hospitali, primario respicere censentur ad opera pietatis, quæ in illo exercentur, secundario ad Missas, *Capon. discept. jur.351. num. 23. & seq. tom.5.*, quibus in terminis locus potius esse posset reductioni Missarum, ut observat *Passerin. de stat. homin. quæst. 187. tom.2.*, *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. tom.2. tit. de reduct. Missar. quæst.1190. num.2. & seq.* At cum Episcopo notandum, *consuetudinem esse olim Fidelium hic* [in pharaonensi Civitate] *decedentium, ut Missarum onera relinquerent absque numero, pauperum ægrotantium parum, aut nil recordati.*

Quamquam si præstantia spectetur charitatis erga paupere infirmos, maximopere a SS. Patribus, Sacrisque Conciliis commendata, testimonio *Thomasini de vet. & nov. Eccles. discipl. part.1. lib.2. cap.89. & 91.*, & *Ludov. Ant. Muratori de charit. christian. cap.12. & 27.*, absonum non foret consulere indigentiæ Hospitalis per suppressionem, vel suspensionem oneris Missarum. Simillimum porro exemplum est in *Cremonen. Suppressionis Onerum*. Quum enim cremonense Hospitale, ob auctum infirmorum numerum, alieno gravaretur ære, ei idcirco Sacra hæc Congregatio per rescriptum approbatum a *Benedicto XIV.*, ad decennium concessit *die 16. Februarii* 1743. suspensionem Missarum, Anniversariorum, & eleemosynarum, *exceptis iis per contractum acceptatis: injuncta tamen obligatione celebrandi in die infra octavam omnium Fidelium defunctorum unum Anniversarium applicandum collective pro omnibus, qui onera reliquerunt*. Atque hujusmodi suspensio prorogata fuit *die 10. Januarii* 1753. ad aliud quinquennium; iterumque *die 28. Februarii* 1761. ad decennium, ut in thesauro resolutionum illius anni.

Id quo ad futurum: quo vero ad præteritum, reprehendi possent Curatores pharaonensis Hospitalis, quod nec in parte saltem ab anno 1755. adimpleverint onera Missarum, & dotium, licet jampridem reducta; totque per annos implorare neglexerint gratiam, quam modo

postulant. At veniam fortasse merentur ob flagellum terræmotus, qui plerasque Hospitalis res perdidit; ut indultum etiam fuit Curatoribus Hospitalis cremonensis per citatum rescriptum *diei 16. Februarii* 1743. his verbis = *prævia absolutione*, & *condonatione quo ad præteritum*.

In deliberationem igitur venit,

I. *An & quomodo sit locus suppressioni, seu potius suspensioni onerum Missarum, & dotium in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ad decennium, celebrato Anniversario infra octavam omnium Fidelium defunctorum, applicando collective pro omnibus, qui onera reliquerunt.

Ad II. Affirmative.

Ses. 23. cap. 14. de Reform.

FERETRANA. Ruralis Ecclesia S. Antimi, in beneficium simplex erecta, posita est in territorio civitatis S. Leonis, juxta sacram feretrani Episcopi visitationem anni 1644., sed intra fines Parœciæ S. Biasii castri Majoli, secundum assertionem Sacerdotis Petri Camagli ejusdem Ecclesiæ Archipresbyteri, per testes comprobatam. Quæ fuerit illius erectio, ignoratur, ob corruptum ex passis ruinis archivium Majoli. Quantum vero antiquitatis tenebræ permittunt, ex nonnullis feretrani Seminarii juribus arguere licet, ei olim unitam fuisse. Constat siquidem ex publico mandati procuræ instrumento anni 1648., adeptam a Seminario fuisse possessionem *beneficii simplicis sub titulo S. Antimi existentis in territorio S. Leonis, omniumque rerum ad dictum beneficium spectantium . . stante unione de præfato beneficio facta ab Illmo, & Rmo D. Petro Cartholario, jam Episcopo feretrano usque ab anno* 1602. Ex antiqua rursus syngrapha anni 1659. locata apparent per ministros Seminarii ejusdem beneficii prædiola pro annua pensione scutorum sex, eaque descripta sunt in ejus codicibus anni 1666. inter alia ipsius bona. Et in ipso eadem Icone Ecclesiæ hæc existit inscriptio = *Ven. Seminarii Pinnæ* =

Si

Si fides præstanda est testibus ab Archipresbytero Camagli productis, retinuit ipse post suos decessores claves Ecclesiæ, eique adnexæ domumculæ, & præter parochiales functiones, celebrare ibi consuevit anniversarium festum S. Antimi, ac Sacramenta Pœnitentiæ, & SS. Eucharistiæ ministrare ad plenariam lucrandam indulgentiam, qua eadem ditata est Ecclesia. Circa annum tandem 1790. ad se Rector Seminarii possessionem revocavit Ecclesiæ, ecclesiasticas in ea expleri curavit functiones, locavitque adnexam domumculam. Atque hinc prohibuit feretranus Episcopus eleemosynarum collectionem, quæ sub Archipresbytero fieri solebat in Ecclesia. Læsa autem autumans Archipresbyter tum sua, cum populi jura ob ademptam facultatem celebrandi in eadem Ecclesia sacras functiones, & colligendi in necessarios sumptus eleemosynas, prætensa gravamina exposuerunt Sanctissimo; precibusque ad Sacram hanc Congregationem juxta ejus petitionem remissis, hactenus exposita confirmavit feretranus Episcopus, & hæc præ cæteris in sua informatione animadvertit. Prohibuisse inquit eleemosynarum collectiones ob earum abusum; *nam illarum, vel dimidium vel saltem pars non indifferens quæstuanti cedebatur, quod absonum omninò erat a recto quæstuationis fine.* Archipresbytero rursus Camagli non impediri exercitium parochialium functionum in Ecclesia, dum *claves Oratorii S. Antimi retinentur a quadam familia Menghini è Plaga, a cujus parentibus semper custodiebantur . . . & monitus fuit pro suo gubernio* [Archipresbyter] *ad hoc, ut quando & ipsi, aliisque devotis placuerit Ecclesiam Divi Antimi adire, scirent a quo expostulandæ claves.*

Locatam ipsuper dixit domumculam, ne in pessum iret, non pro injuria Parochi, qui illam *ingredi & commodum accipere potest ad sui placitum occasione functionum illa in Ecclesia peragendarum*; quodque *sive Ecclesia Divi Antimi ad suam sit adnexa parœciam, sive Archipresbytero S. Leonis, nullo modo jura parochialia perturbabuntur, neque lædebuntur*; hæc jura vero *nullimode se extendunt ad dominium bonorum, & Ecclesiæ,* quod est apud Seminarium. Probavitque tandem factum Rectoris Seminarii in revocanda ad se possessione Ecclesiæ; nam id fecisse affirmat absque injuria Parochi, *cui semper reservavit jura sua parochialia, & ut*

solitæ festivitatis celebrarentur, citra ullam obligationem, curavit. Præfixo autem partibus unius mensis termino ad deducendum jura sua in hac Sacra Congregatione, eoque jamdiu elapso, Causa tandem in contumaciam omnium proponitur.

Quæritur primo de dominio Ecclesiæ, & possessione bonorum beneficii. Si fidem profecto merentur assertiones Parochi Camagli, extructa fuit Ecclesia S. Antimi a majolensibus sub Ducibus Urbini, ab eoque tempore omnia asserti fundatores ad illius manutentionem, Sacrorumque celebrationem hactenus præstiterunt; ita ut ejusdem Ecclesiæ juspatronatus quæsiisse videantur *per Text. in cap. nobis de jurepat.*, & *in Can. filiis 16. quæst.7.*, *Pitou. de controv. patron. allegat.43. num.2.* Contrarium tamen suadere videtur unio beneficii S. Antimi, quam sufficienter probat antiqua enunciativa mandati procuræ anni 1648., *Rot. in recent. decis.580. num.1. part.4. tom.3.*, & *coram Seraphin. decis.1272. num.1.*, nec non bonorum possessio, & Seminarii inscriptio in Icone Ecclesiæ, ex qua arguitur dominium, *Sola de consuetud. Sabaudiæ de insig., & arm. gloss.2. num.7. vers. cum armis*, *Barbos. de offic, & potest. Episcop. par.3. allegat.72. num.50.* Qua de re in quadam sua epistola fassus fuit Archipresbyter Camagli, quod = *sù detta Chiesa niuna pretensione vi hò, o riserva di quei dritti, che convengono al gius parrocchiale*.

Quo ad secundum dubium, nulla de explendis in Ecclesia parochialibus functionibus est controversia; Nam Rector Seminarii *semper reservavit* [Parocho] *jura sua parochialia*, Episcopo teste; & de jure etiam fundatam habet Parochus intentionem super Ecclesias omnes suæ parœciæ, ut privative quo ad omnes sua in illis exerceat jura, *cap. dilectus de capell. monach.*, & *cap. fraternitatem de sepultur.* Controversia forsan esse posset inter Parochum Sancti Blasii, & Archipresbyterum S. Leonis, qui institit coram Episcopo judicialiter pro redintegratione super dicta Ecclesia jurium parochialium. Verum ad jura utrique Parocho sarcta tectaque servanda dubium tantum favore Parochi in genere proponitur. Unice propterea est quæstio de retentione clavium Ecclesiæ, ut liberum sit parochialium functionum exercitium, & usu domunculæ. Affirmat Parochus, semper se claves retinuisse, & de ædicula dispo-

suisse

suisse ad reficiendos Sacerdotes post expletas in Ecclesia functiones. Impugnat contra Episcopus Parocho assertam retentionem clavium, easque retineri affirmat *a quadam familia Menghini è Plaga, a cujus parentibus semper custodiebantur*; sub lege tradendi Parocho, *quando & ipsi, aliisque devotis placuerit Ecclesiam Divi Antimi adire*; nullum autem ait impedimentum esse, quin utatur Parochus domuncula (si inquilini permittant)

Ad tertium denique necessaria quodammodo videri posset eleemosynarum collectio, ut fieri nempe valeant sumptus celebrationis festi S. Antimi. Ponderandum tamen, num Episcopus, ad quem pertinet eam permittere, *Faguan. in quint. decretal. cap. cum ex eo de pœnit., & remiss. num.* 33., juste, nec ne illam prohibuerit. Rationabilis fortasse censeri valet prohibendi causa, quod *vel dimidium* (eleemosynæ), *vel saltem pars non indifferens, quæstuanti cedebatur*. Ut licita enim sit eleemosynæ collectio requiritur, *ut personæ, quæ colligent honestæ vitæ, & spectatæ Religionis sint, suoque judicio* (Episcopi) *approbatæ, ac minime propter hanc operam participes dictarum eleemosynarum*, veluti in hęc verba monet *Faguan. loc. cit. num.* 22.

Deliberare dignentur EE. Vestræ.

I. An, & ad quem pertineat dominium Ecclesiæ S. Antimi, adnexæ domunculæ, & bonorum beneficii in casu &c.

II. An, & quomodo liceat Parocho peragere in eadem Ecclesia sacras functiones in casu &c.

III. An sit permittenda eleemosynarum collectio in casu &c.

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad II. Affirmative quoad functiones parochiales tantum, traditis clavibus a custode, sumptibus Seminarii retinendo.

Ad III. Arbitrio Episcopi.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

RIPANA ONERIS MISSARUM. Uno testamento anni 1753. instituerunt *Marinus*, & Nicolaus Hyacinthus Lenti universalem eorum heredem Ignatium Natali; & quædam præ cæteris legarunt bona tribus Aquævivæ Parochis cum partito onere hebdomadalium Missarum octo, reservata sibi facultate = *non solo d' interpretare qualunque confusione, e difficoltà fosse occorsa nel presente nostro testamento, e fosse per insorgervi in futuro, ma anche di diminuire i detti legati a nostro arbitrio in modo, che sù ciò debba starsi alla determinazione del superstite di noi Testatori* = Præobiit Marinus, & superstes Nicolaus Hyacinthus per codicillos sequentis anni 1754. revocavit quoad se Parochorum legata = *revoco, ed annullo tutti li legati da me fatti in detto testamento a favore dei Curati, e Prevosto di Acquaviva... Servendomi poi della facoltà datami in detto testamento come superstite, di poter diminuire li legati in esso contenuti a mio arbitrio.... in quella porzione, che de jure avesse potuto spettare a detto Marino mio fratello diminuisco LI DETTI LEGATI ALLA SOLA METÀ, volendo, che li legatarj non possano conseguire SE NON LA SOLA METÀ DELLA PORZIONE, che de jure avesse potuto spettare al predetto Marino, restando però ferma LA SOLA METÀ de' pesi, e delle Messe, ed altro ingionto a detti legatarj nel predetto testamento; volendo, che per L' ALTRA METÀ di detti pesi siano soggetti li presenti miei legatarj in perpetuo, quali però dovranno farle celebrare in qualunque Chiesa, ed Altare, e da qualunque Sacerdote; E L' ALTRA METÀ POI DI PORZIONE voglio, che parimente si consolidi al legato fatto a favore del sudetto P. Teodoro Natali* (qui fuit unus ex legatariis codicillantis), *non compresavi però la possessione della Fonte di Cambio, volendo che la metà della porzione, che potesse spettare a detto Marino de jure, se alcuna glie ne competesse in detta possessione, si consolidi al legato fatto al Capitano Antonio Natali* = alteri nempe suo legatario.

Orta post obitum Nicolai Hiacynthi quæstione super quantitate legati inter Ignatium Natali heredem, & Parochos, composita tandem extitit anno 1759. per transactionem, per quam tradita fuit Parochis dimidia pars bonorum Marini cum onere hebdomadalium Missarum qua-

quatuor. Obito deinde Theodoro Natali, altero ex legatariis codicillantis, eodem instituto herede Ignatio Natali, curavit hic aliarum quatuor hebdomadalium Missarum celebrationem. Se vero plures post annos ab hujusmodi celebratione autumans immunem, Vestram præfatus Ignatius in id postulavit declarationem; seque contra læsos dixerunt Parochi per transactionem anni 1759., eo quod ob acceptam dimidiam portionem Marini, seu quartam partem bonorum legatorum in testamento, quarta etiam gravari debuissent parte oneris Missarum octo, imposita aliarum celebratione heredi. Utrisque autem favit ripanus Episcopus. Quo enim ad heredem ponderabat, legatum Missarum octo relictum in testamento, *non amplius integre vigere post codicillorum dispositionem ejusdem Nicolai, in qua illud pro medietate, idest pro ea parte, quæ suam respiciebat voluntatem, abolevit, & revocavit, & sic non teneri dictum Ignatium ad satisfactionem oneris quatuor Missarum, quod dictam medietatem constituebat, quodque non aliunde, quam ex voluntate ejusdem Nicolai suam mutuabat firmitatem.*

Quo vero ad Parochos, clarum affirmabat illorum gravamen = *Nam idem Nicolaus in eodem codicillo præter abolitionem legati, ut supra factam quatuor Missarum, reformavit etiam illud, quod a Marino fratre prædefuncto institutum fuerat, & salva remanente hujus medietate in favorem Parochorum, aliam transtulit in personam tum Ignatii supplicantis, tum qu. Theodori Natali, non solum quoad bona, sed etiam quoad onera Missarum* = ideoque æquum arbitrabatur, ut sicuti quartam acceperunt partem bonorum legatorum in testamento, ita *in quarta etiam parte oneris Missarum succederent, non item in medietate, prout est illud quatuor Missarum in hebdomada, in eodem instrumento ipsis impositum; alias nullum superfuisset onus in novis legatariis substitutis; maxime post abolitionem alterius medietatis superius prælibatam*. Atque in hec concludebat verba = *Læsivum ergo fuisse transactionis contractum, adeoque revocandum, maxime in favorem Ecclesiæ, existimo*. Silentibus per sexennium fere Partibus, Causa tandem neutra informante EE. VV. deliberationi subjicitur.

Dubia profecto non est revocatio legati Parochorum pro portione Nicolai Hiacynthi Lenti; nam aperti in id

 sunt

sunt illius codicilli. Pro medietate ergo revocatum etiam dici posset onus Missarum, libereque idcirco heredi relicta portio codicillantis, ut argumentatur Episcopus. Æquis rursus partibus distribuit codicillans intes Parochos, suosque legatarios portionem & onera Marini, & sic reduxisse censetur primævum Parochorum onus ad dimidiam dimidii partem, seu ad duplicem hebdomadalem Missam, suos gravando legatarios de alia oneris medietate, sive de alia duplici hebdomadali Missa. Atque hinc indebitum heres ferre videretur onus Missarum quatuor super libera portione codicillantis; lesi vero Parochi per transactionem, dum pro dimidia portione Marini integro ejusdem portionis gravati sunt onere, quod pro medietate spectaret ad legatarios Nicolai, ideoque revocanda esset læsiva transactio, vel ad æquitatem reducenda, gravando nempe Parochos æque ac Nicolai legatarios duplici Missa hebdomadali; *Pichard. instit. de interdict, lib.4. tit.15. art.5. num. 109. ad 115., Polit. de transact. dissert.3. num.34.tom.4.*

Si contra perpendantur codicilli verba, reductum forsan videri posset legatum quoad fundum tantum, non item quoad onus: quandoquidem codicillans scripsit = *Li legatarj* (nempe Parochi) *non possino consequire se non la sola metà della porzione, che de jure avesse potuto spettare al predetto Marino, restando però ferma LA SOLA META' de pesi, e delle Messe, volendo, che per L' ALTRA META' di detti pesi siano soggetti li presenti miei legatarj in perpetuo* = P. nempe Theodorus, & Antonius Natali. Recte propterea impositum dici posset Parochis onus hebdomadalium Missarum quatuor super dimidia portione Marini, quam per transactionem acceperunt, ac per annos triginta & ultra cum adimplemento oneris retinuerunt. Quoad Oratorem vero Josephum Natali, filium Ignatii interim defuncti, licet non teneatur pro portione Nicolai Hiacynthi Lenti ad aliarum quatuor Missarum celebrationem, fortasse tamen hoc gravatur onere uti mediatus heres P. Theodori Natali, cui in solidum cum Antonio Natali demandavit codicillans celebrationem *per l' altra metà in perpetuo*, vel saltem gravatur onere duplicis Missæ hebdomadalis, quatenus EE. Vestræ onus per codicillos ad quatuor tantum hebdomadales Missas reductum decernant. Fassus enim fuit Ignatius

Ora-

Oratoris pater in primo supplici libello, se heredem esse Fratrum Lenti, & P. Theodori Natali, & hoc etiam nomine plurimos per annos pro sua parte legatum adimplevisse.

Dubia sunt.

I. An, & quot Missarum onus incumbat Josepho Natali in casu &c.

II. An & quomodo quoad Parochos Aquævivæ sit servanda transactio in casu &c.

Ad I. Affirmative pro quatuor Missis hebdomadalibus.

Ad II. Affirmative.

PLACENTINA IRREGULARITATIS. Quum aspere nimis se gereret Sacèrdos Franciscus Antonius Mazzadi erga suos Parochianos Cornuli, perpetuasque cum illis haberet contentiones, translatus idcirco fuit ad Paræciam Strepeti; sed adeo apud novum etiam Populum offendit, ut recesserit præ timore vitę a Paræcia, quam placentinus Episcopus viciniori primum commendavit Parocho, deindeque Æconomo. Maxima interim anni parte degebat Placentiæ, æstivis vero mensibus pergebat ad Alpem ejus Patriam, Strepeto conterminam. At ineunte Augusto anni 1790. accessit cum nepote laiço, & nepte ad Casalem, parum ab Alpe dissitum, in quo celebrari solet festivitas S. Petri ad vincula illius Paræciæ Protectoris, ibique amasule ante vesperas jocatus fuit in cœmeterio Ecclesiæ cum Æconomo suæ Paræciæ, & altercari cepit cum Dominico Sbarbori strepetensi, qui ab illius erat partibus. Post vesperas perrexit cum nepote, nepte, Sbarborio, aliisque ad cauponam, & parvum supra illius cellam vinariam ingressi cubiculum, acris statim inter omnes, clamosa, & perturbatissima orta fuit rixa, in qua leviter sauciati fuerunt Joannes Bertolotti, Antonius, & Joseph Squeri, letale Joannes Bellomi accepit vulnus, ex quo post nonnullas horas munitus Saçramentis occubuit. *Sess. 14. can. 7. de Reform.*

Percrebuit statim rumor, hujusmodi vulnerum auctores fuisse Parochum, ejusque nepotem, nullaque interposita mora comprehensi utrique fuerunt a militibus loci, qui nullum apud eos invenerunt ferrum, licet deinde duo singulares testes asseruerint, unum inventum fuisse acutum pugionem in pavimento, alterum in cella vinaria. Inde traducti fuerunt rei ad carceres Prætorii Complani, ibique retentus fuit Parochus nomine Ecclesiæ, nepos auctoritate Prætoris. Hinc re ad Vicarium foraneum Episcopi delata, suos ille ad locum delicti misit Ministros, qui de omnibus inquirerent. Paullo ante obitum igitur sub juramento affirmavitBellomius, se a Parocho vulneratum fuisse. Hoc ipsum dixerunt Joannes Bertolotti, & Joseph Squeri; Antonius vero Squeri proprium tribuit vulnus illius nepoti. Ex aliis novem examinatis testibus nemo sauciantem vidit Parochum: duo de alapa deposuerunt per eum inflicta Sbarborio initio rixæ; *unde*, ut notat Episcopus, *in dubium verti non posse videtur quominus Rector illius particeps fuerit*: tres præter saucios, de visis respective pugionibus in manibus patrui, & nepotis; totidem de viso gladio in manibus nepotis tantum; omnes de publica in Parochum fama, uti auctorem delicti.

Tertio mense dimissus fuit nepos cum præcepto de se repræsentando. Ad hæc vero per Curiam episcopalem damnatus fuit patruus: ut solveret nempe emolumenta Fisci; aliaque scuta 52. 95. in pia opera: per triennium uti relegatus maneret Placentiæ: se tanquam irregularem gereret, ideoque Parochiam intra mensem dimitteret: & ne per quinquennium ad Vicariatum accederet Complani. Hisce autem omnibus, præter relegationem, & exilium a Complano, adimpletis, *Sanctissimo* supplicavit pro dispensatione ab irregularitate; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, nil ad se relatum dixit Episcopus contra illius vitam & mores, ex quo morabatur Placentiæ, ejus vero dispensationem ab irregularitate parere posse admirationem, & scandalum in Populo. Qua de re sub die 21. Aprilis 1792. rescripserunt EE. Vestræ = *Habebitur ratio expleta poena relegationis, & exilii a Vicariatu Complani*.

Hac igitur expleta poena, redit nunc Orator pro gratia; & refert Episcopus, conjunctos omnes occisi Bellomi illius

illius petitioni assentiri; vitam toto relegationis tempore egisse Oratorem *ecclesiastico viro dignam*. Ideoque censet =*benigne ab irregularitate dispensari posse, optataque libertate donari exercendi Divina, eique in hac Civitate, cæterisque locis, ad quæ vel non pervenit, vel evanuit memorati homicidii insimulatio, Missam celebrandi; indicta tamen lege, ne ad præmissum Vicariatum celebraturus accedat, nisi post certos adhuc annos: alias obortæ suspiciones, & dicteria facile possent renovari*.

Haud certo siquidem irregularis videri posset Orator ex homicidio, de quo satis ex processu non constat. Nemo enim ex pluribus spectatoribus illum vidit ferientem, eorumque depositiones de viso saltem in ejus manibus pugione, vel unicæ sunt, vel singulares, ut prænotatum est in facto. Contrarium vero suadent reliquæ circumstantiæ per Episcopum expensæ, contrarium episcopalis Curiæ sententia, quæ sufficienter probatum supponit delictum ad contrahendam irregularitatem ex infamia juris, *Ferrar. in biblioth. verb. infamia num. 9. & seq.* Certissima accedit infamia facti ex vulgata opinione delicti, de qua omnes conveniunt testes; & ex qua etiã contracta per Oratorem censetur irregularitas, ut decrevit Sacra hæc Congregatio *in Novarien. 1. Octobris* 1661. *lib. Decretor.* 22. *pag.* 667.

Deliberandum igitur de dispensatione; eamque præsertim impedire videtur recens memoria delicti, quæ nondum per sexennium deleta est, ad tradita per *Rot. in Melevitana Pecuniaria* 8. *Februarii* 1751. §. 15. *cor. clar. mem. Elephantutio*. Eo magis, quia commissum fuit homicidium in caupona, in qua contra sanctitatem ordinis sacerdotalis erat Orator; valdeque propterea Episcopus ipse timet, quin renovata per dispensationem talis delicti memoria, scandalum oriatur in Populo. Nisi rigida vero sit exequenda dispositio *capituli 1. de homicid. volunt. vel casual.* de perpetuo arcendo homicida ab Altari, veniam mereri posset Orator, qui Fisco, & Parti satisfecit, vitam a commisso homicidio egit *ecclesiastico Viro dignam*, & veluti jam promotus ad Sacerdotium, indecenter mendicare cogeretur, contra æquitatem *Textus in cap. 2. de cleric. pugnan. in duell.* Quatenus autem EE. Vestræ annuendum censeant illius precibus, monet Episcopus, ne tam cito

to permittatur celebratio Missæ in loco commissi delicti.

Quæritur ergo.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess.22.cap.6. de Reform.

TURRITANA CAPELLANIÆ. Pia mulier Elisabeth Murgia Culcinagiù perpetuam anno 1732. instituit capellaniam (quibus oneribus, non constat) & in primum nominavit capellanum Sacerdotem Josephum Budroni, reservato post illius obitum Archiepiscopo turritano jure nominandi futuros capellanos, quos semper voluit illius civitatis oriundos. In dotem autem hujusmodi capellaniæ sua omnia reliquit bona, inter quæ vineam incultam, cujus alienationem permisit Joanni Budroni executori testamentario, ut illius pretium, in aliis frugiferis prædiis occupatum, accresceret capellaniæ. Post obitum fundatricis consultius executori testamentario visum fuit meliorare, quam distrahere vineàm, ut rem gereret utiliorem capellanię, suoque filio Josepho in primum capellanum nominato. Ne vero in alieno ædificare videretur solo, meliorandi licentiam a turritano obtinuit Archiepiscopo, vocato coram eo Procuratore generali Ecclesiarum illius Diæcesis; deindeque moriens capellaniæ addixit melioramenta, ad sardas libellas 400. confecta.

Joanne Budroni defuncto, vineam gravi cum sumptu libellarum 2000. in olivetum convertit Sacerdos Joseph Budroni illius filius, & primus capellanus, itaut auctus sit illius valor ad libellas 3000., illudque modo meliorem capellaniæ fundum constituat. Neque autem animum habuit donandi capellaniæ hujusmodi melioramenta, sed ea se donaturum declaravit, quoties facultatem sibi concederet Archiepiscopus nominandi in successorem capellanum Sacerdotem Joannem Baptistam Marras ejus nepotem, & civem oppidi Claramonti ariensis Diæcesis. Hac tamen spe dejectus tum ob conceptum ab Archiepiscopo timorem simoniæ, cum ob deficiens in ipso turritanæ civitatis requisitum, ea melio-

lioramenta eidem donavit nepoti, qui illa sibi per sententiam ejusdem Archiepiscopi adjudicari obtinuit.

Adhuc tamen hic paratus est omne suum jus dimittere favore capellaniæ, dummodo permittatur ejus nominatio in successorem capellanum; ideoque supplicat pro dispensatione super crimine simoniæ, & defectu civitatis; eìque favet Archiepiscopus in hæc verba = *non può essere, senonche favorevole al Sacerdote Marras il mio voto, e sentimento; perche, non essendo lui il cappellano, cesserebbe in parte questa cappellania, dovendo il medesimo rimborsarsi del valore di 2000. lire sarde per i succennati miglioramenti; laddove colla cessione de medesimi per fondo della cappellania, s'impingua di molto la medesima non solamente nel fondo, ma eziamdio nel reddito, e si rende perpetua con grande utilità de successori, e della causa pia. E tanto più mi confermo in questo sentimento, quantoche si può presumere di legieri essere questa la volontà della Testatrice, la qualè conoscendo impare il predio sudetto divisato per una perpetua cappellania, lasciò in arbitrio dell' Esecutore testamentario la vendita del medesimo. Ridondando quindi in beneficio della Testatrice la perpetuità di questa cappellania, è da presumere, che la medesima aderirebbe a questa unione de' miglioramenti fatti, ed alla nomina in cappellano del supplicante Sacerdote Marras, che colla prelodata condizione vuol cedergli perpetuamente.*

Dubitari siquidem posset de jure repetendi melioramenta facta in fundo capellaniæ, & de justitia sententiæ turritani Archiepiscopi, qui illa Sacerdoti Marras donatario addixit. Agitur enim de melioramentis factis a possessore ejusdem capellaniæ, quæ regulariter in illius beneficium cedunt, ut notant *Gloss.*, & *Doctores in cap. primo de pecul. cleric. & in cap. 1. de testamen.*, & firmat *Garz. de expensis, & meliorat. cap. 11. n. 7.* Notandum tamen, quod de unica agitur nominatione favore nepotis meliorantis, qui optimè de capellania meritus est ob auctum ejus fundum, & reditum; quod nulli per eam fieret injuria, quum Archiepiscopus, qui jus habet nominandi, in illam consentiat; incerti sint Sacerdotes turritani nominandi; etsi Sacerdos Marras turritanus non sit a nativitate, talis tamen haberi potest per acquisitum domicilium, & plurium annorum incolatum; quodque idem Sacerdos jam pro se habet sen-

sententiam; pro cujus revocatione gravissima opus esset, & inutili forsan lite. Utilis propterea videri posset nominationis gratia, per quam omnis præsertim averteretur lis, *per Text. in cap. finem litibus de dol., & contuma., & leg. causas Cod. de transact.*. Et in id fortasse Testatrix, si viveret, conveniret, dum per imperatam incultæ Vineæ venditionem, de melioranda capellanię conditione sollicita fuit.

Morari posset Emos Patres simonia, qua infecta videtur cessio juris temporalis pro capellania, quæ est quid spirituale, *Redoan. de simon. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. Notandum vero, quod non deduxit Orator cessionem melioramentorum in pactum pro obtinenda vicissim facultate nominandi nepotem ad capellaniam, sed ut id fieri liceat, ab hac postulat Sacra Congregatione. Cessat profecto simonia, ubi aliquid policetur temporale pro spirituali auctoritate legitimi Superioris, *cap hanc de renunc., & cap. cum pridem de pact., Redoan. de simon. part.*9. *cap.*15. *num.*36.

In deliberationem igitur venit.

An, & quomodo sit permittenda nominatio Sacerdotis Marras ad capellaniam, de qua agitur, in casu &c.

Die

Die Sabbathi 30 Julii 1796. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PLACENTINA IRREGULARITATIS. *Ses. 14. cap. 7. de Reform.*
An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Negative.

TURRITANA CAPELLANIÆ. *Ses. 22. cap. 6 de Reform.*
An, & quomodo sit permittenda nominatio Sacerdotis Marras ad capellaniam, de qua agitur, in casu &c.

Affirmative juxta votum Archiepiscopi.

SCEPUSIEN. SERVITII CHORI. Ad radices Montis Carpati, qui scepusiensem Pannoniæ proviciam a polona dividit Gallicia, posita est Ecclesia S. Martini, Collegiata olim sub jurisdictione strigoniensis Archiepiscopi, nunc Cathedralis sub proprio scepusiensi Episcopo, quem *Sanctissimus Dominus Noster PIUS VI.* instituit anno 1776., eaque cum domibus canonicalibus decem, aliisque tribus muro circumseptis, episcopalem constituunt Civitatem, licet Episcopus in castro resideat Scaunik. Dimidio in ea Civitate hiemat anno, & rigidus ex nivibus aer fit rigidissimus ex ventis, qui a Mari flant glaciali. Constabat olim Capitulum Canonicis quatuordecim, nunc decem; annuique *Ses. 24. cap. 12. de Reform.*

 no-

novissimi Canonici reditus in florenis consistunt 1050., seu scutis romanis 525.

Vigente Collegiata, quædam de servitio Chori, & Missa conventuali proposuit Capitulo clar. mem. Cardinalis Pazmani strigoniensis Archiepiscopus, & Primas Pannoniæ, in Sacra Visitatione anni 1629., eique Capitulares omnes responderunt, I. *Adverte etiam in eos, qui a choro ex Canonicis absunt, ut pro rata absentiæ puniri possit quisque a Præposito. & Capitulo* = II. *De residentia responderunt, eam in hac Ecclesia summe esse necessariam, eo quod, præter alia occurrentia, Divinum quoque Officium per Canonicos debeat perfici. Quod igitur infra in Statutis in hac parte continetur, id diligenter observari, ac præter Cantorem, Vicarium quoque ad absentes, ut ii puniri possint, advigilare debere, exceptis iis, qui in publicis negociis, ac executionibus versarentur, vel notabili infirmitate detinerentur* = III. *Divinum Officium, utpote Matutinum, Laudes, & Horas canonicas decantari per Canonicos, Succentores, & Scholares. Tam hararum autem, quam Sacri decantationem tanquam per Officiantem, fieri debere per Canonicum, seu hebdomadarium, juxta præbendarum seriem designatum. Post prandium vero pro Vesperis; ac tunc signo cum tribus campanis dato, rursus Canonicos in Ecclesia convenire, hocque fieri ex majorum hujus Ecclesiæ perpetuo observata consuetudine, nec se ex hujusmodi a suis majoribus accepta consuetudine quidquam diminuere* = IV. *Residentiam personalem in hac Ecclesia omnes, qui canonicatum cum præbendis obtinent, facere tenentur; idque præter multiplices alios labores, maxime Divinum Officium, quod per se ipsos quoad omnes partes Canonici peragere tenentur*. Et V. *Demum cujus vocationis potissima pars esse cognoscitur in conspectu Angelorum matutinas preces, Horasque canonicas digne, & devote Deo psallere. Curandum igitur est Canonicis Ecclesiæ nostræ, ut his precibus, ac Horis diligenter in choro insistant, nec eas ulla ratione prætermittant, quas distincte quoque ac devote, & sine præcipiti aliqua volubilitate psallere debebunt*.

Antiquæ istæ Capituli responsiones, quæ *Pazmaniana* appellantur Statuta, observatæ fuerunt juxta scepusiensem Episcopum ad annum circiter 1773., vel 1774.; adeo ut pœnæ pecuniariæ a negligentibus exactæ, in uti-

utilitatem cesserint Capituli. Sequentibus vero decem annis remissior fuit chori disciplina; ac triennio tandem Sedis Episcopalis vacantis *tota disciplina* (sunt verba Episcopi) *in eo per consuetudinem, seu potius abusum introduci ceptum constitit, ut solus officians hebdomadarius Canonicus adstiterit choro, per unum, aut duos Capellanos cum quatuor laicis Choralistis decantari solito*.

Secundum Canonicos contra, fere omnes ex inveterata Pazmanianorum Statutorum intelligentia, & privilegiis Apostolicis, per annos nempe centum, & ultra, fere omnes interesse consueverunt choro in majoribus solemnitatibus, Dominicis, festisque præcipuis anni, reliquis vero diebus unus præfuit hactenus choro Canonicus hebdomadarius cum uno pariter hebdomadario Capellano, & quatuor Cantoribus sæcularibus mercede conductis. Diebus rursus Dominicis, & festis Missam hactenus cecinit conventualem Canonicus ipse hebdomadarius; profestis vero Capellanus pariter hebdomadarius præsentibus Canonicis; & privatam denique alteram conventualem, quo die erat celebranda, Capellanus non hebdomadarius celebravit.

De hac disciplina questus fuit anno 1782. apud EE. VV. decessor Episcopus Szalbek occasione Visitationis Sacrorum Liminum: sed eam, morte prçventus, restituere non potuit, ut ei in responsione commendaverat Sacra Congregatio in hæc verba = *non dubitamus, quin labefactatam in Cathedrali tua chori disciplinam, de qua merito sollicitus es, pro tua vigilantia sis restituturus* = Æque vero sollicitus de illa fuit hodiernus Episcopus, eique occasione pariter Visitationis Sacrorum Liminum Sacra Congregatio rescripsit die 20. Decembris 1793., quod = *Divini Officii ratio ita per Canonicos habenda est, ut nisi per Apostolicum indultum aliter inductum sit, etiam feriatis diebus choro intersint*.= Has igitur Antistes ipse, ex facultate, ut asserit, condendi Statuta, sibi die 19. Mensis Septembris 1793. a Sac. Congregatione Consistoriali tributa, edidit Constitutiones.

„ Quoniam observatum esset, diebus, quibus plures
„ Missæ per rubricas ecclesiasticas prçscribuntur, haud
„ celebrari, sed solum unicam Conventualem per Ca-
„ pellanum hebdomadarium, curam Animarum ea
„ hebdomada non habentem, decantari; hinc, ut gra-

„ viter obliganti legi ecclesiasticæ, plurimisque hoc „ in merito a Sac. Rituum Congregatione interventis „ decisis fiat satis, præcipimus, & obligamus Canonicos nostræ hujus Ecclesiæ, ut pro singulo die plures Missas præcipiente, præter Capellanum hebdomadarium, principalem Missam conventualem decantaturum, Canonicus unus, aut pro numero Missarum præscriptarum duo deputentur, qui eandem, vel easdem decantet, aut decantent ipsi, aut vero alium Presbyterum, vel Presbyteros sui loco deputet, vel deputent, numquam vero alter Capellanus, ea hebdomada curam Animarum gerens, pro Missa dicenda adhibeatur, ideo ut is semper paratus sit ad obeundum munus suum, dum repente ad infirmum evocaretur. Et quemadmodum Missa conventualis principalis semper pro Benefactoribus necessario applicanda erit, de quo Capellani edoceri debebunt, ita altera, vel binæ aliæ per Canonicum, vel Canonicos, aut per substitutum, vel substitutos decantandæ pro Benefactoribus necessario offerendæ non erunt. Interim tamen præsentibus ad tenorem Bullæ Benedicti XIV., & complura S. R. C. decisa obligamus deputatum, vel deputatos Canonicos, ut substitutum vel substitutos Presbyteros, qui eatenus per substituentem, vel substituentes edoceri debent, gravissime obligamus, ut defunctorum hujus Ecclesiæ Benefactorum memoria fiat; volumus præterea, & præcipimus, ut omnibus his Missis, quæ interpolatis ad præscriptum sacrarum rubricarum horis decantari debebunt, omnes Domini Canonici præsentes adsint, indulgendo tamen eisdem, ut de hieme, excepta principali Missa, quæ semper in Ecclesia celebrari debet, altera, aut binæ aliæ in adnexa Ecclesiæ Sacristia ob frigoris incommodū dici queant.

„ Ad secundum = Pro diebus, quibus plures Missæ dicendæ fuerint, ordinem præfiget Dominus Cantor ex officio, juxta ordinem Dignitatum, & Stallorum.

DE MISSIS VOTIVIS.

„ Præmissis Sacræ Rituum Congregationis decisionibus, videlicet = 1. Missæ votivæ de SSmo Sacramento, Beatæ Mariæ Virginis, & cæteris Sanctis, item pro De-

„ Defunctis in cantu fundatæ, dici non possunt in du-
„ plicibus, aliisque diebus duplicia excludentibus; uti
„ sunt vigilia Nativitatis Domini, dies Cinerum, Heb-
„ domada major, octava Paschæ, Pentecostes, &
„ Corporis Christi, item Dominicæ omnes privilegia-
„ tæ; sed cantari debent Missæ de festo currenti cum
„ applicatione Sacrificii justa decretum editum die 19.
„ Maii 1614. *in Turritana*. Sicque satisfieri, & Be-
„ nefactorum mentem impleri, non obstante quacum-
„ que consuetudine in contrarium, declaravit S. R. C.
„ 24. Julii 1683. *in Ruremunden.* 2. substitui debent
„ Missæ de festo, pro votivis in cantu fundatis, die-
„ bus impeditis, & ex rationabili causa ab Ordinario
„ dignoscenda, & approbanda satisfieri posse lectis
„ loco cantatarum statuit S. R. C. 23. Decembris 1758.
„ in una *Vilnensi*. 3. Dum præter Missam conventua-
„ lem cantatur Missa votiva ex fundatione, in hac Mis-
„ sa non debet fieri commemoratio festi, de quo can-
„ tatur Missa conventualis, S. R. C. 23. Junii 1736.
„ *in Burgen.*

„ His inquam præmissis = I. inhibemus, ne Missæ voti-
„ væ in quibuscumque duplicibus etiam minoribus,
„ & duplicia excludentibus, uti sunt vigilia Nativita-
„ tis Domini, dies Cinerum, Dominica Palmarum
„ cum Hebdomada majori, octava Paschæ, Penteco-
„ stes, & Corporis Christi, item omnibus Dominicis
„ privilegiatis dicantur, sed Missa de festo currenti
„ cum applicatione decantetur. In diebus autem pri-
= vilegiatis servetur antiqua consuetudo = II. indulge-
„ mus, ut leviori infirmitate affecto, aut ob pectoris
„ exilitatem, vocisque raucæ sonum loco votivi can-
„ tati, lectum dici valeat = III. cum in Cathedrali Ec-
„ clesia nostra Missa conventualis quotidie decantan-
„ da sit, ideo inhibemus, nè in Missa votiva com-
„ memoratio festi fiat = IV. occurrente festo semidu-
„ plici, dici poterunt Missæ votivæ pro ratione feriæ
„ occurrentis = Votivæ hæ Missæ ita partiendæ in
„ dies erunt, ut nunquam plures, quam tres ad sum-
„ mum una die absolvantur. Ut certi simus, Missas
„ fundatas altariales per Canonicos nostros rite omnes
„ absolvi, suademus, ut seu in Directorio suo, seu
„ alibi accuratæ prænotent, quas Missas, & pro quo
„ absolverint, ne secus interveniente alicujus morte,
„ & non adinventa simili prænotatione, ex substantia
De-

„ Decedentis stipendium non prænotatarum Missarum
„ desumere cogamur .
„ Ut ordo Divinus debito tempore, & modo fiat, sequentem tenendum præcipimus; & quidem

DIEBUS FERIATIS.

„ Constituimus I. ut tertio quadrante pro octava detur „ pulsus campanæ majoris . Hora octava convenien„ tibus Canonicis , cantetur Prima ; post hanc Missæ; „ post has Hora Tertia ; tum fiat Missa conventualis , „ sub qua reliqui Canonici votivas non celebrantes , „ privatas absolvere poterunt . = Post Conventualem „ demum dicetur Sexta , & Nona = II. Quo die Missæ „ conventuales plures occurrunt , ad præscriptum ru„ bricarum interpolatis horis dicendæ erunt cum præ„ sentia omnium Canonicorum = III. Dum nulla voti„ va celebrabuntur , pulsus campanæ detur media „ Nona , ac convenientibus Canonicis , cantabitur Pri„ ma , ac peragantur reliqua eo modo , quo supra di„ ctum est = IV. In Quadragesima Missa conventualis „ tantum ad Elevationem cantetur , post Elevationem „ vero absolvantur Sexta , & Nona . & Vesperæ . Ad „ Vesperas extra Quadragesimam hora tertia quadran„ te, ad tertium dato pulso, comparebunt, ac hora ter„ tia Vesperis assistent , dein dicto Completorio more „ solito finient Officium ejusdem diei,ac sequentis diei „ Matutinum , ac Laudes absolvent .

DIEBUS FESTIS, ET DOMINICIS.

„ Constituimus , ut dato tertio quadrante ad octavum „ pulsu , ac convenientibus Canonicis hora octava can„ tetur Prima , in qua Capellanus hebdomadarius can„ tabit Martyrologium cum aliis , quæ Succentor can„ tare solet . Post Primam fiat Sacrum parochiale , sub „ quo Canonici , qui volent Sacrum celebrare , pos„ sunt . Post hoc erit Concio , sub qua in Ecclesia Sa„ crum celebrari inhibemus , ne Populus in exaudien„ do verbo Dei turbetur . Ad Ecclesiam sub medium „ Concionis detur secundus pulsus , quo audito con„ veniant Canonici , ac cum fine Concionis tertius da„ bitur pulsus , dein vero si Episcopus pontificare vo„ luerit , procedant omnes sub Cruce capitulari soli-
to

„ to ordine ad residentiam episcopalem pro eo ad „ Ecclesiam perducendo. Episcopo jam in Faldistorio „ sedente, inchoante Episcopo Deus in adjutorium „ &c. cantetur hora Tertia, dein est Missa solemnis. „ Dein reducto ad residentiam Episcopo, cantabitur „ hora Sexta, & Nona. Si vero Episcopus non ponti- „ ficat, statim finita Concione cantatur Tertia, tum „ Missa solemnis, post quam hora Sexta, & Nona ab- „ solvetur.

AD PUNCTA RELIQUA DE OFFICIO DIVINO SONANTIA.

„ Constitutionem hanc nostram ordimur verbis ipsis „ Constitutionum vestrarum, quas vobis, Venerabiles „ Fratres, magnus ille, & optimæ recordationis Car- „ dinalis Archiepiscopus strigoniensis, & Metropoli- „ ta, Primasque Regni Petrus Pazmany præscripsit: „ *Licet omnium, qui Christo nomen dederunt videatur* „ *esse ut aureum istud S. Pauli Apostoli monitum =* „ *obsecro, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati* „ *estis = sæpius animo revolvant, unde illud fiat, quod* „ *alibi rursus monet, ut sint sollicitudine non pigri,* „ *spiritu ferventes, Domino servientes; iis tamen, qui* „ *in sortem Domini peculiari ratione electi sunt, longe* „ *majori ratione attendendum est, ut videant vocatio-* „ *nem suam, eaque digne ambulent, cujus vocationis* „ *potissima pars esse cognoscitur in conspectu Angelo-* „ *rum, matutinas preces, horasque canonicas digne,* „ *& devote psallere.* Huc usque verba magni Præsu- „ lis, & Metropolitæ.

„ Et sane militans in Terris Ecclesia Christi ad imitatio- „ nem cœlestis Hyerusalem extollitur, quemadmo- „ dum enim cœlestis Militiæ, & Beatorum Angelo- „ rum multitudo Deum sine cessatione collaudant, „ ita sublimes hosce Spiritus militans Ecclesia Deum „ assidue in Psalmis glorificando æmulari non desinit. = „ Quoniam vero Fideles hujus sæculi sollicitudinibus „ irretiti, Deum constanter laudare non poterant, Ca- „ nonicorum Collegia ideo cum primum instituta, & „ pia Regum, Primorumque Regni liberalitate, & „ bonis cumulata sunt, ut Sanctum, & terribile „ Nomen Domini in Hymnis, & Canticis laudent,

Dei-

„ Deique misericordiam, & gratiam tanquam legati „ publico sumptu stipendiati exorent .

„ Nemo certo vestrum est, Venerabiles Fratres, qui ex „ mente Sacrorum Canonum, disciplinæ ecclesiasticæ, „ Conciliorumque decretis, denique ex ipsa Canoni- „ corum institutione non plene pervideat, singulum „ vestrum ad omnes Officii Divini horas per sese de- „ cantandas obligari. Quid autem clarius *Concilio Tri-* „ *dentino*, cui obedientiam præstare oportet? Quod „ *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 12. ait: *Omnes Divina per* „ *se, & non per substitutos compellantur obire officia,* „ *atque in choro ad psallendum instituto Hymnis, &* „ *& Canticis Dei Nomen reverenter, distincte, devo-* „ *teque laudare*. Id ipsum explicuit *Benedictus XIV.* „ sapientissimus, & doctissimus Pontifex in Consti- „ tutione quæ incipit: *Cum semper oblatas*, ubi in „ fine monens Episcopos inquit: *Quamobrem Vestrum* „ *erit, Venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire,* „ *ut neque Nobis, neque Vobis apud Divinum Judicem* „ *fraudi sit, si in hujusmodi re, quæ tanti est mo-* „ *menti, utpote quæ ad ipsius Dei cultum proxime* „ *spectat, abusus & corruptelas, quas arguendo, &* „ *increpando evellere debebamus, dissimulatione, ac* „ *silentio nostro fovisse, & confirmasse inveniamur*.

„ Nos itaque, præ oculis habentes unice Omnipotentis „ Gloriam, conscientiæ nostræ, vestræque quietem, „ SS. Concilii Tridentini, Canonumque sancita, ac „ aliarum Ecclesiarum, signanter Metropolitanæ Ec- „ clesiæ disciplinam, necnon provincialium Synodo- „ rum Hungariæ decreta; Statuta denique immortalis „ Pazmani vobis præscripta secuti, authoritate nostra „ ordinaria declaramus, omnes, & singulos Cathe- „ dralis Ecclesiæ nostræ Dignitates, & Canonicos, non „ tantum Missæ conventuali pro ratione præscripta- „ rum rubricarum uni, aut pluribus, sed etiam om- „ nibus Horis canonicis reverenter interesse, & non „ per substitutos, sed per sese quemlibet ad psallen- „ dum obligari.

„ Piam hanc Ecclesiæ disciplinam statim a publicatione „ hujus nostri decreti cum omni rigore, juxta SS. Ca- „ nonum, cum primis vero *SS. Concilii Tridentini* sen- „ sum in effectum etiam perduceremus; verum dif- „ ficultates quaspiam huic Ecclesiæ, climatique pro- „ prias deprehendimus. Quare ut non solum necessi-

tati,

„ tati, imbecillitatique humanæ, sed & conscientiis „ nostris, vestrisque consuleremus, recurrimus nostro, vestroque nomine ad Sedem Apostolicam petentes Nobis, nostrisque successoribus, nec non Capitulo, & Canonicis hujus Cathedralis Ecclesiæ concedi facultatem condendi Statuta; precibusque nostris eo facilius inclinata *Sanctitas Sua Pius VI.* Pont. Maximus, quod in decreto erectionis Episcopatus hujus facultas hæc plene remissa sit, petitam nobis facultatem submisit. In hac expressum est, quod quoad personalem residentiam, & servitium chori juxta circumstantiarum qualitates, & judicium Episcopi, tempus, & numerum Canonicorum statuere possint, & valeant. Itaque cum Ecclesia hæc una cum toto Capitulo in monte sit posita, ad quam glaciali via ascensus sane difficilis, arduus, & periculosus est, viris cum primis, qui maxima parte vitæ suæ diuturnis in vinea Domini laboribus attriti, Capitulumque inclinata jam ætate ingressi sunt, ægre pro omnibus canonicis horis assidue decantandis quotidie omnes in complexo ascendere valerent; idcirco obligationem hanc Officii Divini horas omnes per sese psallendi temperamus, & ad solos hos dies restringimus, ita quidem, ut in Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, in festo Epiphaniæ, triduo Tenebrarum, Dominica Resurrectionis, Ascensionis, festo Corporis Christi, Pentecostes, in festivitatibus Annunciationis, & Assumptionis B. V. Mariæ, in festo Apostolorum Petri, & Pauli, in festo Titularis Ecclesiæ S. Martini Episcopi, & Confessoris, in anniversario die Dedicationis Cathedralis Ecclesiæ, festo S. Stephani Regis Hungariæ, ac omnium Sanctorum; his inquam diebus totum Capitulum, nemine (absque gravi causa per Nos, Successoresque nostros dignoscenda) excepto, in corpore, idque a primis Vesperis choro intersit, & omnes Horas canonicas semper in Ecclesia seu hieme seu æstate reverenter, distincte, devoteque psallendo absolvat, nisi gravem animadversionem nostram, & Successorum nostrorum incurrere velit; reliquis vero diebus Dominicis, & festis, ac feriatis, cantu huc dum consueto absolvent serio, & distinctim, monentes, & præcipientes, ut præscripti ritus in psallendo, & dicendo

„ Officio Divino per singulum exactissime observen-
„ tur, ita ut cum standum, aut flectendum fuerit,
„ stent, aut flectant, dum caput inclinandum, v. g.
„ ad Gloria Patri, caput inclinetur, dum Crux for-
„ manda, per singulum formetur, ita ut ordinate
„ omnia peragantur. His præmissis volumus, ac in
„ virtute sanctæ obedientiæ districtim mandamus, &
„ præcipimus, ut e gremio Capituli omni omnino
„ die per hebdomadam toto anno, quibusvis feriatis,
„ festis, & Dominicis diebus semper per ordinem, &
„ vices dimidia pars Canonicorum sit in choro,
„ ita ut duo in uno, tres in altero chori latere sint,
„ qui indispensabiliter quotidie, & in omnibus horis
„ canonicis, necnon pro ratione rubricarum Psalmis
„ gradualibus, & pœnitentialibus, Officioque De-
„ functorum intererunt, & præerunt: mensibus hie-
„ malibus indulgemus, ut exceptis Vesperis diebus
„ Domini, & Festis, quæ semper in Ecclesia teneri
„ præcipimus, reliquis diebus omnes reliquæ Offi-
„ cii Divini Horæ, ac preces in Sacristia absol-
„ vantur.

PŒNÆ ABSENTIUM.

„ Porro quamvis minime dubitemus, singulum DD.
„ Canonicorum obligationi suæ plene satisfacturum,
„ ac nostris jussis plene obtemperaturum, eos tamen,
„ qui negligentes in hac Officii Divini executione
„ essent, utique impunes relinquere, atque negle-
„ ctui huic connivere nequaquam possemus, sed po-
„ tius per sancita SS. Concilii Tridentini jubemus,
„ ut ii ad adeunda Officia per nos compellantur.
„ Quare ad tenorem tam Synodorum provincialium
„ Hungariæ, quam & Pazmanianorum Statutorum,
„ jubemus & præcipimus, ut si quis Canonicorum
„ diebus suprascriptis, quibus totum Capitulum Of-
„ ficiis Divinis, & choro in corpore interesse debet,
„ ab Officio totius diei absque gravi causa, per Nos,
„ Successoresque nostros dignoscenda, abesset, pœ-
„ na quatuor florenorum rhenensium, toties quoties
„ ad necessitates Ecclesiæ convertendi, puniatur;
„ alias autem pro rata absentiæ singulis Officii Divi-
„ ni partibus plectantur. Si quis autem aliis diebus
„ toto die nec per se, nec ex legitima causa per sub-
sti-

„ stitutam Divinis, quibus interesse pro sua die tene-
„ tur, abesset, unius floreni pœna mulctandus ve-
„ niet, taxatis toties quoties similiter Officii Divini
„ partibus pro rata absentiæ, itidem necessitatibus
„ Ecclesiæ applicandis.

CAUSÆ ABSENTIUM EXCUSANTES.

„ Quoniam vero rationabiles nonnunquam, & legitimæ
„ causæ occurrunt, quibus Canonici quipiam cho-
„ ro, aut Missæ conventuali, votivisque interesse
„ haud poterunt, suadet justitia, æquitas, & cha-
„ ritas, ut tales impune emaneant; decernimus pro-
„ inde, ut ex quibusvis votivis, ac ex omnibus emo-
„ lumentis participent, & semper tam in Missa con-
„ ventuali, ac choro pro præsentibus habeantur =
„ Primo qui in negotiis Ecclesiæ, aut Capituli ex Epi-
„ scopi vel Capituli voluntate absentes fuerint. = Se-
„ cundo Archidiaconi ad Archidiaconatus suos ex of-
„ ficio excurrentes = Tertio unus, vel bini ad latus
„ Episcopi servientes = Quarto qui ad actum fidelitatis
„ aliquem a Capitulo exmittitur, vel exmittuntur =
„ Quinto gravius infirmi, quorum ægritudo pluribus
„ de Capitulo nota sit = Hæc tamen ita intelligenda
„ sunt, ut ex talibus causis absentes teneantur cele-
„ brare, vel celebrari facere tot Missas ad intentionem
„ supplentium, quot supplentes isti eorum loco cele-
„ brarunt.

LEGES SUBSTITUTIONUM QUOAD CHORUM.

„ Quoniam de substitutione sermo factus sit, opus quo-
„ que est, pro dirigendis substitutionibus leges, a
„ Congregatione Concilii latas, his adnectere, quas
„ exactæ teneri volumus, & quidem = 1. Ne Substi-
„ tutus ipse ad chorum venire debeat eo die, quo in
„ locum alterius substituitur = 2. Ne id frequenter con-
„ tingat, id est per mensem non ultra tres vices = 3.
„ Ut subrogentur solum Canonici, non vero alii Pre-
„ sbyteri, aut Clerici = 4. Neque substitutio valeat
„ diebus, in quibus in complexo totum Capitulum
„ Officio Divino præsens esse obligatur.

„ Ad quintum, Consecrationis Nostræ, nostrorumque
„ Successorum anniversarium diem solemniter cele-
„ brabunt, perinde solenne requiem pro defunctis
„ Episcopis die commemorationis omnium Fidelium
„ defunctorum; sequenti die vero tertia pro Cano-
„ nicis defunctis Cathedralis hujus Ecclesiæ tene-
„ bunt.

„ Ad septimum, Statutum quoad prædicationem verbi
„ Dei, per Canonicos fiendam, immortalis Pazmanii
„ non solum approbamus, sed & præsentes DD. Ca-
„ nonicos monemus, ut quantum ætas, & linguæ
„ slavicæ cognitio admittit, ipsi per se, & non per
„ substitutum diebus pro more huc dum receptis ad
„ Concionem dicere conentur; reliqui autem Domi-
„ ni Canonici, ut Sacris Sermonibus assistant, tum
„ ad proprium profectum, tum ut facto hoc Populus
„ ad verbum Dei assidue frequentandum alliciatur,
„ præsentibus hortamur. Ordinem vero Cantor in
„ Tabella in Sacristia affigenda præscribet.

„ Ad octavum, Cum opus Dei negligenter facere non
„ solum vetitum, sed & secundum Dei eloquium, ma-
„ ledictus sit, qui opus Dei negligenter facit; hinc
„ Canonici Ecclesiæ nostræ horas canonicas lente,
„ atque ad asteriscos, seu prescriptas pausas absol-
„ vent, ita ut in verba sibi mutuo non involent, at-
„ que ut singula pars chori tempus sufficiens habeat
„ ad clare, & distincte, devoteque edicenda verba,
„ lucraturi per id & illud, quod pectoris quoque sui
„ tam Canonici, quam & reliqui choro assistentes al-
„ leviamen habeant; quod ut eveniat, præsentium
„ Canonicorum id curæ incumbet. Meminerint præ-
„ terea Canonici Ecclesiæ nostre *Concilii Colonien-*
„ *sis* sub Paulo III. celebrati; ubi Patres inquiunt:
„ *Statis, ac debitis horis Laudes Divinæ non cursim*
„ *ac festinanter, sed tractim, non truncate, sed inte-*
„ *gre, distincte, devote, reverenterque ab omnibus*
„ *decantentur, persolvanturque, & cum psallendi*
„ *gratia conveniatur ibidem, muta, aut clausa labia*
„ *nemo tenuerit, sed pariter senes cum junioribus lau-*
„ *dent nomen Domini in Psalmis, Hymnis, & Can-*
„ *ticis, Deo alacriter modulantes, sic tamen, ne boa-*
„ *tus confundat recitationem. Quam autem aberrant,*
„ *qui existimant, sese non alicujus officii causa in Ec-*
„ *clesia exercendi, sed quietis, & inertiæ tantum cau-*

sa

,, *sa Canonicatus esse adeptos, proinde atque satis sit*
,, *paucis quibusdam Clericis, vel Sæcularibus tenui*
,, *pretio conductis, curam Divini Officii committi,*
,, *quod deinde hujusmodi mercenarii non servans tem-*
,, *porum intersititiis sincopando transcurrunt, interim*
,, *ipsis Canonicis tota vita torpentibus* = Hæc præta-
,, tum Concilium!

,, Ad decimum = Monemus paterne, & hortamur DD.
,, Canonicos Ecclesiæ nostræ, ut preter hebdomada-
,, rios Canonicos, qui omnibus Officii Divini parti-
,, bus in sua hebdomada presentes esse debent, reli-
,, qui etiam quam plurimi, si non feriatis, ad mi-
,, nus festivis diebus choro assistere conentur, tum
,, ut fidelem Populum ædificent, tum ut eo justius ju-
,, giter Deo famulantium Canonicorum nomen me-
,, reantur.

,, Ad decimum secundum declaramus presentibus, quod
,, si neglectum in præscripta superius Officiorum Di-
,, vinorum frequentatione observaverimus, illico in-
,, sistemus decreto *Tridentinæ Synodi sess.* 21. *de Re-*
,, *form. cap.* 3., *& sess.* 22., & distributiones quoti-
,, dianas instituemus. In hunc itaque finem coram
,, Deo, & nobis oneramus conscientiam Domini Præ-
,, positi Capituli, ac Archidiaconum cathedralem,
,, ut quos in frequentandis Officiis Divinis sepius ne-
,, gligentes observaverint, singulo trimestri eosdem
,, nobis, successoribusque nostris deferant, & an-
,, nuncient.

DE RESIDENTIA CANONICORUM.

,, Ad decimum. Quanti *Sacrum Concilium Tridentinum*
,, non solum Presulum, Parochorum, sed & Canonico-
,, rum personalem residentiam fecerit, patet ex ipsius
,, Concilii compluribus decretis. Et merito quidem;
,, ipse enim *Doctor Gentium* 2. *ad Th.* 4. præcipit,
,, ut laborent, & ministerium suum impleant. Im-
,, plere autem illud Canonici hujus Ecclesiæ se nun-
,, quam posse sciant, si Ecclesiam suam, Officiaque
,, Divina, ad quæ cum primis deputati sunt, dese-
,, rant, & non per se prestent. Mens autem fuerat
,, jam olim Sigismundi Regis, qui in duplici ordi-
,, natione sua (quemadmodum ipsum Capitulum in
,, responsis suis, ubi de tertia Dignitate disserit, fate-

tur

„ tur) de anno 1406., & 1415. continuam residen-
„ tiam requisivit, statuendo, ut absentes Canonici
„ fructibus priventur, nisi ad promovendum bonum
„ Reipublicæ, lateri Majestatis Regiæ adhæreret,
„ aut ut Cardinalis Gentilis constituerat, nisi quis
„ Apostolicæ Sedis, vel Legatorum ipsius de Latere
„ privilegio munitus foret. Vident ex his Canonici
„ Ecclesiæ nostræ, se non solum Canonicis, sed &
„ Regiis jussis ad observandam continuam personalem
„ residentiam obstrictos, & obligatos esse, quæ uti-
„ que non in sola, & unica corporali præsentia in
„ domibus suis canonicalibus, sed in præsentia cor-
„ porali in gremio Capituli cum implemento muneris
„ sui canonicalis consistit. Verum equidem est, præ-
„ ceptum hoc residentiæ non inter negativa, sed
„ affirmativa censeri, causasque esse, quibus Epi-
„ scopi a residentia Canonicos suos immunes de-
„ clarare valeant. Causæ hæ a *Concilio Tridentino*
„ afferuntur sequentes; videlicet Christiana charitas,
„ urgens necessitas, obedientia, & si certa utilitas
„ ex eadem absentia in Ecclesiam, vel Rempublicam
„ derivetur: hinc quoties Canonicorum nostrorum
„ quispiam a residentia sua abesse voluerit, præci-
„ pimus, ut causam veram, & genuinam, non
„ fictam, secundumque conscientiam suam sacerdo-
„ talem absentiæ suæ Nobis, aut Vicario nostro con-
„ stituendo ante discessum suum adaperiat, ut nos
„ de sufficientia, aut honestate causæ allegatæ se-
„ cundum conscientiam nostram decidere valeamus.
„ Cæterum de absentia a residentia methodum tene-
„ bimus eam, quam *Concilium Tridentinum*, *Bene-*
„ *dicti XIV. Institutiones*, & Bullæ præscribunt de Pa-
„ rochis. Quare scripta hæc sapientissimi hujus Ec-
„ clesiæ Pontificis, Canonici Ecclesiæ nostræ exactis-
„ sime pervolvant, & sibi propria faciant, ut quoad
„ residentiam, & absentiam petendam plene se acco-
„ modare valeant, cum nos ne latum quidem unguem
„ a decretis Conciliorum, declarationibusque magni
„ hujus Pontificis recedere statuerimus.

Nova hæc statuta accipere noluerunt Canonici post reci-
procas eorum, atque Episcopi concertationes. Ti-
more tandem monitorialis ejusdem Episcopi decreti,
Sanctissimo supplicarunt, ut servare dignaretur as-
sertam ipsorum consuetudinem quoad servitium chori,
& Mis-

& Missam conventualem, easque dispensaret a juramento præstito, dum ingressi fuerunt Capitulum, de observandis scilicet ejusdem Capituli statutis. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, hactenus exposita confirmavit in sua relatione Episcopus, ac testatus fuit, quod reditus scutorum 525. ultimi Canonici *cum progressu Stallorum, & Dignitatum augetur levi calculo ad scuta 650. & ultra*. Observat insuper, quod si Canonici, qui tempore extabant visitationis Pazmanianæ, *fassi sunt, se chorum quotidie frequentare, neque se ex hujusmodi a suis majoribus accepta consuetudine diminuere velle, quanto magis modernos Canonicos decet, ut auctis redditibus muneri huic plene satisfaciant; eo a fortiori, quod Capitulum hocce in medio Provinciæ, Lutheri asseclarum refertæ, positum sit, ac quod Synodi provinciales, ac diœcesanæ disciplinæ a Paterfio collectæ id ipsum Hungariæ Canonicis præscribebant; neque aliud quodpiam in Regno hocce inveniatur Capitulum, minorum etiam redituum, quod a frequentatione, a præsentia in Divinis Officiis, ac residentia liberum se facere intendat*.

Rigidum quidem scepusii aerem, gravesque fatetur loci difficultates; sed hac de causa excusari Canonicos non posse censet a servitio chori, tum quia *tempore hiemis, juxta Statuta per me edita, venia eis data sit in Sacristia fornace provisa, quæ calefieri solet, Horas canonicas absolvendi*; tum quia *temporibus Pazmani neque aura mitior, neque pericula glacialis viæ minora fuere, & tamen Canonici illius, & subsequis temporibus quotidie chorum frequentasse se inquiunt in responsis ad puncta Visitationis. Cur ergo modernis Canonicis Capituli mei obicem poneret intemperies aeris, & via glacialis obligationi suæ alternis diebus choro in calida Sacristia?* Negligenda vero censet asserta privilegia Capituli, quorum nullum est monumentum. Eas namque Capitulares periisse affirmant in excursionibus Turcarum.

Mirum [ait] *esse, has gratias, & privilegia sibi tam favorabilia sivisse Canonicos meos perire, cum tamen his antiquiora literalia instrumenta, bona eorumdem concernentia ad hæc usque tempora in tabulario ejusdem Capituli extent. Sed neque in hac materia aliquas gratias, aut Privilegia concessa fuisse certum sit, ex eo quod ad annum 1774. quamvis, non omnes semper, majori attamen numero Horis canonicis Canonici interfuerint, neque de traditione obtentæ similis gra-*

tiæ

tiæ mentionem unquam aliquam fecerint horum Antecessores ; quod sane mihi ab anno 1774. ad 1784. hujus Ecclesiæ Canonico constare debuisset , qui & thesauri Ecclesiæ , & tabularii capitularis aliquot annis custodem egeram ; Quid quod ? In responsis suis ad puncta Visitationum tam per Decessores meos , quam & per me proposita , nullum talismodi privilegii realis , aut per traditionem olim existentis mentionem fecerint .

Suamque sententiam in hæc aperuit verba : *Quare quum allegata per Capitulum meum consuetudo necessariis ad legitimam consuetudinem inducendam requisitis destituta , illaque quamvis juramento firmata , potius inter abusus censenda sit , adeoque consuetudo hæc , ut inquit S. Cyprianus in Epist. ad Pomp. = sine veritate vetustas erroris sit = quidquod neque indulto aliquo , aut privilegio munita foret , censeo a petito suo Capitulum meum removendum esse ; eo magis , quod in facultate condendi statuta per me obtenta quoad personalem residentiam , & servitium chori , juxta circumstantiarum qualitates , & judicium Episcopi tempus , & numerum Canonicorum provisum , Sacris Canonibus , & Concilii Tridentini decretis .* Tandem *supplex fio apud EE. Vestras , ut Capitulum meum severe commonefiat ad præstandam Episcopo suo obedientiam , quam in aditu canonicatus sui fide jurata quivis voverat , adeoque ut vel a Pazmano , vel a me editis Statutis , relicto præsumpto abusu , parere obstricti sint . Fiet hac ratione , ut non solum Populus Ecclesiæ Romanæ Catholicæ fidelis , sed & Lutheræ sectæ addictus , pietate Capituli ædificetur , & crescat .* Causa hinc per *Folium* manuscriptum proposita in præterita Congregatione 18. Junii , dilationem EE. Vestræ ad hodiernam diem concesserunt Defensoribus Capituli ; qui suam tamen allegationem hactenus non exhibuerunt .

Uno igitur pro nunc informante Episcopo , quæritur primo de viribus ejus Statutorum , eaque appellant Canonici rigidissima , atque inveteratæ ipsorum consuetudini , & privilegiis Apostolicis contraria . Nimis quidem rigidum dicunt quotidianum servitium chori , eoque modo , quo in suis Statutis Episcopus præscribit ; eo quod servitium illud , hiberno præsertim tempore , præstare nequeunt sub cœlo frigidissimo sine gravi salutis detrimento , quod plurimi ad rem faciunt *Ceccoper. lucubr. canon. lib.2. num.150. in fin.* , *Pirringh. in jus canon. lib.3. tit.4. de Cleric. non residen. in Eccles. §.23.* , *Schmier. juris canon. lib.3. tract.1. part.2.*

*part.2. cap.3. num.*351. Suæ vero antiquissimæ consuetudini, & Apostolicis privilegiis adversari ajunt: nam omnes ex utroque titulo interesse consueverunt choro in solemnioribus festivitatibus, unus tantum reliquis diebus: & celebrare consuevit Missam conventualem diebus Dominicis, & festis Canonicus hebdomadarius, profectis Capellanus. Hujusmodi sane consuetudinem, assertis privilegiis Apostolicis confirmatam, servandam esse contendunt, per *Text. in leg. in rebus ff. de constit. Princip.*, & *cap. consuetudinis de consuetud.*, *Fagnan. in lib.*1. *Decretal. cap. consuetudines de consuetud. num.*12.

Ponderandum altera ex parte, rem esse de Ecclesia Cathedrali, in qua integrum quotidie recitandum est Divinum Officium in choro *ex Clement. de celebr. Miss.*, & *Sacro Concilio Tridentino sess.*21., & 22. *cap.*3., & *sess.*24. *cap.*12. *de Reform.* quibus accedit decretum Sacræ hujus Congregationis *in Setina Chori*, & *Missæ Conventualis* 21. *Januarii* 1785., in qua ad primum Dubium = *An Canonici*, & *Archipresbyter Ecclesiæ Sancti Erasmi in Oppido Bassiani teneantur quotidie Officium in choro recitare*, & *Missam conventualem pro Benefactoribus celebrare* = rescripsit = *Compellendos esse Archipresbyterum*, & *Canonicos ad servitium chori*, & *applicationem Missæ conventualis juxta votum Episcopi* = Si quæ vero contraria est consuetudo, quam tamen impugnat Episcopus, ob servata ad annum 1773., vel 1774. Pazmaniana Statuta, abusus potius videtur, & corruptela, ut censuit *Sacra hæc Congregatio in Albanen.* 16. *Maii* 1789., & 26. *Martii* 1791.

Chorale insuper servitium, quod præscribit Episcopus, consentaneum dicit aliarum Cathedralium disciplinæ; nam eadem ubique methodo, ac in Statutis, de quibus agitur, distribui solent Horæ canonicæ, & celebratio Missæ conventualis. EE. autem Vestræ decernent, utrum grave sit servitium, quod moderatus fuit Episcopus, ut minus Canonicis hiberno tempore incommodum esset; Canonicis cæteroquin abunde provisis; dum eorum minimus annuum habet reditum scutorum 525. Atque hisce etiam de causis consentanea videntur Statuta dispositioni juris quoad personalem residentiam, & negligentium pœnam; quandoquidem hæc tria præscribit *Tridentina Synodus ses.*24.*cap.*12. *de Ref.*, ut Canonici Cathedralium, & Collegiatarum insignium in loco resideant Beneficii, intersint choro, & in casu ne-

negligentiæ pecuniariam subeant pænam ; idque ex antiquo etiam jure probant *Doctores*, ac præsertim *Faguan. in lib. 3. Decretal. Cap. licet de præben. num. 23. & seqq., Tomas. veteris, & novæ Eccles. discipl. de Benefic. part. 2. lib. 2. cap. 86. num. 1., Benedict. XIV. Instit. eccles. 107. §. 1. num. 7., & Sacra hæc Congregatio in Terracinen. & Setina Servitii Chori, & Missæ Conventualis* 14. *Septembris*, & 23. *Novembris* 1782. Maxime quia habent Canonici prope Cathedralem ipsam Ecclesiam canonicales ædes, in quibus commode residere valent, commodeque ex illis hiberno etiam tempore ad chorum accedere. Neque ulla fortasse habenda est privilegiorum ratio, quia nullum est illorum monumentum. Immo *ad annum* 1774. *quamvis non omnes semper, majori tamen numero Horis canonicis Canonici interfuerunt.*

Suam etiam Canonici appellant assertam consuetudinem quoad celebrationem Missæ conventualis, ab eaque ex præmissis juris principiis recedere non debere profitentur. Verum sua prudentia judicent Eminentissimi Patres, num sit servanda asserta consuetudo celebrandi, & applicandi per alios diebus profestis Missam conventualem, quam Canonicis ipsis præscribit Benedictus XIV. *in notissima Encyclica cum semper oblatas*; vel Statuta potius Episcopi eidem *Encyclicæ* consentanea. Reliquæ Statutorum providentiæ meliorem respiciunt disciplinam, quæ in locis hæresi infectis magnam Catholicæ Religioni afferre possunt utilitatem.

Quatenus vero Eminentissimi Patres approbatione digna non censeant Statuta Episcopi, deliberare dignentur de modo adimplendi servitium chori, & celebrandi Missam conventualem. Nisi attendi profecto mereantur consuetudo, & privilegia, quibus nituntur Canonici, illud saltem præstandum esset servitium chori, quod veteres Canonici in Pazmaniana Visitatione æquum censuerunt, & ita celebrari deberet Missa conventualis, ut præscribit *Benedictus XIV. in cit. Encycl. Cum semper oblatas*. Qua de re optionem dat Episcopus Canonicis, *ut vel a Pazmano, vel a me editis Statutis, relicto præsumpto abusu, parere obstricti sint*. Monstruosum sane *est*, unum dumtaxat Canonicum hebdomadarium diebus profectis interesse choro, Missamque conventualem per simplicem Capellanum celebrari; eoque monstruosius, quod pingues

Ca-

Canonici habent præbendas, præter commodam canonicalium ædium habitationem.

A resolutionibus primi, vel secundi, & tertii Dubii pendet resolutio quarti super petita dispensatione a juramento per Canonicos præstito in accipienda canonicatuum possessione, sub quo præ ceteris observare promiserunt = *jura Ecclesiæ*, *consuetudines*, & *Statuta scripta*, & *non scripta*. Sive enim probentur Statuta hodierni Episcopi, sive Pazmaniana, relaxandum non esset juramentum super illorum observantia. Notandum vero rogant Canonici, juramentum ab ipsis præstitum, proprias respicere consuetudines, ex intelligentia decretorum Pazmani inductas, non item posteriora hodierni Episcopi Statuta; quum juratoria obligatio quoad præterita tantum, non quoad futura devinciat, argumento *Textus in leg.7. Cod.de leg.*, & *in cap.2.* & *cap.12. de constit.*

Præter ea, quæ in genere notata sunt super executione Statutorum, ponderandum etiam, quod nova Collegiatæ erectio in Cathedralem, novis ad moderandum ejus servitium Constitutionibus indigebat. Eas condere tentavit Episcopus de consensu Capituli, duobus ab ipso electis, totidemque ab illo eligendis Canonicis; sed ob constantem ejusdem Capituli reluctantiam ex prætensa consuetudine, assertisque Pontificiis privilegiis, ex se tandem statuit, quę consentanea censuit *Sacris Canonibus*, & *Concilio Tridentino*; idque fecisse ait ex speciali Summi Pontificis facultate, & rescriptis Sac. hujus Congregationis. Potissime ergo quærendum videretur *in specie*, num aliquas Statuta patiantur exceptiones, unde moderari debeant.

Modus siquidem præstandi servitium choro; non interessentium pæna, & similia, consentanea videri possunt decretis *Sacri Concilii Tridentini*, & resolutionibus *Sacræ Congregationis Rituum*, quarum in Statutis ipsis fit mentio. In pluribus autem indulgens immo fuit Episcopus Canonicis, ut hiberno præsertim tempore eorum incommodum minueret: sed de quibusdam præ cæteris dubitari valet, quin præ nimia indulgentia sint moderanda. De Missa agens conventuali statuit ut principalis dumtaxat applicari debeat pro Benefactoribus in genere, *altera*, *vel binæ aliæ*, *per Canonicum*, *vel Canonicos*, *aut per substitutum*, *vel substitutos decantandæ*, *pro Benefactoribus necessario offerendæ non erunt*. Id utique recte sancitum esset, quoties secun-

 dam

dam, & tertiam conventualem applicare non consuevissent Canonici, de qua tamen consuetudine non constat; nam si usu recepta fuisset illarum applicatio ita in posterum servari deberet, ut distinguendo decernit *Benedictus XIV.* in Encyclica *Cum semper oblatas* §.22., ibi = *Nos ita judicamus, idque vobis tenendum indicimus, laudandos nempe, & confirmandos esse quotquot sponte sua secundam, aut tertiam conventualem Missam pro Benefactoribus in genere applicant. Qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ, tertiæque Missæ conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis, Ecclesiæ Benefactorum in genere non obliviscantur.*

Permittit rursus, *ut leviori infirmitate affecto, aut ob pectoris exilitatem, vocisque raucæ sonum, loco votivi cantati lectum dici valeat*. Episcopus autem ipse quoad secundam, & tertiam Conventualem modum innuit supplendi a Canonico hebdomadario illius cantum, nempe per substitutum; ideoque hoc ipsum fieri posset quoad votivam, ne Divinum servitium in id minuatur. Indefinita accedit facultas celebrandi privatas Missas tempore Conventualis, per ea verba = *tum fiat Missa conventualis, sub qua reliqui Canonici votivas non celebrantes, privatas absolvere poterunt*. Facultas vero ista omnes eodem tempore abstrahere posset Canonicos a choro; quod canonica prohibent Jura, de quibus *Garz. de benefic. part.*3. *cap.*2. *num.* 397., *Van-Espen de instit.*, & *offic. Canonic. part.*3. *cap.*5. §. 5., & iis duntaxat permittunt Canonicis, qui, ob defectum aliorum celebrantium, licentiam celebrandi sub Missaconventuali a Præfecto Chori obtinuerint, ut ab hac Sacra Congregatione decisum refert *Fagnan. in cap. licet de præbend. num.* 118. Præscribit insuper Episcopus in Quadragesima cantum Missæ conventualis *tantum ad Elevationem*. Num id autem rebus conveniat liturgicis, de quibus late scribit *Cardinalis Bona*, EE. Vestræ decernent.

Postremum ex indulgentioribus Statutis est, quod Canonici omnes psallere debeant Divinum Officium in majoribus tantum solemnitatibus, nempe *in Nativitate Domini nostri Jesu Christi, Pentecostes, in festivitatibus Annunciationis, & Assumptionis B. V. Mariæ, in festo Apostolorum Petri, & Pauli, in festo Titularis Ec-*

cle-

clesiæ S. Martini Episcopi, & *Confessoris*, *in anniversario die Dedicationis Cathedralis Ecclesiæ*, *festo S. Stephani Regis Hungariæ*, *ac omnium Sanctorum*. Aliter vero decernendum videretur juxta *Benedictum XIV. de Synod. Diœces. lib.13. cap.9. sub* §. 13., & ex praxi Sacræ hujus Congregationis, quæ majoribus solemnitatibus addere consuevit *Adventum*, *Quadragesimam*, *& octavas privilegiatas*, *ut in Cathacen.* 15. *Septembris* 1699. *lib.49. Decretor pag.* 311. *& seq.*, & *in Castri Maris Servitii Chori* 30. *Julii* 1735., *in Tarraconen.*18. *Februarii* 1764., confirmata *die* 23. *Martii* 1765.

Deliberare igitur dignentur Eminentissimi Patres.

I. *An*, & *quomodo sint approbanda nova Statuta Episcopi scepusiensis in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An*, & *quomodo sit præstandum servitium chori*, & *celebranda cum applicatione Missa conventualis in casu &c.*

III. *An Canonici scepusienses residere teneantur in casu &c.*

IV. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a juramento in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta modum explicandum in secundo.

Ad II. Affirmative juxta modum, nempe ut ultra dies solemniores ab Episcopo designatos, Canonici omnes interesse debeant choro toto tempore Adventus, & Quadragesimæ, quodque Canonici singulis anni diebus psallere debeant per se ipsos. Missas vero conventuales, etiam principalem nuncupatam, celebrandas esse qualibet anni die a Canonico, & cum cantu usque ad finem Missæ; substituto alio Canonico in locum Turnarii, qui ob male affectam valetudinem celebrare non valeat cum cantu Missam votivam. Nec licere Canonicis Missas privatas celebrare tempore Missę conventualis, nisi ordine successivo, ac præscribendo a præfecto chori. Et quo ad singularum Missarum conventualium applicationem servetur Constitutio san. mem. Benedicti XIV. *com semper oblatas* §. 22.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Negative.

Et quoad omnes amplius.

FIR-

Ses. 25. cap. 11. de Reform.

FIRMANA EMPHYTEUSIS. Officiales Sodalitii SS. Resurrectionis, & Suffragii Murrivallium EE. Vestris supplicarunt pro facultate concedendi in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam urbana duo, novemque rustica illius prædia, quæ ducto per decennium calculo, reddere quotannis consueverant scuta circiter 355., atque impetrata venia, affigi curarunt edicta die 30. Novembris 1794., iterumque die 19. Aprilis sequentis anni 1795. sub conditione exhibendi infra mensem oblationes Vicario ejusdem oppidi foraneo. Novem pro uno, vel altero prædio fuerunt particulares oblatores, canonesque per eos exhibiti summam in unum constituebant scut. 386.90. Ex iis vero, qui pro bonis omnibus *collective* schedas produxerunt coram Vicario foraneo, sunt Emigdius Gallucci, Simon Giachini cum Biasio Mammali, & Joseph Marchetti. Horum priores parem obtulerunt canonem scutorum 360.; Marchettus vero scuta obtulit 370. Majorem eidem Vicario oblationem scutorum 430. dedisse asserit Petrus Mangiaterra, eamque post illius repulsam EE. Vestris exhibuit. Divertens postremo a Vicario foraneo, produxit Nicolaus Pochini omnium maximam oblationem scutorum 489. in firmana Curia ecclesiastica, adjecta conditione redimendi canonem per subrogationem censuum. Atque hinc vigesimæ titulo obtulerunt Galluccius scuta 389., & Giachinius scuta 390.50.

Neglectis oblationibus Mangiaterra, & Pochini, de reliquis ad EE. Vestras retulit firmanus Archiepiscopus, atque in prima sua informatione reiiciendos censuit singulares, minimeque idoneos oblatores, & favens Marchetto, hæc habuit = *Retinenda videtur oblatio scutatorum 370. quam Joseph Marchettus, vir apprime idoneus, exhibuit. Porro certum est, oblationem hujusmodi evidentis esse utilitatis. Ducto enim calculo a decem proxime elapsis annis, fructus, qui in Sodalitatis commodum venerunt, summam conflant singulis annis scutatorum 355. circiter. Sed hæc utilitas longe major erit propter vigesimæ oblationes, quas Emigdius Gallucci usque ad nummos 389. & Simon Giachini usque ad nummos 390., obolosque 50. addiderunt. Quæ sane vigesimæ accessiones, quamvis fuerint intempestive exhibitæ, eas retineri jussi, ut de ipsis, ac aliis, si forte erunt, etiam in sexta opportuno tempore ratio habeatur.* = Referre autem præteriit de preci-

bus

bus Maugiaterra, ei remissis per rescriptum 3. Junii 1795., ob non exhibitam fortasse epistolam S. Congregationis.

Interim apud EE. Vestras questus etiam fuit de sua neglecta oblatione Nicolaus Pochini, eamque, cum precibus exhibitam, admitti postulavit; atque iterum de sua informatione, & voto requisitus, potissimam exposuit rationem Archiepiscopus neglectæ illius oblationis, quod nempe *ipse Nicolaus contra edictorum formam, & contra indolem contractus suam sponsionem dedisset. Pactum enim adjecit, ut eam sponsionem, quam exhibebat tum is, tum ejus filii delere possent, assignatis scilicet eidem Sodalitati totidem censibus activis, quorum fructus summam scutatorum quingentum pertingerent.* = Addidit immo, quod *Orator eos census, quos assignare posse sibi blanditur, non habet*; seque ad folium retulit, in quo alias Sodalitium contra oblationem Pochini exponit causas; tenue nimirum ejus patrimonium, illudque alieno ære gravatum. Reliqua enim bona, quæ in territoriis possidet Murrivallium, Montis Luponis, & Montis Sancti, directi sunt dominii Academiæ Ecclesiasticæ Urbis, eumque in dies gravant debito etiam canonum, ita ut miserrimè, perpetuisque in litibus vivat. Illudque insuper ponderandum proponit, ea de causa Pochinium emphyteusim petere, ut per incisionem arborum depopulari valeat prædia rustica Sodalitii, quemadmodum in emphyteuticis aliis prædiis Academiæ Ecclesiasticæ fecit. His tamen non obstantibus, expromittebat ei Archiepiscopus favorem Sodalitii, quoties *idoneum, & ab ipsa Sodalitate approbandum præstet fidejussorem, pactumque de subrogandis censibus expungat*; ut reipsa expunxit, remittendo pactum illud ad judicium Sacræ Congregationis.

Certant nunc inter se Pochinius, & Galluccius, cæteris tacentibus oblatoribus; Sodalitium vero favet Marchetto. Dubitari siquidem non posse videtur de utilitate emphytensis; nam oblationes omnes collective datæ, annuum superant prædiorum fructum, quem hactenus Sodalitium percepit in scutis 355., ut notatum est in *facto*. Satis autem ad rem esset, quod oblati canones responderent prædiorum fructibus, ut dixit Rota *in Romana Devolutionis* 14. *Maii* 1735. §. *Cæterum coram Millino*, & decrevit Sacra hæc Congregatio *in Firmana*

Em-

Emphyteusis 15. *Januarii* 1791. Tota igitur quæstio esse valet de prælatione majoris, & melioris oblatoris: & quamvis Sodalitium æque idoneos fateatur Galluccium, Giachinium cum Mammalio, & Marchettum, præferendam tamen censet oblationem novissimi, veluti majorem; nam hic obtulit scuta 370., illi 360.. Neque attendendas arbitratur posteriores oblationes Gallucci, & Giachinii cum auctione vigesimæ, utpote præmature datas ante deliberationem, contra *Motum proprium Benedicti XIV.*, de quo *in Romana Affictus* 9. *Junii* 1749. §. *Infirmissima coram Molino.*

Reiiciendas pariter contendit oblationes Mangiaterra, & Pochini licet omnium ampliores, tum quia datæ fuerunt extra designatum locum contra formam edictorum, veluti opportune monet *Posth. de subhast. inspect.*33. *num.*8., & *seq.*, tum quia Petrus Mangiaterra jam a caupona, quam exercebat, obæratus discessit, & Nicolaus Pochini alieno gravatur ære, & contra naturam emphyteusis pactum in sua oblatione adjecit redimendi canonem. Dum agitur porro de deliberanda emphyteusi bonorum Ecclesiæ, qualitas potius attenditur oblatoris, quam major minus idonei oblatio, per *Text. in leg.*5. §. *melior autem ff. de in diem addiction.*, *Posth. de subhast. inspect.* 35. *num.* 193., & *seqq.*, & *Rota in Romana Affictus* 22. *Julii* 1792. §. 13. *coram Herreros.*

Confidit tamen Pochinius in majori sua oblatione scutorum 489. suamque ostentat idoneitatem ex pluribus, quæ possidet bonis (licet, ut prænotatum est, partim emphyteuticis, partim alieno ære gravatis) Vitio autem sibi vertendum non esse ait, quod eam dederit oblationem extra locum designatum in edictis. Oblationes enim, quæ exhibendæ erant coram Vicario foraneo Murrivallium, transmitti debebant ad firmanam ipsam Curiam ecclesiasticam, cui suam ipse exhibuit; quasi idcirco medium omittere potuerit. Quanti vero ejus rationes valeant, EE. Vestræ decernent: sed duo præsertim ponderare dignentur; primum quod maxima Pochinii oblatio fieri etiam posset melior per idoneam fidejussionem, ut proponit Archiepiscopus; secundum quod retractavit Pochinius pactum redimendi canonem, illudque arbitrio, & voluntati Sacræ Congregationis reliquit.

Cæ-

Cæteris postremo, qui coram Vicario foraneo obtulerunt, paucis Galluccius majorem se dicit oblatorem, ob auctum vigisimæ titulo canonem ad scuta 389., seque etiam probat idoneum. Ponderandum vero, num ratio haberi debeat præmaturæ vigesimæ in eorum præjudicium, qui jus ad deliberationem quæsierunt; & quatenus admittenda videretur, amplioribus aliis rejectis oblationibus Mangiaterra, & Pochini, præferri deberet oblatio Giachinii, qui vigesimæ pariter titulo scuta obtulit 390. 40.

In quæstionem igitur venit,

An, & cujus favore sit locus stipulationi instrumenti emphyteusis in casu &c.

Affirmative favore Marchetti, salvo jure vigesimæ, & sextæ.

LAMACEN. MISSARUM PRO POPULO. Parochiali Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ de Cedavim tres aliæ olim suberant filiales Paræciæ S. Bartholomæi, S. Marinæ, & S. Mariæ Magdalenæ, quæ illi deinde unitæ fuerunt. Ea autem lege expletam fuisse fertur unionem, atque ita Episcopus etiam arbitratur, ut Rector Matricis, cui suppressarum filialium reditus addicti fuerunt, tres infra hebdomadam pro illarum quoque Populis applicare deberet Missas. Et hac forsan de causa damnati fuerunt Abbates Sancti Joannis Baptistæ per sententiam anni 1585. ad eam applicationem, præter alteram Missam diebus festis pro Populo Matricis; cautumque etiam fuit municipali lege, ut ejusdem oneris adimplemento feria III. IV., & V. cujusque hebdomadæ Deputatus Populi incumberet. Licet vero notitiam reijudicatæ, & Statuti haberent decessores Abbates ex codicibus Ecclesiæ, tres illas tamen applicare neglexerunt Missas ab anno 1619., utpote in tabella non descriptas. Hodiernus tandem Parochus ad suam sedandam conscientiam declarari postulat ab hac Sac. Congregatione, num eas in futurum applicare teneatur. *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*

Hæc referens, ita lamacensis disserit Episcopus: *Verum equidem est, eas* [Missas] *non celebratas fuisse ab an-*

anno 1619. , *sed quid inde? Quum in ipso rerum Ecclesiæ libro Abbates profiteantur , fere omnes se prædicti Statuti , prædictæque reijudicatæ notitiam habere . Non ne ipsi contra judicatum legitimi erant judices ? Non ne non usus , quo prædicti Abbates tuentur , eorum mala fide inspecta , abusus , & crimen potius , quam titulus judicandus est ? Certe quidem* . Advertens tamen ad hodiernam Ecclesiæ disciplinam de unica applicanda Missa pro Populo diebus Dominicis , & festis , reducendum saltem putat onus illud hebdomadalium Missarum trium ad tres , aut duas menstruas . *Ita enim* (sunt ejus verba) *particulariter , attenditur oneri memorato absque majori Abbatum incommodo* . Ac de præterito tandem profitetur , *quid dicam , nescio* .

Ex dispositione siquidem juris gravandus non videretur Parochus Orator pluribus hebdomadalibus Missis pro Populo ; nam qui Animas curant , unicum dumtaxat pro eorum Grege applicare tenentur Sacrum diebus Dominicis , & festis ; ut observat *Benedictus XIV. in Constit. Cum semper oblatas* §. 3. *ad* 6. Et licet quisque olim unitarum Paræciarum Rector Missam pro suo applicaret Populo ; quum tamen Parochiani omnes in unum post unionem coaluerint Gregem , unique subiiciantur Parocho , unica quoque applicanda forsan esset Missa , juxta decretum Sacræ Congregationis *in Sutrina Missæ pro Populo* 16. *Julii* 1791. Obstant quidem Parocho resjudicata anni 1585., & municipalis lex ; sed biscentenaria fere inobservantia contrarium tribuere potuit exemptionis titulum , ad tradita per *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 9. *num.* 17. , *&* *Piton. de controv. patron. allegat.* 59. *num.* 59.

Verum notare dignentur Emi Patres , onus applicandi tres Missas pro suppressis Parochiis , originem probabiliter habere a prima unionis lege , quæ omni jure servari debet , per *Text. in cap.*1. *&* 3. *de pact. inserto* , *Piton. discept. eccles.*25. *num.* 9. ; duplicemque insuper accedere validiorem titulum reijudicatæ , & Statuti ; nam ubi de claro constat titulo , vitiosa est quælibet contraria observantia , quæ judicari potius debet *abusus* , *& crimen* , ut ait Episcopus , & statuit *Text. in can. si consuetudinem , dist.* 8. *de sentent. &*

re-

rejud. . Maxime quia Abbates S. Joannis Baptistæ certam Statuti, & reijudicatæ habuerunt scientiam ex codicibus Ecclesię, Episcopo teste, & sic in mala fuerunt fide, quæ omnem impedit præscriptionem, *Text. in cap. quoniam de præscript.*, *Gratian. discept.* 442. *num.*6., *Rot. coram san. mem. Clem. XIII. decis.* 25. *num.*21.

Quatenus autem servare censeant EE. Vestræ trium parochialium Missarum onus, deliberandum erit secundo de illius reductione. In id favet Episcopus Oratori, easque hebdomadales Missas reducendas censet ad tres, aut duas menstruas, eo quod ita *attenditur oneri memorato absque majori Abbatum incommodo*. Advertant tamen Emi Patres, nullam afferri reductionis causam, tenuis præsertim reditus Paræciæ, ob quem reduci solent Missæ, juxta *Sac. Concilium Tridentinum sess.*25. *cap.*4. *de reform.*, & decretum *Sacræ hujus Congregationis in Civitatis Castelli Reductionis* 17. *Aprilis* 1790. Ex unione immo redituum quatuor Paræciarum pinguis censeri valet congrua Oratoris, ita ut reductio dictarum Missarum pro Populo alio forsan non tenderet, quam ad parcendum *majori Abbatum incommodo*.

Ad tertium denique, admissa etiam in Oratore ignorantia antiquissimæ reijudicatæ anni 1585., haud eum tamen fugiebat permanens lex municipalis super celebratione trium hebdomadalium Missarum feria III. IV. V., ideoque eas omisisse videtur cum mala fide, ob quam denegandam censuit Sacra Congregatio absolutionem *in Bononien. Reductionis Servitii Chori* 24. *Novembris* 1787. *ad II. Dubium*. Maxime quia non tenues percepit Parochiæ reditus, ex quibus supplere posset omissionem. Veniam contra fortasse mereatur ob sequutum exemplum suorum decessorum, qui eas Missas per duplex sæculum non celebrarunt, & ob commendabilem ejus religionem in Vestro post tantum inadimplementum postulando judicio. Hæc porro argumenta sunt bonæ fidei, quæ causam præbuit absolutioni *in Placentina Missæ Conventualis* 27. *Novembris* 1779., & *in Nullius Guastallæ* 26. *Novembris* 1791. *ad II. Dubium*.

Quæritur itaque.

I. *An Parochus S. Joannis Baptistæ de Cedavim teneatur* ap-

applicare Missam pro Populo feria III. IV. & V. cujuslibet hebdomadæ in casu &c.

Et quatenus affirmative,

II. *An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quo ad præteritum in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. & III. Provisum in primo.

Ses. 25. cap. 11. de Reform.

BALNEOREGIEN. EMPHYTEUSIS. Ad dubium = *An, cujus favore, & quomodo sit concedenda emphyteusis in casu &c.* = rescripserunt EE. Vestræ in hac Causa sub die 18. elapsi Junii = *Affirmative favore Cellesi ad formam ejus oblationis, salvo jure vigesimæ, & sextæ.* = De viribus modo hujusce rescripti agunt Sodales beneficio novæ audientiæ; ideoque resumpto præcedenti folio, perpensisque illorum juribus (hactenus non deductis) deliberare dignentur Emi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Ses. 24. cap. 12. de Reform.

PLACENTINA MISSÆ CONVENTUALIS. Capitulum Collegiatæ S. Joannis de Olubra constat Archipresbytero, Canonicis tresdecim, Præbendatis novem, quibus quotidianum incumbit servitium chori cum cantu. Uni, & alteri Canonico nulla superest libera præbenda ob Missarum onus ad ratam fructuum. Minor aliorum quinque præbenda scutorum est 6. 12., major scutorum 19. 57. monetæ romanæ. Illa Archipresby-

presbyteri scuta attingit 183. 79. Reliquæ canonicales a scutis 43. 46. ad scuta 97. 28. gradatim ascendunt, omnibus a qualibet detractis impensis. Duo ex Præbendatis nullos habent liberos reditus; reliqui a scutis 2. 91. non excedunt scuta 34. 19. Lucratur præterea Archipresbyter ex quotidianis distributionibus annua scuta 23. 37., singuli Canonici scuta 15. 65., Beneficiati scuta 5. 31. Ac nulla tandem sunt incerta, modicis exceptis proventibus funerum, quæ per annum celebrantur.

Nullus pro Missa conventuali est fundus, detrahique consuevit illius eleemosyna ex communi distributionum massa. Id ægre modo ferunt Canonici ob aucta inservientium salaria, imminutum placentinæ monetæ valorem, aliasque præsentis temporis circumstantias; ideoque EE. Vestris supplicant pro reductione ejusdem Missæ ad dies festos de præcepto quo ad applicationem tantum; eorumque instantiæ favet placentinus Episcopus in hæc verba: *Quoniam animi mei sensum jubeor aperire, censeo benigne concedendam Oratoribus postulatam reductionem applicationis Missæ conventualis pro benefactoribus Ecclesiæ ad dies festos de præcepto tantum, retento tamen quotidiano ejusdem Missæ cantu, prout actum huc usque est; atque redactarum Missarum stipendia in choralium distributionum augmentum convertenda*.

Facile quidem reducenda non est Missa conventualis, quam ab ineunte forsan Collegiata ad hæc tempora celebrarunt Canonici Oratores, *ut in Civitatis Castelli Reductionis Onerum 23. Januarii* 1790. Eoque minus, quia pleræque illorum præbendæ summam excedunt scutorum triginta, præter quotidianas distributiones: concedere enim solet Sacra hæc Congregatio reductionem conventualis, ubi cujusque Canonici reditus eam non attingit summam, ut *in Veliterna* 14. *Martii* 1722. *ad* III. *Dub.*, *in Ariminen.* 18. *Septembris* 1751., & *in Cassanen. Missæ Conventualis*, & *pro Populo* 20. *Septembris* 1794.

Ad ea tamen advertant Emi Patres, quæ ad impetrandam gratiam exponunt Oratores; ad aucta nempe inservientium salaria, auctaque rerum pretia, quæ justam reductionis causam præbuerunt *in Bracharen.* 11. *Septembris* 1717. *lib.* 67. *Decretor. pag.* 373., & *in Aquen.* 19. *Decembris* 1772. Illudque etiam notare dignen-

guentur, quod alii ex Canonicis tenuem habent præbendam, alii nullam, parumque ex distributionibus percipiunt, detracta eleemosyna Missæ conventualis. Æquum porro non videtur, ut hi absque justo emolumento graventur onere quotidianæ ejusdem conventualis applicatione, alteraque ex parte integrum pondus in reliquos Canonicos refundatur.

Decernendum itaque.

An, & quomodo sit locus reductioni Missæ conventualis quo ad applicationem in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

MARSORUM, SEU ROMANA IRREGULARITATIS. Orta Romæ noctu 30. Aprilis 1785. inter Sacerdotem Raymundum Nitoglia, & Marcum Antonium Ricupera gravi rixa, colluctare ceperunt rixantes, extinctisque luminibus, dum Marcus Antonius in terram caderet, vel humi prostratus colluctaretur, districtum a Sacerdote offendit gladium, eoque interfectus est. Conjectus idcirco fuit Sacerdos homicida in vincula, deindeque ad domum pœnitentię damnatus ad decennium. At post quinquennium ab eo aufugit loco, seque in suam patriam, in oppidum nempe Oricolæ diœcesis Marsorum recepit. Obtento autem de anno 1794. consensu a filio occisi, absolutus tandem fuit, pristinæque restitutus libertati a clar. me. Card. Corsinio decessore Urbis Vicario, cui hac de re Summus Pontifex potestatem dederat, & postulat modo dispensationem ab irregularitate.

Vicarius generalis Marsorum testatur, *eum quatuor abhinc annis moram duxisse in enunciata ejus patria, totoque eo tempore in habitu, & tonsura incessisse, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequentasse, Sacris Functionibus, ac servitio Ecclesiæ assidue interfuisse, morumque probitatem, & specimen, quæ ecclesiasticum virum decent, ut ex informatione constat semper dedisse*. Hodiernus vero Emus Vicarius testatur, quod *nihil amplius ille debet fisco, cui satisfecit, nihil*

interfecti Marci Antonii filio, a quo veniam obtinuit, nihil denique patriæ, ubi moratur, quum jam pridem omnibus religione, pietate, ac morum denique suavitate commendetur. Addit immo, quod Orator ipse *ante patratum crimen mansionarii munere in Lateranensi Basilica fungeretur, atque ita se gereret, ut nemini unquam odio fuerit, nemini scandalo; sed eum Reverendissimus P. D. Busca ejusdem Basilicæ Canonicus magnis laudibus commendet.* Atque concludit = *Quapropter non omnino videtur indignus, quem sua miseratione, ac pietate prosequantur EE. Vestræ.*

Licet siquidem Orator non vibraverit gladium, eum tamen, quem occisus offendit, stringebat; ideoque veram causam dedit homidio, ob quam irregularitatem contraxit, *Fagnan. in cap. Quidam de homicid. nu.* 2. Dispensationem autem impedire posset, quod contra sanctitatem viri ecclesiastici incederet armatus. Plura vero urgere videntur pro ea indulgenda; lapsus nimium decennii a patrato crimine; fisci, & partis compositio, constans vitæ emendatio, atque Eminentissimi Vicarii Urbis favor. In similibus enim terminis indulgens fuit Sacra Congregatio *in Tridentina Irregularitatis* 27. *Martii* 1784., *& in Brugnaten. Irregularitatis* 6. *Maii* 1786.

Quæritur ergo.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

CASERTANA. Podagricus Sacerdos Ferdinandus Bizzarro *licet non possit, nisi dorsali fulcro alicujus scamni innixus, Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, & ita per se accedere ad cornu Epistolæ, & Evangelii, nunquam vero genuflectendo, neque ad Populum, cum opus est, se convertendo; reliquas tamen ceremonias tum in Missalis romani paginis versandis, tum in cooperiendo, & detegendo calice, eoque una cum patena purificando, cæterasque satis bene ac rite explere posse, quin ulla in iisdem explendis deformitas adsit, quæ scandalum pariat, aut Divinis præstet impedimentum, præter aliquam tantummodo indecentiam ob tanti Sacrificii dignitatem;* ut facto per Magistrum cæremoniarum experimento, casertanus re-

Sess. 22. Decr. de observan. & evitan. in celebr. Mis.

refert Episcopus. Supplicat igitur infelix Sacerdos pro facultate celebrandi Sacrum in privato Oratorio, eique idem favet Episcopus. De extrema enim testatur paupertate familiæ Oratoris, *ipsumque nonnisi ex Missarum eleemosynis sua suorumque alimenta posse comparare*; & suum votum in hæc aperit verba: *Quapropter petitam gratiam celebrandi modo superius indicato, & in precibus ipsis exposito, sed privatim, & januis clausis, eidem Oratori, nisi aliter EE. Vestris videatur, elargiri posse censeo.*

In *Canone, nullus Episcopus, dist.* I. *de consecrat.* statuit *Zacharias Papa*, ut *nullus Episcopus, aut Præsbyter, seu Diaconus, ad Missarum solemnia celebranda præsumat cum baculo introire*. Per baculum enim, vel aliud fulcrum *non potest occurri periculis, & necessitatibus, quæ ex notabili impedimento Presbyteri proveniunt; & alias vidi Presbyterum quemdam ad Altare cum baculo accedentem in die festo Sancti Titularis Ecclesiæ, qui dum ad Divina ibi convenisset Populi multitudo, nescio quo casu in terram concidit, cum maximo ejusdem Populi scandalo*; ut testatur *Corrad. in prax. dispensat. lib.3.cap.6. num.* 29.

Docet contra *Benedictus XIV.* in epistola ad Apostolicum cæremoniarum Magistrum Reali, de qua *in appendic. ad tom.3.ejus Bullarii* Venetiis impressi *pag.*267.§.10., concedi posse per Summum Pontificem Sacerdoti impedito indultum celebrandi Missam sedendo, excepto Canone; in Oratorio tamen privato, & cum assistentia alterius Sacerdotis, vel Diaconi. Idque confirmat exemplis Joannis Renna Episcopi novæ Pampelonis, & Cardinalis Francisci Ferrerio. Ponderandum vero, num hujusmodi indultum, quod concessum quandoque fuit spectabilioribus dumtaxat Ecclesiasticis, & Episcopis sanctitate præclaris, *Navarr. in manual. de orat. cap.* 4. *num.* 12., concedi debeat simplici Sacerdoti ex causa paupertatis. In simili porro casu *negative* respondit Sacra hæc Congregatio *in Forosempronien.* 14. *Decembris* 1793.

Quæritur ergo.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro indulto celebrandi Missam in casu &c.

Die Sabbathi 27. Augusti 1796. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

MARSORUM, SEU ROMANA IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Expectet.

CASERTANA. *Sess. 22. Decr. de observan., & evitan. in celeb. Miss.*

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro indulto celebrandi Missam in casu &c.

Negative.

ROMANA QUOTIDIANARUM DISTRIBUTIONUM. *Ses. 24. cap. 12. de Reform.*

Beneficio dilationis concessæ Canonico Aghina, ad examen venit resolutio edita favore ejus Coadjutoris Tazj sub die 23. elapsi Januarii; ideoque Vestræ deliberationi proponitur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Prævio recessu a decisis, distributiones competere Coadjuto.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FERRARIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Postulabat nubilis puella Maria Theresia Venturini cumulum subsidiorum dotalium Freguglia: sed ad dubium = *An, & quomodo sit concedendus cumulus dotium in casu &c.* = rescripserunt EE. Vestræ in Congregatione 23. Januarii currentis anni = *Negative*. Adiit hinc Oratrix Pontificium Solium, obtinuitque *ex audientia SSmi* rescriptum = *SSmus attentis expositis, Oratricis preces benigne remisit ad eamdem Sacram Congregationem Concilii cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis.*

Suam probat paupertatem testimonio proprii Parochi, qui gravatum dicit Oratricis patrem duobus aliis filiis masculis, uxore, & duabus sororibus, itaut = *a sostenere si fatto incarico nella maniera più dicevole alla sua condizione, sono [siccome io m'avviso, e per quanto resta a mia notizia] appena valevoli le giornaliere fatiche delle sue braccia, senza speranza di poterne da esse avvanzare, che bastar possa a preparare, non dico ai di lui figli qualche piccolo stabilimento, ma un sufficiente stabilimento alla di lui figlia in qualunque ella siasi la strada, a cui piacerà di chiamarla all'Altissimo; figlia saggia, e ben meritevole del sussidio dotale, per cui s'adopera l'amantissimo suo padre.*

Consensum insuper exhibet administratoris pii Operis Freguglia, qui assentitur = *di buona voglia, che l'Oratrice sia consolata nelle sue richieste*, [cumuli dotalis scutorum 363. 63. pro dote monastica] *molto più, perche quantunque in grado remoto, la riconosco della vera cognazione Freguglia: e benche lontana di grado al testatore, o sia fondatore dell' opera pia delle doti, credo, e giudico, che ne sia degna e per esser nativa Ferrarese discendente da tutti Ferraresi, e per esser preferibile, o sopra uno dei due cumuli, o sopra le doti stesse da cumularsi all' estranee ferraresi Zitelle chiamate, e dipendenti dalla nomina degli Amministratori pro tempore, come per naturale impulso farebbe lo stesso fondatore nel caso presente: tanto più, che lo stesso fondatore concede all'amministratore di dare i sussidj ad arbitrio dell' amministratore medesimo, anche cumulati nelli scudi 50. ad una sola Zitella.*

Fatetur tamen Administrator ipse, locum habere non posse dotalem cumulum favore Oratricis, nisi post alios expletos cumulos pro Theresia, & Barbara Freguglia

ex

ex rescripto Sacræ Congregationis 16. Januarii 1782. Quoniam vero Pii operis fundi, qui initio erant in LL. MM., nunc post illorum extractionem sunt in bonis stabilibus, inter quæ nonnulla ædificia, supplicat idcirco Administrator, ut ex cumulis illis Theresiæ, & Barbaræ Freguglia, quæ grandevam ætatem agunt innuptæ, concedatur sibi summa scutorum 130. in reparationem ædium. Advertant tamen Emi Patres, novam hanc petitionem incidenter fieri in folio præstiti consensus pro cumulo Venturinię, & æquum fortasse non esse, ut viventibus Sororibus Freguglia, quidquam ex ipsarum cumulis detrahatur.

Deliberare igitur dignentur.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Prævio recessu a decisis, assignandum esse Mariæ Theresiæ Venturini alterum ex cumulis jam assignatis Thæresiæ, & Barbaræ Freguglia, quatenus altera innupta decedat.

FERETRANA APPLICATIONIS. Heredes instituit Gratiosus Calbini anno 1742. germanos suos fratres, quibus nepotes primum masculos, deindeque fæminas substituit. His autem omnibus deficientibus jussit, ex integro hereditatis fructu = *un anno si facci dire tante Messe secondo la mia intenzione, ed un anno si dotino le Zitelle più povere, e le più onorate di questa Parrocchia di S. Michele Arcangelo di Macerata*, (Feltriæ) *e si dia scudi* 25. *ducali per cadauna: e se avanzasse qualche poco di denaro, e che non bastasse per la dote di una Zitella, si dispensi tutto questo denaro a poveri di questa Terra; e che tutto ciò si faccia coll' assistenza delli Signori Rettori della Cura di S. Michele Arcangelo della sudetta Terra, e del Signor Podestà pro tempore, quali prego a voler assistere, che non sia dilapidata detta roba, e non venisse adempita la mia mente.*

Ses.21. cap.5., & ses. 24. cap. 13. de Reform.

Ejus exemplo Sacerdos Angelus Remigius Calbini, alter ex ipsius fratribus, & Rector olim parochialis Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Maceratæ Feltriæ heredes scripsit anno 1744. reliquos fratres cum eadem nepotum substitutione; & in casu = *che tutti morissero senza successione* = mandavit = *che del fruttato della sua ere-*

eredità si faccino tante limosine a poveri di questa sua Parrocchia, e non altrimenti, pregando la carità del Rettore della Chiesa di S. Michele Arcangelo pro tempore, e del Podestà, che assistino, ed abbino tutta la cura, e diligenza, acciò che questa sua disposizione sia puntualmente eseguita. Hereditas autem Gratiosi annua ex decenni calculo reddit scuta 37. 69.; altera Angeli Remigii scuta 39. 22., in unum 76. 91.. & ab extincta familia Calbini, exequutæ ad hæc tempora fuerunt piæ dispositiones. Quolibet enim biennio celebratæ sunt Missæ 170., una collata dos; & superextantes reditus in necessarias expensas, atque eleemosynas erogati: non sine tamen pluribus contentionibus jurgiisque inter testamentarios ipsos executores.

Semel autem, & iterum tentata fuit utriusque voluntatis commutatio. Anno siquidem 1766. Sacræ huic Congregationi supplicavit Joannes Franciscus Calbini superstes testatorum frater pro facultate erogandi hereditaria bona in constructionem Ecclesiæ in suburbio Maceratæ Feltriæ cum assignatione dotis, & in manutentionem Capellani, qui quotidianum pro testatoribus offerret Sacrum: sed proposito dubio: = *An, & quomodo sit consulendum SS̃mo pro commutatione voluntatis* = die 20. Decembris illius anni Sacra Congregatio rescripsit = *Quoad dispositiones Gratiosi, & Angeli Remigii negative, & amplius; In reliquis utatur jure suo*. Quum eamdem Ecclesiæ constructionem superioribus annis meditarentur potentiores quidam suburbicarii, rem idcirco pauperes oppidi ad EE. Vestras detulerunt, ac pro recta supplicarunt piarum dispositionum executione; prodiitque die 27. Februarii 1790. rescriptum = *Episcopus utatur juris remediis, quoad rectam legatorum executionem, firmo remanente decreto Sacræ Congregationis* 1766. Cum primum vero in Rectorem S. Michaelis Archangeli assumptus fuit Sacerdos Dominicus Antonius Ravogli, fatiscentia invenit parochialia, & Ecclesię ædificia. Pro reparatione ædium parochialium requirebatur judicio periti summa scutorum 97. monetę romanæ; & pro reparatione Ecclesię scuta 20., eaque amplianda scuta 200., in unum scuta 317., sed nulli erunt Ecclesię reditus, nec sumptui pares fructus Parochiæ, qui juxta notulam ab ipso Parocho exhibitam, cui feretranus adhærebat Episcopus, annuam, detractis oneribus, non excede-

debant summam scutorum circiter 19.; præter incerta juliorum circiter quindecim: quam tamen notulam impugnat Defensor pauperum dissetientium, ut opportunius notabitur infra. Qua de re cum plerisque oppidanis, quorum intererat distributio eleemosynæ, & dotium, convenit Parochus de impetranda ab EE. Vestris applicatione utriusque legati fabricæ Ecclesiæ; hisce sub pactis.

I. *Che il Parroco di questa nostra Parrocchia, cioè quello, che risiederà pro tempore, e possederà li sudetti beni, sia obbligato a dare un anno una dote di scudi 25. ducali alle Zitelle più povere, bisognose, ed oriunde di questa Parrocchia di S. Michele Arcangelo, e non mai all'estere, ed un anno le limosine, ma queste nella somma di scudi 15. romani da dispensarsi dal Parroco pro tempore la vigilia del S. Natale; e dandosi il caso, che prima del sudetto giorno non vi fosse alcuna zitella da maritarsi, e che non avesse chiesta la testè accennata dote, sia allora padrone il Parroco pro tempore di fare la limosina a' poveri della Parrocchia, e non mai alli esteri, e facendo la sudetta limosina non sia più obbligato in quell'anno a dare la sudetta dote. E tutto ciò in perpetuo, cioè un anno le limosine, e l'altro anno la dote.* II. *Che noi quì infrascritti, o sotto Croce segnati da quì avanti, ed in perpetuo (accettandosi queste condizioni in un coi sudetti beni) non possiamo esser molestati, nè in verun conto obbligati alla manutenzione della fabbrica della Chiesa, e Case parrocchiali; ma quella rata, che potrà, o dovrà spettare a noi, o a nostri eredi in linea retta, spetti al Parroco pro tempore, e ciò in perpetuo; giacchè adesso cediamo l'usufrutto dei retroscritti beni.*

II. *Che per il riattamento presente delle Case, e Chiesa parrocchiale, e per l'ingrandimento di questa in quella maniera, che si potrà, e giusta la cognizione, e giudizio de' periti, e del moderno nostro Arciprete, si abbia da alienare, e vendere tutto il fondo PERSENA delle ragioni dei retroscritti, e col ritratto di esso fondo si abbia da riattare, ed ingrandire la Chiesa sudetta, e Case parrocchiali a giudizio come sopra, e non altrimenti &c. Qual somma poi di ritratto sudetto debba unirsi coll'altra somma ottenuta da Roma per lo stesso fine, ed insieme fare la sud. fabbrica, riattamento, e la nuova Sagrestia già disegnata in una stanza, che ora serve per uso del Parroco, e nelle Case parrocchiali, o come potrà*

trà. IV. Che mai, e in perpetuo (se non per qualche urgente bisogno da provarsi, e documentarsi) non possa traslatarsi la Parrocchia, e Chiesa parrocchiale al Borgo di questa Terra, o altrove: diversamente vogliamo, e ci protestiamo, che il presente foglio in un colla nostra sottoscrizione, e S. Segno di Croce non abbia alcun vigore questa transazione &c. o altro &c. ma anzi vogliamo, che ritornino nel pristino stato i legati Calbini retrocennati, e per tal effetto adesso per allora ci dichiariamo, che il Parroco, ed Arciprete pro tempore non sia più padrone di percepire i frutti, ma sia soltanto esecutore testamentario, come lo è al presente. E nella stessa maniera ci protestiamo, che debba essere qualora o non venghino accettati i fin qui accennati capitoli, e condizioni, o non venghino adempiti.

Oppidani vero, qui se hisce capitulis subscripserunt, hæc per modum declarationis addiderunt = I. *Intendiamo, che l' urgente bisogno posto nel IV. capitolo di questo foglio rapporto alla traslazione della Chiesa Parrocchiale altrove, e fuori del Castello di questa Terra, si abbia solamente da intendere per sprofondo del Castello tutto; e ciò specifichiamo a scanso di ogni litigio.* II. *Sia in perpetuo obbligato il Parroco pro tempore anche ad insegnare a Chiericì della Terra tutta la morale.* III. *di più vogliamo, che chi avrà in mano il denaro, che si riceverà dal fondo Persena, abbia da porlo tutto nella retroscritta fabbrica, ed ingrandimento della nostra Chiesa parrochiale nel termine di un anno, e raccomandiamo al nostro moderno Arciprete la sollecitudine in questo affare.*

Qua de re EE. Vestris supplicavit Parochus Ravogli tum pro perpetua dictorum legatorum applicatione, cum pro facultate alienandi predium *Persena* in præsentem parochialium ædium, & Ecclesiæ reparationem. Rejectis vero precibus quoad alienationem prędii, & in reliquis pro informatione remissis sub die 24. Januarii 1795., denuo petitioni consensum præstiterunt 51. Oppidani, quibus alii sexdecim deinde adhæserunt. At eorum sexdecim, quasi Capitula conventionum per fraudem subsignassent, restiterunt; nec non Prætor loci, qui alter est executor testamentarius. Ei tamen favit Feretranus Episcopus in hæc verba = *ad meam devenio sententiam, breviterque dico, quod petita unio nimis mihi videtur utilis. Hæc cunctas dirimi*

mit controversias, & quereias, quæ singulo in anno contingunt, & præsertim quoad elargitionem dotium, eleemosynarum, ac etiam inter Executores. Prætor cum termino, vel sex mensium, vel unius anni mutatur; ideoque diversitas opinionis, vel aliquando favoris quid dicendum parit. Utilior est populo, qui liberatur ab onere restaurationum, quæ sæpe sæpius accidunt, & accidere possunt, etiam majores, quam hodie ob instabilitatem soli, eo sublevantur maxime pauperes habitatores, & rustici; cunctæque tolluntur quæstiones quoad obligationes pro restaurationibus Ecclesiæ Ædiumque parochialium. Utilissima tandem est eidem Parœciæ; nam auctis reditibus, facilius invenietur Parochus occasione vocationis, quod datum non fuit in præteritum; duabus enim vicibus vocavit tempore mei gubernii, unusque vel ad plus duo comparuerunt, replicatis etiam concursus edictis. Optime erit, ut illa Terra habeat Parœciam sufficientibus reditibus præditam; poterit enim sperare semper magis idoneos Parochos, & seligendos in concursibus optiores, & non cogatur Episcopus, sicuti fuit, conferre Parœciam cui ex gratia se exhibet illius acceptationi.

Remissa autem Causa ad folium, *citata Parte*, sua dumtaxat deducunt jura, qui contradicunt Parocho; nam hic veluti impar sumptui formalis contentionis, rem Vestro committit judicio. Plura siquidem pro unione notanda. Si fides præstanda est notulæ Parochi, de Parochia agitur paupere, quæ idcirco ob defectum concurrentium conferri consuevit *ex gratia*, ut refert Episcopus. Absurda ergo non videretur dictorum legatorum applicatio; nam ad succurrendum pauperi Parœciæ hujusmodi applicationem permittit Tridentina Synodus *in Sess. 21. cap. 5., & sess. 24. cap. 13. de Reform.* Non multum præterea immutarentur piæ dispositiones Calbini; quum juxta capitula Oppidanorum fieri etiam deberet per Parochum, licet in minori quantitate, distributio eleemosynæ, & dotium; præsertim si adjungeretur onus celebrandi quotannis Missas 85., aut quolibet biennio 170. secundum fundationem Gratiosi ad hęc tempora exequutam. Consensus accedit eorum fere omnium, quibus dotes, & eleemosynæ tribui deberent. Vitarentur rursus jurgia, & contentiones, quæ inter Oppidanos, atque executores testamentarios hactenus fuerunt, eaque juxta relata capi-

pitula Oppidanis ipsis obveniret utilitas, quod numquam amplius in posterum obligari possent ad reparationem Ecclesiæ parochialis, ad quam in defectum ejus redituum, Patronorum, & Beneficiariorum subsidiarie tenerentur ex *Sac. Concilio Tridentino sess. 21. cap. 7. de reform.*

Altera ex parte, qui Oppidanos dissentientes tuetur, deficere ait unionis requisita, *necessitatem* scilicet, & *utilitatem*, de quibus *in cap. exposuisti* 33. *de preben.* atque eorum *consensum*, quorum interest, *Tambur. de jur. Abbat. tom. 3. disput. 15. quæst. 3. n. 1. & seq.* Ad excludendam necessitatem notandum rogat, numquam omnino vacantem fuisse Parochiam, eamque cupide appetiisse, & *in aliorum concursu* obtinuisse hodiernum Parochum Ravogli, & quidem post novissimos Rectores, ac præsertim Joannem Dominicum Battelli, qui per annos 44. Parochiam ipsam retinuit, nec umquam de redituum tenuitate questus fuit; ut nonnulli deponunt testes. Si quæ vero per petitam applicationem est utilitas, eam non favere Ecclesiæ, sed Parochi esse contendit. Idque probat per accurаratam liquidationem veri reditus Parœciæ in summa scutorum 86. juxta propriam demonstrationem, vel scutorum saltem 55. 81. juxta notulam ipsam Parochi; additis nempe statui activo, quæ Parochus prætermittit, & demptis a passivo, quæ ipsimet Parocho, non Parœciæ incumbunt, ac præsertim stipendia Missarum, quæ parochialem congruam non minuunt, *Card. de Luc. de Benefic. disc. 90. num. 8.*, *Rot. coram Merlin. decis. 587. num. 8.*, *coram Buratt. decis 418. num. 6.*, & *coram Lancetta decis. 390. num. 5.* Satis autem censet ad congruam Parochi scuta 50., juxta *constit. S. PII V.*, quæ incipit *Ad exequendum*, & est inter ejus impressas *in Bullar. Cameral. la* 47. (loquitur tamen ibi Sanctus ille Pontifex de Vicariis perpetuis non de veris Parochis) Ac defectum tandem consensus interesse habentium ex ipsa desumit quorumdam Oppidanorum contradictione. Hisque omnibus addendum est, jam semel anno 1766., iterumque anno 1790. similem fere denegatam fuisse eorumdem legatorum applicationem.

Quo vero ad reparationem ædium, & Ecclesiæ Parochialis; vel EE. Vestræ petitam denegabunt applicationem, & tunc

& tunc providendum erit remediis a *Sacro Concilio Tridentino* præscriptis; vel eam concedent, & in hoc casu deliberandum erit de modo conficiendi reparationes. Alienationem prædii *Persena* proponit Parochus; & quodammodo necessaria videri posset, dum præsens urget parochialium ædium, & Ecclesiæ reparatio cum sumptu scutorum 117., ac ipsius Ecclesiæ ampliatio cum sumptu aliorum scutorum 200., neque secundum assertionem Parochi pares sunt Parochiæ reditus operi. At notare dignentur Eminentissimi Patres, Reverendam Fabricam Sancti Petri cessisse anno 1794. in reparationem dictæ Ecclesiæ parochialis scuta 87. 07. $\frac{1}{2}$, & Archipresbyterum Ravogli accepisse ad hereditate ejus decessionis per duplicem transactionem scuta 49. 82. $\frac{1}{2}$ in refectionem damnorum, quæ decessor ipse intulerat prædiis rusticis, & urbanis. Ex hoc autem infert dissentientium Defensor, necessarias saltem ædium, & Ecclesiæ reparationes fieri posse cum exuberanti pecunia per cessionem, & transactiones accepta; ideoque opus non esse, ut in perniciem Pii operis Calbini hereditarium vendatur prædium *Persena*.

In deliberationem igitur venit.

I. An & quomodo sit locus applicationi hereditatum Calbini in casu &c.

II. An, & quomodo sit providendum præsenti reparationi ædium, & Ecclesiæ parochialis in casu &c.

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative ex pecunia cumulata, & quatenus opus, aliis etiam remediis a S. Concilio Tridentino præscriptis.

BRIXIEN. DUBIA BAPTISMI, ET MATRIMONII. Quum in majoribus Ecclesiæ causis, & difficilioribus quæstionibus circa Fidem, & Sacramenta exquirendum sit Apostolicæ Sedis judicium, juxta monitum Innocentii III. *in cap. majores* 3. *de Baptismo*, & Benedicti XIV. *de Synod. diœces. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 9., definiendum idcirco proponit Brixiensis Episcopus Sacræ huic Congregationi Dubium. quod ad suam de- *Sess.* 7. *cap.* 9. *de Baptism.* & *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.*

tulit Curiam Joannes Franciscus Pegorino annorum quinqueginta quinque, in hæc verba = *Gio. Francesco Pegorino bresciano, e Padre di una figlia Elisabetta da molti anni maritata, ascoltando nel passato Decembre 1794. la Dottrina Cristiana per il S. Battesimo, mi sono confermato nel dubbio, se la figlia fosse veramente battezzata. Umilio pertanto il fatto a piedi di V. E. Reverendissima per assicurare me medesimo, e la mia figlia.*

Mi ricordo di esser stato presente nel Mese di Maggio dell' anno 1767. al parto difficile di Caterina mia moglie, ed aver veduto la Levatrice nominata Maria Desiri . . . versare l' acqua per battezzare la bambina, che credè in gran pericolo prima, che nasca, ma non ho veduto emergere dall' utero materno niuna parte della bambina medesima, e sono moralmente sicuro, che nessuna parte d' acqua non ha tocco nessuna parte della bambina medesima, che venne poi alla luce dopo tre ore. Portata la sudetta mia figlia Elisabetta al Sagro Fonte, ed interrogata la Levatrice dall' ora quondam Reverendo Priore D. Ottavio Busi Benedettino Curato di S. Faustino Parrocchia di questa Città, se la sudetta mia figlia aveva avuto l' acqua, rispose di sì. Io che ero presente, parte per soggezzione di non conturbar la Levatrice, parte perchè allora non sapevo la necessità. che l'acqua dovesse veramente, e fisicamente abluere qualche parte del corpo, non dissi nulla. Umilmente adesso espongo di ricordarmi, che il Parroco non usò acqua colla detta mia figlia, ma supplì solo a tutte le cerimonie = Io Gio. Francesco Pegorino con mio giuramento.

Casu exhibito, illud a S. C. enixe precor, (scribit Episcopus) *ut non solum declarare dignetur, quid de baptismate sit judicandum, verum etiam quid circa matrimonium, quod pluribus ab hinc annis mulier, de qua in casu, contraxit, ex eoque prolem suscepit, sit agendum. Illud insuper adjiciam, mihi ex personis fide dignis constare, R. P. Curatum, cujus meminit casus, parum in suo munere fuisse accuratum, ipsiusque propterea DE COLLATO A SE BAPTISMATE testimonio, quod in parochialibus libris legitur, non esse omnimodam fidem habendam.*

Duo igitur juxta hanc facti speciem sunt quęrenda, validitas nempe baptismi, & matrimoniii. Ad validam prio-

prioris Sacramenti collationem tria absolute requiruntur, materia nempe, seu aqua naturalis, forma, seu pronunciatio verborum, quæ ad collationem baptismi DOMINUS NOSTER JESUS CHRISTUS præscripsit, & Minister cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, ut ex Sacris Literis, Sanctisque Patribus compertissimum est Fidei dogma. Merito hinc Tridentini Patres *in Can. 2. Sess. 7. de reform.* decreverunt, quod qui *dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI = Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

De adhibita in nostro themete forma, & Ministro, nulla testimonio Pegorini est quæstio. Accita enim obstetrix ad difficile puerperium Catherinæ, festinavit periclitanti fœtui baptismum, legitima in eo administrando adhibita forma. Tota igitur difficultas versatur circa materiam, num aqua scilicet per illam effusa vere, ac physice corpusculum tetigerit puellæ in utero matris. Sive enim per trinam immersionem juxta ritum primitivæ Ecclesiæ, sive per aspersionem, sive infusionem aquæ in caput baptizandi secundum præsentem ritum, semper ad validam baptismi collationem physicus requiritur aquæ contactus, & realis infantis ablutio. Interrogata sane obstetrix a Parocho = *Se la sudetta figlia avea avuto l' acqua; rispose di sì.* Ad comprobandam autem legitimam baptismi collationem, satis esse unius testimonium declaravit *Leo Papa in epistola* 35. *ad Leonem Episcopum Ravennatensem*; de qua *in Can.* 112. *distinct.* 4. *de consecrat.*, dummodo tamen, ut ibi notat glossa, neque paganus, neque judæus sit testis. Ex qua *Leonis* declaratione infert altera *glossa in capit. nuper 2. de testib.*, quod = *quandoque bene creditur uni etiam non jurato, quando non sit præjudicium alicui, puta an aliquis sit baptizatus.*

Pugnant tamen inter se Pegorinius, & Parochus. Hic namque monumentum in libro baptizatorum reliquit *de collato a se baptismate*, ut refert Episcopus: ille sub juramento affirmat, collatum fuisse baptisma ab obstetrice; se vero esse *moralmente sicuro, che nessuna parte d'acqua non ha tocco nessuna parte della bambina*: neque deinde Parochum adhibuisse *acqua colla detta mia figlia, ma supplì solo a tutte le ceremonie.* Cui autem præ-

standa sit fides, EE. Vestræ decernent. Præferendus sane videretur liber parochialis, qui plenam de collato Baptismate constituit probationem, *Pax Jordan. lucubr. tom. 3. lib. 14. tit. 20. num. 48.*, *Monacell. in formul. legal. tit. 10. de Paroch. num. 2.* Testatur contra Episcopus, Parochum *parum in suo munere fuisse accuratum, ipsiusque propterea de collato a se baptismate testimonio, quod in parochialibus libris legitur, non esse omnimodam fidem habendam*. Illudque insuper notandum, quod de collatione agitur baptismi, a quo æterna pendet salus: ideoque in concursu Parochi affirmantis, præferri forsan debet pater baptizatæ, qui illam sub juramento negat, *la Croix Theolog. moral. tract. de Baptism. num. 312.*, *Ligor. lib. 6. tract. 2. de Sacram. cap. 1. de Baptism. dub. 4. part. 2. numer. 134.*, *Schmalzgrueber. cons. canon. 73. de Baptism. iterau. num. 16.*

Dubia quidem videri posset fides patris ob notatum filiæ baptismum post annos 29. contra parochiales libros; potissimum quia sera ejus depositio tribui potius valet scrupulo concepto ex catechesi anni 1794. At ponderandum, quod de teste agitur oculari, jurato, maturæque ætatis annorum 55.; quodque magis est, de patre, qui spirituale curat filiæ suæ bonum, æternamque illius salutem per validam, indubiamque collationem baptismi. Collati vero Sacramenti vitium opportuno tempore non patefecit = *parte per soggezione di non conturbare la Levatrice, parte perchè allora non sapevo la necessità, che l' acqua dovesse veramente, e fisicamente abluere qualche parte del corpo*. Idque verisimile est, quia de rudi agitur, & vulgari homine, in quo ignorantia etiam præsumitur juris, ex *cap. ut animarum 2. de constit. in sexto, Nicol. lucubrat. canon. lib. 5. tit. 39. num. 38.*

Admissa igitur depositione Pegorini, quod in collato ab obstetrice baptismate *nessuna parte d' acqua non ha tocco nessuna parte della bambina medesima, che poi venne a luce dopo tre ore*, quodque Parochus *non usò acqua colla detta mia figlia, ma supplì solo a tutte le ceremonie*; jam pro nullitate respondendum esset baptismi. Exploratum namque est, corpus infantis ita in materno utero clausum, ut nulla ejus pars aqua perfundi queat, baptizari non posse, nec quidquam infanti pro-

prodesse baptismum, ut docet *Augustinus lib.6. contra Julianum cap.* 5., de quo *in can.* 114. *dist.* 4. *de consecr.* Julianus enim, aliique hæretici validum affirmabant baptismum per ablutionem materni corporis; eorumque falsa opinio improbatur etiam a *Divo Thoma* 3. *part. qu.* 68. *art.* 11. Gravis immo est quæstio, quam passim Theologi, & Canonistæ proponunt, ac præsertim *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 2., num reserato scilicet, ineunte puerperio, materni uteri ostio, valide baptizetur infans, cujus corpusculum, licet nulla ex parte in lucem editum, per instrumentum tamen aliquod ablui valeat aqua.

Plures siquidem magni nominis *Doctores* negativam tuentur sententiam, & præsertim *Theophilus Raynaldus de ortu infant. per sect. cæsar. cap.* 6. *num.* 14. *Natal. Alexand. theolog. dogm.*, & *moral. tom.*2. *lib.*2. *cap.*7. *prop.* 2. *in fin.*, *Juvenin. de Sacramen. dissert.* 2. *quæst.* 7. *cap.* 1. *art.* 2. *in fin.*, & *Gibert. in jus can. tract. de Sacrament. tom.* 3. *tit.* 2. *sect.* 9. *num.* 1. eamque confirmant auctoritate SS. *Augustini*, & *Thomæ*. Divus namque *Augustinus lib.* 2. *de peccat. merit.*, & *remiss. cap.* 27. *tom.* 10. *oper.* docet = *Sacramentum baptismi Sacramentum regenerationis est: quocirca sicut homo, qui non vixerit, mori non potest; ita qui natus non fuerit, renasci non potest.* = & *in epist.* 57. *ad Dardanum num.* 31., & *seqq. Angelicus vero Doctor* 3. *part. quæst.*68. *part.*11. *cap.*6. *num.* 5. ait = *Baptismus est quædam spiritualis regeneratio: non ergo debet aliquis baptizari priusquam ex utero nascatur.* Quod statuitur etiam *in canon.*115. *de consecrat. dist.* 4., ibi = *Qui in maternis uteris sunt, ita cum matre baptizari non possunt; quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest* = Atque *in Rituali Romano de Baptismo* §. 17., ibi = *nemo in utero matris clausus baptizari debet*.

Pro affirmativa contra sunt *Suarez in* 3. *part. disput.* 2. *quæst.* 68. *sect.* 6. *artic.*11. *in comment*, *Tournely tom.*4. *pag.*299. *Holzman. theolog. moral. tom.*2. *tract.*2. *cap.*2. *art.*2. §. 1. *num.*137., *Layman. in theolog. moral. lib.*5. *tract.*1. *cap.*3. *sub num.*2., *Engel. in Jus Canon. lib.*3. *tit.*42. *num.*6., *Wiestner eodem lib.* & *tit. num.*10. & 11., & *Benedictus XIV. de Synod. diœces. lib.* 7. *cap.* 5. *num.*5.

num. 5. Rationes vero, quibus secundæ sententiæ Auctores ducuntur, erudite collegit *Ligor. in theolog. moral. lib.6. tract.1. de Sacrament. cap.1. num. 107.* = *Talis infans* (sic ille) *cum jam existit homo viator, bene potest baptismum suscipere. Nec obstat ratio opposita, quod nequeat renasci, qui nondum est natus. Vere enim aliquis potest dici natus non solum cum ex utero egreditur, sed etiam cum in utero jam vivit, juxta illud Angeli ad Joseph de conceptu Verbi incarnati &c. quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Idque asserit Divus Thomas in 4 dist.12. quæst.1. ad 2. dicens = duplex est carnalis nativitas, prima in utero, secunda extra uterum = & apertius hoc probatur ex cap. 4. de Baptis., ubi Innocentius III. exprimit, tum dici hominem nasci, cum concipitur, inquiens = in carnali generatione, qua proles ex viro, & fœmina nascitur &c. = Ergo proles tantum ex viro, & fœmina generata, bene dicitur nata. Et de hac nativitate congrue explicari potest textus Joannis = nisi quis renatus fuerit &c. nam in Trident. sess.5. decret. de peccat. orig., Textus ille sic explicatur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Ergo peccatum originale per solam generationem contrahitur, ita pariter, ut homo per Gratiam regeneretur, sufficit, ut sit jam generatus.*

Hæc vero de contraria SS. Patrum sententia observat = *Atque tandem D. Thomas in hanc sententiam clare descendisse videtur in eodem art.11., ubi postquam negavit, posse puerum baptizari in utero matris, ratione ductus, quia, ut ait, corpus infantis antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua; statim addit = nisi forte dicatur, quod ablutio baptismatis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat, sed hoc esse non potest = Ergo S. Doctor, sicut etiam S. Augustinus, S. Isidorus, & Rituale Romanum negando, puerum posse baptizari in utero matris, intelligunt de puero in utero omnino clauso, quem valide baptizari per ablutionem corporis matris Julianus, & alii Hæretici perperam contendebant, contra quos scripsit Augustinus; non vero de puero, qui per aliquod instrumentum potest tingi aqua. Hoc enim casu, ut ait Tournely, explicans verba Augustini = per uteri aperitionem saltem inchoate dicitur natus, & ideo D. Thomas dixit, puerum in utero non* pos-

posse baptizari, nisi ablutio ad filium in ventre existentem perveniat. Addit quidem, sed hoc esse non potest, intelligendo de ablutione sine aperitione uteri. Ergo si potest ablutio pervenire, ut bene arguit S. P. Benedictus XIV., bene potest puer baptizari.

Quenam ex duabus hisce sententiis sit probabilior, pro sua sapientia Emi Patres decernent. Notandum tamen, quod *Doctores* ipsi, qui hujusce baptismi validitatem sustinent, propriæ non aquiescunt opinioni, & in tutiorem conveniunt sententiam pro illius iteratione sub conditione, quoties infans periculum evaserit. Ita *Tournely in suis Prælect. de Sacramen. baptis. quæst.3. art.3. Benedictus XIV. cit. in loco de Synod. Diœces. lib.7. cap.5. num.6.*, aliique ab eo allegati. Eam porro gravissimam adducit rationem *Card. de Lugo respons. moral. lib.1. dub. 33. num. 2.*, quod scilicet = *in Baptismo, Sacerdotio, & Episcopatu non licet amplecti opiniones probabiles circa valorem Sacramenti, propter maximum necessitatem valoris certi in his Sacramentis; sed amplectendæ sunt opiniones magis tutæ, etiamsi minus probabiles, ob maxima inconvenientia, & damna, quæ ex invaliditate horum Sacramentorum sequerentur, quoties grave, & prudens dubium est de valore Sacramenti, seu quoties probabilis sententia dicit non fuisse validum*. Qua de re *Innocentius XI.* die 2. Martii 1679. hanc inter alias damnavit propositionem in ordine la 1., his verbis conceptam = *non illicitum, in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravioris damni incurrendi.*

Reque ipsa tutiorem amplectens sententiam, Sacra hæc decrevit Congregatio, iterandum esse baptismum in *Sutrina Baptismi 12. Julii 1794*. Agebatur siquidem de puero clauso in materno utero, & periclitante, qui per apertum chirurgi opera uteri ostium, baptizatus fuerat, quum ejus capitis vertex = *per quattro buone dita traverse chiaramente vedevasi scoperto da ogni membrana nel tratto della vagina*. Hoc tamen non obstante, & quamvis chirurgus sub juramento affirmaret, quod aqua *fisicamente dovea toccare il vertice, giacche i capelli non erano bastanti a ripararla, avendone buttato sufficiente quantità* = ad Dubium = *An Baptismus sit iterandus sub conditione in casu &c.*, respondit Sacra Congregatio = *Affirmative*. Duriores cer-

certe sunt præsentis casus termini, si fides præstanda est patri baptizatę. Nulla enim ex ostio uteri visibilis erat pars illius corporis, nullumque adhibitum fuit instrumentum, ut videri, & aqua tangi posset.

Si in his autem terminis invalidus, aut dubius saltem censeatur batismus, de quo agitur, itaut sit iterandus, quærendum insuper erit de validitate matrimonii, quod pluribus ab hinc annis Elisabeth contraxit. Triplici sane modo spectari matrimonium posse docet *Habert. Theolog. dogm.*, & *moral. de Matrim. cap.* 1. *num.*1. ut contractum scilicet pure naturalem, a Deo inductum, in officium naturę, & conservationem generis humani; ut contractum civilem, qui naturalem componit, ac perficit politicis legibus, ac regulis, quibus sapienter consulitur Reipublicæ paci & tranquillitati; ut Sacramentum denique novæ legis, quo conjuges gratia exornantur, ardor temperatur concupiscentiæ, ditatur Ecclesia pia, & fideli prolis educatione. *Matrimonium quippe* (sunt illius verba) *ait Concilium Maguntinum anni* 1549. *cap.*36., *ab initio ad officium naturæ constitutum, tandem ex Dei benignitate infirmis hominibus ad remedium cessit, ut jam hæc maris, & fœminæ commixtio, quæ alioquin propter turpem concupiscentiæ motum peccato non careret, propter gratiam Sacramenti, conjugibus ad peccatum non imputetur, sed sit honorabile connubium, & thorus immaculatus.*

Distinguitur propterea matrimonium *in legitimum*, quod legitimo consensu inter personas habiles, seu a Jure non impeditas contrahitur, & datur etiam inter infideles, & in *ratum*, quod nedum legitimo contrahitur modo, sed rationem insuper habet Sacramenti, & inter baptizatos tantum celebratur; diciturque *ratum* ob firmitatem, & insolubilitatem vinculi, dum legitimum contra solvi valet favore Fidei, cum alter conjux dissentiente altero ad fidem convertitur, ex epistola Divi Pauli I. ad Corinth. cap.7. Matrimonium autem ratum unum esse ex septem novæ Legis Sacramentis a CHRISTO DOMINO institutis, catholicum est dogma, ex *Concilio Florentino sub Eugenio IV.* in decreto unionis pro Armenis, & *Concilio Tridentino sess.* 24. *can.*1. *de Matrim.*, ejus vero ut reliquorum Sacramentorum, januam esse baptismum, ut late probant *Mastr. in* 4. *sentent. tom.*4. *disp.*7. *num.*27., & *seqq.*,

seqq. , *Card. de Lauræa disp.*13. *de Matrim. art.*7. , & 8. *Gonzalez. in comment. ad cap. de Infidelib. num.*3. *de consanguin.* , & *affinit.* , *aliique* .

Quærendum hinc num posita etiam nullitate collati baptismatis, nullum pariter necne fuerit matrimonium ab Elisabetha contractum. Si baptismus profecto janua est, per quam aditus patet ad alia Sacramenta, valide Elisabeth contraxisse non videretur matrimonium; eo plane modo, quo non baptizatus valide confirmationem, vel ordinem non suscipit, *ex cap.*1. *de Presbyter. non baptizat.* , ibi = *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur* = & *cap. veniens eod. tit.* Canonica tamen sunt jura, ex quibus excipi potest a regula matrimonium. Innocentius porro III. in cit. cap. veniens ad differentiam Sacramenti Ordinis statuit, quod = *Sacramentum conjugii, & Eucharistiæ a non baptizatis recipi potest* = Iterumque in cap. gaudemus de divort., quod = *Sacramentum conjugii apud fideles, & infideles existit, quemadmodum ostendit Apostolus dicens &c. Honorius item III. in cap. ultim. de transact.* hæc habet = *utpote conjugii Sacramentum, quod non solum apud Latinos, & Grecos, sed etiam apud fideles, & Infideles existit* = Idemque sentiunt *Divus Augustinus lib. de bon. conjugal. cap.*18. , *Catherin. lib.*5. *contra Cajetanum tit. de matrim. quæst.* 5. *Rossens. contra Regem Angliæ assert.*7. *de Sacram*; *Castr. de hæres. verb. nuptiæ*, *Gonzal. ad cap. de infidel. num.*3. *de consanguin.*, & *affin.* , *Manstr. dict. disput.*7. *de Matrim. num.*26.

Loquuti tamen fuerunt Summi illi Pontifices, ac Theologi de Sacramento matrimonii late sumpto, idest *pro mysterio*, ob significationem quamdam conjunctionis Christi cum Ecclesia, ut notant *Manstr. in d. disput.* 7. *num.*30., *Card. de Lauræa dicta disp.*13. *art.*7., & 8. *Sanchez. de Matrim. lib.*2. *disp.*8. *num.*1. , *Kugler. de Matrim. cap.*1. *tom.* 3. *num.* 34. , aliique. Qua de re *Alexander III. in cap.*7. *de divort.* declarat quod = *etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum : inter fideles autem verum, & ratum existit; quia Sacramentum Fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur* = & *Divus Thomas in* 4. *distinct.* 39. *quæst.*1. *art.*2. *ad* 1. , ibi = *Quamvis infidelibus non competat matrimonium, secundum quod est Sacramentum, in dispensatione Ministrorum Ecclesiæ consi-*

stens, competit tamen eis in quantum est officium naturæ: & tamen etiam tale matrimonium aliquo modo est Sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter, eo quod non contrahunt in Fide Ecclesiæ.

Verum ponderare dignentur EE. Vestræ in casu, de quo agitur, num contraxisse censeatur Elisabeth matrimonium in fide Ecclesiæ, itaut secundum Doctorem Angelicum actualiter etiam acceperit Sacramentum. Agitur porrò de muliere à Christianis parentibus nata, & in Christiana Religione sub fide accepti baptismi instituta; ideoque fidem habuisse videtur Sacramenti matrimonii, illudque contraxisse in fide Ecclesiæ cum intentione faciendi, quod Christus instituit, & Fideles faciunt in Ecclesia. Habuisse in his terminis censetur baptismum flaminis, quod unum est ex baptismis, de quibus loquitur Glossa ordinaria ad cap. 6. epist. 1. ad Hebræos, fluminis nempe, flaminis, & sanguinis, valideque propterea per illum, & actualiter matrimonium, ut Sacramentum contraxisse.

Aliter suadere posset canonicum illud impedimentum, quod vocatur cultus disparitas; nam absolutè prohibetur conjugium baptizati cum non baptizato, etiam cathecumeno, qui fidem habet baptismi, irritumque declaratur in can. cave 16. caus. 18. quæst. 1., quem exornant *Layman. lib.5.tract.*10. *de impedim. Matrim.*, *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *de impediment. disput.* 71. *num.* 2., probavitque Sacra hæc Congregatio die 26. Septembris 1623. per decretum illud = *Sacra Congregatio censuit, matrimonium, ut proponitur, cum infideli contractum nullum prorsus, atque irritum esse*, ut in *lib.* 12. Decretor. *pag.* 140. Neque ad validitatem hujusce matrimonii prodesse forsan in nostro themate valet baptismus flaminis. Quamvis enim triplex sit baptismus, ut notat tamen *Glossa in cap. Baptismi vicem de consecrat. distinct.* 4., tria non sunt baptismi Sacramenta, quia baptismi flaminis, & sanguinis = *non fiunt accedente verbo ad elementum* = sed per contritionem, votumque baptismi, vicem supplent baptismi fluminis, quod unum est Sacramentum, ut observat *Ferrar. in Biblioth. verb. Baptismus art.*1. *num.*6. & *seqq.*

Cæterum, si matrimonium Elisabethæ irritum videretur in ratione Sacramenti, validum tamen foret, uti con-

contractus pure naturalis, & civilis, sive ut legitimum conjugium. Inter infideles enim, sive non baptizatos verum existit legitimum, ac validum matrimonium, licet non ratum, idest Sacramentum proprie dictum, juxta Innocentium III. qui scribens Rufo, Eusebio, cæterisque Episcopis Macedoniæ, matrimonium contractum a cathecumeno dixit legitimum ideoque etiam validum, legitimamque prolem ex eo susceptam, ut *in Canone deinde* 3. *distinct.* 26. quem sequuntur Theologi, & Canonistæ, ac potissimum *Habert theolog. dogmat. & moral. cap.* 9. §. 2. *de cultus disparit.*, *Kugler. loc. cit.*, *Pirrhing. de divort. num.* 3. Atque ita etiam censuit Sacra hæc Congregatio in *Ripana* 12. *Decembris* 1733., & *in Tarvisina Baptismi* 4. *Maii* 1737., in qua agebatur de matrimonio contracto per quandam Lauram Dolfini, de cujus baptismate dubitabatur; & ad Dubium: *An Laura Dolfini baptizari debeat sub conditione* = responsum fuit: *Affirmative, & secreto, & sine præjudicio validitatis matrimonii* = super qua resolutiane *Girald. in exposit. Jur. Pontific. part.* 1. *decretal. tit.* 42. *de Baptis. sect.* 615. notat, *& quidem speciatim, quoties reiterandus est baptismus, si res est de adultis, semper reiterandum esse secreto, sive adultus ligatus sit, sive non matrimonio, & sine præjudio matrimonii, si prius fuerit rite contractum.*

Ad rem etiam facere videtur casus alter resolutus a Sac. Congregatione S. Officii. Quidam Miles, qui dispensatus ab exhibenda fide baptismatis, matrimonium contraxerat, post annos 14. de accepto baptismate dubitavit, tum ob nullum de eo inventum monumentum, cum ob frequentes monitiones assertæ ejus matris, (Credebatur enim spurius) ut fieret baptizari. Dubio autem per Consultorem ejusdem Sacrę Congregationis discusso, licet expressam matrimonii mentionem fecisset, nullam tamen super eo proposuit providentiam; & Sacra illa Congregatio sub die 29. Septembris 1734., de uno baptismate solicita, commisit Vicesgerenti Urbis, *ut Oratori conferre faciat baptismum sub conditione, & secrete*. Inde porro argumentum desumi valet, licet *negativum*, quod pro valido habuerit Sac. Congregatio matrimonium.

Deliberare igitur dignentur EE. Patres.

I. *An sit iterandus baptismus sub conditione in casu &c.*

II. *An constet de validitate matrimonii, seu potius sit renovandus consensus in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

Sess.25. cap.4. de Reform.

PORTUCALEN. REDUCTIONIS ONERUM. Ex pluribus piis relictis gravatur Congregatio Oratorii, quae in portucalensi Lusitaniae Civitate, onere constituendi tot sacris Alumnis patrimonia. Primus omnium Sacerdos *Emmanuel Rodriguez*, olim ejusdem Congregationis Praepositus, legavit illi anno 1691. annua ex certis capitalibus regalia 30. mil., seu scuta romana 37. *per fondare due patrimonii, a quali questa Casa potrà nominare due Soggetti di talento, e virtù, capaci del nostro Istituto, e ministerj*. Quum ex munificentia rursus Lusitani Regis annuam obtineret pensionem regalium 600 mil., seu scutorum 75. cum facultate nominandi *in cinque patrimonj di 12. mila reali (circa 15. scudi ciascuno) per cinque Soggetti, che servono nostro Signore in questa Congregazione*; hanc idcirco explevit nominationem. Idemque quoad alterum fecit patrimonium in sorte regalium 200. mil., seu scutorum 250., ad quod Comes Castri Melioris facultatem ei dederat nominandi = *un Soggetto di questa Congregazione*.

Anno insuper 1714. legati pariter titulo reliquit eidem Congregationi Seraphinus Joseph de Azevedo regalia 300. mil., seu scuta 375., annui reditus scutorum circiter 19. = *affinche con il fondo, che con essi si comprerà, e suoi frutti, si accetti, e si ordini nella medesima Congregazione un Soggetto, che i Padri di essa stimeranno esser abile, ed aver talento per i loro ministerj* = imposita ei obligatione = *che se a caso usci à fuori dopo esser ordinato, restituisca alla detta Congregazio-*

zione il medesimo patrimonio, anche in vita sua, se avrà con che farlo, e di qualunque sorta che sia, sempre per la sua morte tornerà il detto patrimonio alla medesima Congregazione, affinchè con questo si possa ordinare un' altro Soggetto, e così successivamente possa servire a molti altri = Emmanuel Franciscus item, ipsius Congregationis Sacerdos, cum pari fundo regalium 300. mil., seu scutorum 375. annui reditus scut. 19., aliud anno 1715., instituit patrimonium perpetuum *per un Soggetto capace de' ministerj della Congregazione*. Sacerdos alter Congregationis Joseph de Silva cum capitali regalium 600. mil., seu scutorum 750., annui reditus scutorum circiter 38., scutorum nempe 19. pro quolibet instituit anno 1734. alia duo patrimonia pro personis idoneis *per i ministerj di questa Congregazione*, cum declaratione, quod *non è mia intenzione, che a titolo d'essi siano ordinati i soggetti, che per quelli furono ammessi, affinchè non li consumino, se usciranno dalla Congregazione, perchè solamente il beneficio, ed utilità di questa Congregazione è il fine, per cui lascio questi due patrimonj, e non il vantaggio di persona alcuna*. Et Gabriel denique Talbot ex eadem Congregatione fundum regalium pariter 600. mil., seu scutorum 750. annui reditus scutorum 37. reliquit anno 1740. *per il patrimonio, e mantenimento di un Soggetto*, cum declaratione, *che non è mia intenzione, che soggetto alcuno di questi si ordini con questo patrimonio, se non a titolo mensæ communis, o con patrimonio fatto nel suo paese, e dimissoria del Vescovo di dove è, e ciò perchè non possi portarsi con se il rendimento, ed obbligare la Congregazione a pagargli il patrimonio annualmente*. Prẹter hæc patrimonia unum aliud, & alterum est ex incerta fundatione, quorum reditus juxta veteres Congregationis codices non excedunt summam scutorum undeviginti.

Gravis admodum non erat Congregationi tot Alumnorum ex parcis patrimoniis manutentio, quum distinctum cuilibet assignare non teneretur patrimonium, ob facultatem eos promovendi ad ordines titulo *missionis*, & *mensæ* ex indulto Benedicti XIII. Sed hac deinde adempta facultate, quum pares respective non essent pia illa relicta ad congruam presbyteralem, quæ in portucalensi Diœcesi scutorum est circiter 50., sua idcirco auctoritate Moderatores Congregationis reduxerunt

runt Alumnorum numerum ad quinque. At conscientiæ tandem stimulis exagitati, impetrarunt anno 1788 à *SSmo Domino Nostro* absolutionem ab ecclesiasticis censuris, & approbationem reductionis sub conditione, *dummodo in prædictæ Congregationis decus, & proximorum cedat subsidium*.

Rescriptum hoc obtinuisse asserunt non investigata legatorum natura. Integrum sane supposuerunt onus constituendi patrimonia 14. (potius 15., ex certis nempe dispositionibus 13., ex traditione duo) dum ex eo numero detrahere debuissent patrimonia sex, quæ modo dicunt extincta, utpote instituta ex temporaneis pensionibus Regis, & Comitis Castri Melioris. Ad magis idcirco conscientiam sedandam, Sacræ huic Congregationi supplicarunt pro eadem approbatione reductionis legatorum ad quinque; ac ut declarare dignentur EE. Vestræ, ecclesiastica non esse patrimonia, nec extra Congregationem retineri posse. Eorumque petitionibus favet Apostolicus Ulyssiponis Nuncius. E' numero sane patrimoniorum detrahenda censet sex illa a Patre Rodriguez instituta ex pensionibus Regis, & Comitis Castri Melioris, eo quod facultas nominandi ad dicta patrimonia, eidem Rodriguez tributa, personalis fuit, & pensio Regia cessavit.

Observat insuper quod = *di tutt'altra natura sono, almeno in parte i patrimonj, de' quali si tratta; poichè non sono destinati, che per mantimento de' Sacerdoti, che con i medesimi son ricevuti in Congregazione. Questo può apparire dalle parole dei testamenti; poichè toltone Serafino Azevedo, che lascia un patrimonio di* 19. *scudi annui. affinchè un Soggetto idoneo alla Congregazione si ordini, gli altri istitutori non parlano punto di questo: anzi il P. Talbot, ed il P. de Silva l'escludono nominotamente; ed il P. Francesco, che dice, che questo patrimonio sia perpetuo, principia tale istituzione colle parole = non obbligando, ma domandando desidero &c. = . E qualunque sia però stata la vera mente delli altri testatori, è in fatti impossibile di ordinarsi in Porto con i scarsi patrimonj di* 19. 20. 25. *o* 37. *scudi; essendo ivi la determinazione fatta in quella Diocesi da un Vescovo defonto alcun tempo fà, che i patrimonj ecclesiastici debbano eccedere gli* 40. *mila reali (scudi* 50.) *come mi costa per fede di quella camera ecclesiastica*.

At-

Atque in hæc concludit verba = *Non essendo dunque ora capaci per l' ordinazione i patrimonj, sopra i quali è dubbia l' intenzione de testatori, , se non riducendosi a molti pochi, e questo con gravissimo detrimento di detta Congregazione, che sarebbe obbligata di darli poi annualmente, anche quando i Soggetti uscissero dalla Congregazione medesima, senza ritrarne alcun servigio; non è forse meglio, che s' impieghino al mantenimento de Soggetti, che la servono? Ma come si potrebbe in Portogallo mantenere un Sacerdote con 20., o 30. scudi annui; tanto più, che nella riscossione de frutti accadono molti accidenti di ritardo, o altro, che la rendono talvolta forse incerta? Dovrebbe dunque la Congregazione medesima supplire a ciò, che manca al mantenimento di nove Soggetti, i quali se abbandonassero tosto fatti Sacerdoti (come talvolta accade) la Congregazione, avrebbe questa sofferto un danno senza ricavarne alcun frutto. Sembra dunque opportuna la riduzione dei detti nove patrimonj a cinque, rimanendo però sempre fra i cinque computato il patrimonio lasciato dal P. Talbot a favore della sua Casa, e della sua provincia nella somma da lui stabilita.*

Erroneam dicunt moderatores Congregationis assertionem factam Sanctissimo sub annum 1788. de numero patrimoniorum 14. (seu potius 15.), & de ecclesiastica illorum qualitate. Nullum enim quoad sex patrimonia ex pensione legitur in dispositione Patris Rodriquez perpetuitatis verbum, sed ei dumtaxat tributa apparet facultas nominandi ad ea patrimonia totidem Alumnos. Facultas autem hæc concessa videtur ipsius personæ, ideoque, uti personalis transitoria non erat ad ejus successores per *Text. in leg. si quis arbitrat. 43. ff. de verb. obligat.*, *& in cap. fin.* §. 1. *de offic. jud. Cald. de nominat. quæst.* 6. *num.* 21., *& Rot. coram Falcouer. tit. de jurepatr. decis.* 61. *numer.* 7.; nec transire poterat, nisi una cum pensione Regia, quæ cum ipsi assignata fuisset, non domui, eo vita functo, pensio cessavit, nec in posterum soluta fuit. Pro reliquis autem patrimoniis novem satis certe non sunt ad taxam synodalem capitalia legata, quæ annua in unum reddunt scuta 235., sed vix pro patrimoniis sufficiunt quinque, proindeque justa videri posset petita reductio ad eorumdem capitalium vires, secundum *Monacell. formul. legal.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *numer.*

mer. 25., *& Sac. Congregatio in Viterbien. Reductionis Onerum* 8. *Maii* 1784.

Altera ex parte notandum, quod ultro Congregatio Oratorii in expressam patrimoniorum causam accepit legata, acceptumque adimplevit onus, donec ejus moderatores arbitrariam fecerunt reductionem; quibus in terminis denegata fuit onerum reductio *in Novarien. Reductionis onerum* 17. *Septembris* 1791., *& Matilicen.* 16. *Aprilis* 1792.. Maxime vero si considerari non debeant tamquam patrimonia ecclesiastica, seù ordinationis; in quo casu satis essent ad subsidium ferendum novem Sacerdotibus patrimonio Sacro aliunde provisis. Quatenus de cętero præ redituum tenuitate annuere vellent Eminentissimi Patres pro reductione, ponderandum tamen esset, num iterum concedi deberet, quod semel Summus Pontifex concessit per rescriptum anni 1788.; approbando scilicet reductionem factam a moderatoribus Congregationis ad eumdem numerum patrimoniorum quinque, ad quam denuo eam postulant.

Quærendum secundo, ecclesiastica nec ne sint patrimonia, de quibus agitur. Pro affirmativa esse videtur verbum ipsum patrimonii directum personis religiosis & quoad legatum Azevedo expressa Fundatoris voluntas = *si accetti, E SI ORDINI nella medesima Congregazione un soggetto .... che se a caso uscirà fuori dopo di essere ordinato, restituisca alla detta Congregazione il medesimo patrimonio, anche in vita sua, se avrà con che farlo*. Contrarium tamen sustinetNuncius Apostolicus. Nam uno excepto Seraphino Azevedo, nullus alius ex reliquis institutoribus solicitus fuit de ecclesiastica patrimoniorum qualitate, idque voluisse videntur, ut alere ex illis teneretur Congregatio Alumnos. Quatenus vero pro ecclesiasticis habeantur, deliberandum insuper, num ea retinere valeant Alumni post egressum a Congregatione. Consulere quidem voluisse videntur institutores Alumnis, qui in Congregatione permanerent, ejusque ministeria obirent; non item iis, qui post acceptum patrimonii beneficium in Congregatione, ab ea diverterent. Absurdum contra esset, ut ad illorum patrimoniorum titulum ordinati, vel contra propriam voluntatem in Congregatione permanere deberent, vel necessariis patrimoniis extra illam destituti essent. Qua de re Sera-

raphinus Azevedo, qui in casu egressus Congregati one restitutionem præscripsit patrimonii; addidit tamen *se avrà con che farlo, e di QUALUNQUE SORTA*.

Quæritur itaque.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.*

II. *An patrimonia, de quibus agitur, sint ecclesiastica, ac retineri valeant extra Congregationem Oratorii in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad formam rescripti SSmi 20. Junii 1788., etiam quoad absolutionem.

Ad II. Negative ad primam partem, excepto Legato Azevedo; quo vero ad secundam, negative, dummodo non sint promoti ad titulum eorumdem Patrimoniorum.

FULGINATEN. CAPELLANIÆ. Testamento anni 1644. mandavit David Dominici, ut in collegiata Ecclesia S. Laurentii Hispelli = *si erigga una cappella sotto il titolo di David Profeta Santo nel sito, dove oggi è l'Altare del Santissimo* = cum onere trium hebdomadalium Missarum; legavitque in dotem hujusce capellaniæ scuta 400.; in tot censibus occupanda. In primum vero capellanum nominavit Canonicum Hieronymum Evangelista ejus nepotem; deindeque reservavit jus nominandi Stephano ipsius filio, ejusque descendentibus; ac post eos masculis familiæ Diamanti; ultimoque loco Communitati Hispelli sub conditione = *che il Cappellano da nominarsi sia Prete di detta Chiesa di S. Lorenzo, o vero risieda in essa, come gli altri Cappellani con peso di servire alle Processioni, e Solennità infra annum*; additaque declaratione, quod = *il jus approbandi, & confirmandi* (Capellanum) *spetti sempre a Monsignor Illustrissimo nostro Vescovo, e che sopra detta Cappella, & juspatronato ne sia concessa da esso Monsignore spedizione di Bolle*. *Sess.22. cap.6. & Sess.25.cap. 5. de Reform.*

Piam hanc capellaniæ institutionem revocavit codicillis anni 1647. quoad locum erectionis; nam capellaniam ipsam cum eadem dote, onere, & jurispatronatus reservatione addixit Ecclesiæ S. Mariæ Majoris ejusdem Oppidi ad Altare S. Francisci; tribuitque insuper primo Capellano Hieronymo Evangelista = *facultatem omnimodam, & potestatem ordinandi, & fa-*

ciendi capitula, conditiones eo modo, & forma prout ei videbitur, & placuerit ad hoc, ut dicta capellania sit mere laicalis. Obito testatore, adiit Canonicus Evangelista anno 1652. Spoletinum Episcopum *ad effectum, ut in dicta capella erigatur perpetua capellania, seu perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum*; ac veluti tutor, & curator testamentarius Stephani Dominici, loco capitalis scutorum 400., in illius dotem assignavit prædia in vocabulis *Gigliara*, *Barco*, *& Brancacane*, annui tunc reditus scutorum 26. 85. Reque ipsa erectionem explevit Spoletinus Antistes in titulum = *simplicis beneficii ecclesiastici collativi, seu perpetuæ capellaniæ*, sibique, suisque successoribus reservavit jus instituendi, & confirmandi capellanos in posterum nominandos.

Rectorum culpa in pessum deinde iverunt prædia, vixque anno 1727. scuta reddebant 11. 94. Utens propterea illius temporis Episcopus facultatibus acceptis a Sanct. Mem. Benedicto XIII., Missas reduxit ad unam hebdomadalem, aliasque duas menstruas; sub his tamen legibus, *ut si quando augeantur reditus, augeatur etiam proportionabiliter numerus Missarum, ita ut unaquæque correspondeat eleemosynæ perpetuæ obolorum sexdecim; & ut bona dictæ capellaniæ in posterum meliorentur, non deteriorentur, volumus, & mandamus, quod Rector pro tempore existens dictæ capellaniæ, teneatur, & debeat de reditibus ejusdem implicare saltem julios quindecim monetæ romanæ in meliorationem prædictorum bonorum*.

Post Canonicum Evangelista Rectoratum obtinuerunt vel Sacerdotes, vel Clerici, Missasque celebrarunt juxta reductionem anni 1727. Paullatim vero ex prædiorum meliorationibus creverunt illorum reditus ad scuta 20. 32., & capellaniam, vel simplex beneficium possidet modo Clericus Joannes Calcagnà, qui ob auctos reditus, celebrari fecit intra novissimum decennium Missas 50. ultra numerum in decreto reductionis præfinitum. Hic superiore anno EE. Vestris supplicavit pro facultate retinendi dictam capellaniam in statu conjugali, quem assumere decrevit, ejusque petitioni favebant Patroni, & qui tunc Vicarius erat Capitularis Fulginei. Ut decernere autem valeant EE. Vestræ de hujusmodi facultate, *primum* ex infrascriptis proponitur Dubium. Ut ob auctum vero capellaniæ reditum de numero deliberent Missarum in posterum celebranda-

darum juxta legem reductionis anni 1727.; proponitur ex officio *secundum*.

Totam vim facit Orator in codicillis anni 1647., in quibus dedit Testator executori testamentario amplissimam facultatem exarandi capitula = *ad hoc, ut dicta capellania sit mere laicalis*. Dum enim capellaniam voluit mere laicalem, non abhorruit a Rectore conjugato, qui eam de jure etiam retinere potest, ut dixit *Rota in Zamoren., seù Salamantina Capellaniæ* 26. *Junii* 1750. §. 6. *coram Caprara*, & decrevit Sac. hæc Congregatio *in Romana Capellaniæ* 12. *Julii* 1721.. Quin obstet hujusmodi capellaniæ erectio in beneficium simplex. Neque enim executor testamentarius, neque Episcopus talem explere poterant erectionem contra expressam codicillantis voluntatem, juxta Sacrum Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 5. *de reform.*, *Corrad. in prax. benefic.*, *lib.* 2. *cap.* 10. *numer.* 145., & *cap.* 12. *numer.* 33,, & *Rot. post Piton. de controvers. Patronorum allegat.* 33. *num.* 37 Eoque magis obtinere confidit Orator retentionem capellaniæ, quia eam de Patronorum consensu postulat ex gratia, & ex justa causa paupertatis, de qua amplissimum testimonium perhibet ejus Parochus. In similibus porro circumstantiis indulgens fuit Sac. Congregatio in *Segobien. Capellaniæ* 17. *Novembris* 1731. *ad III. Dubium*.

Plura tamen ecclesiasticæ qualitatis capellaniæ sunt argumenta. Jussit siquidem David Dominici in testamento, ut canonica fierit erectio capellaniæ, & jus esset Episcopo approbandi, & confirmandi capellanum per expeditionem etiam Bullarum. Hæc omnia autem beneficio conveniunt ecclesiastico, ut probant *Amost. de caus. piis lib*. 3. *cap.* 2. *numer.* 11., & *Piton. de controv. Patronor. allegat.* 31. *num.* 9.. Illudque insuper notandum, quod res non est de recenti, sed de antiquissima ejusdem capellaniæ erectione in simplex beneficium, de anno scilicet 1652., & quidem expleta ad instantiam executoris testsmentarli, qui veluti conscius voluntatis Testatoris, legitimè ad eam devenire potuit, ad tradita per *Piton. in cit. allegation.* 31. *num.* 26. Quodque magis urget, capellaniam ipsam tamquam beneficium simplex acceperunt decessores omnes Rectores, idemque Orator, qui nullo cæteroquin consanguinitatis vinculo conjunctus est testatori, un-

de difficilem consequatur gratiam retentionis beneficii collativi in statu conjugali,

Ne augeatur vero Missarum numerus ultra statum novissimi decenni, tenuitas urgere posset beneficii. Omnibus enim detractis cameralibus, communitativis, & Missarum oneribus, ac detracto etiam sumptu meliorationis prædiorum, annua Beneficiato supersunt scuta 9. 37. $\frac{1}{2}$, quæ satis certe non sunt pro ejus manutentione, ad quam etiam respexisse censetur Testator. At notare dignentur EE. Patres, codicillarem Davidis dispositionem incipere ab institutione capellaniæ, & celebratione trium hebdomadalium Missarum, deindeque ad nominationem descendere Capellani; integrumque propterea voluisse Missarum suffragium, de quo primum cogitavit. Accedit insuper, quod a reductione anni 1727. beneficium acceperunt Capellani sub indicta lege augendi proportionabiliter numerum Missarum, si quando augerentur reditus. Quum reipsa autem aucti sint reditus a scutis 11. 94., quot reductionis tempore reddebant bona capellaniæ, ad scuta 20. 32., tantum crevisse videntur, quantum satis, atque exuberans etiam sit ad celebrationem trium hebdomalium Missarum ad formam codicillorum.

Dubia igitur sunt.

I. *An sit concedendum indultum retinendi capellaniam, de qua agitur, in statu conjugali.*

II. *An, & quomodo sint celebrandæ Missæ in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

PARMEN. DEMOLITIONIS ORATORII, ET TRANSLATIONIS BENEFICII. Intra limites Parœciæ Castri novi inferioris parmensis Diœcesis rurale est Divi Blasii Oratorium, & simplex in eo sub ejusdem Sancti titulo beneficium annui reditus scutorum 50., detractis oneribus, cujus Rector unam ex consuetudine in festo Titularis celebrare tenetur Missam cum cantu. Beneficium hoc possidet modo romanæ Curiæ Præsul Joannes Franciscus Marazzani, qui superioribus annis *Sanctissimo* supplicavit pro demolitione fatiscentis Oratorii, & translatione beneficii ad Ecclesiam parochialem; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis,

missis ; retulit parmensis Episcopus, quod Oratorium *distat per quadrantem milliaris tantummodo a parochiali Ecclesia Castri novi, estque in omnibus male retentum, undique ruinas minatur, utque constitutum in loco aquoso, indecens omnino, in quo Sacra peragi possint. Attenta, ut dixi, modica ejus a parochiali Ecclesia distantia, nulli specialis commoditatis esse potest, inservitque tantummodo in præsens, ut in ejus atrio conveniant vagæ, & nequam personæ cum maxima loci sancti irreverentia, & dedecore.*

Sumptum reparationis ad scuta evexit biscentum, per quem tamen Oratorium nec *omnino decens foret: demoliendum siquidem pene esset, & novum ex integro reædificandum* = Atque hinc censuit *æquum, conveniensque, Oratorium ipsum a fundamentis demoliri, beneficiumque in proximam parochialem Ecclesiam S. Andreæ Apostoli Castri novi inferioris transferri, alicui ex ejus Altaribus titulum beneficii adnectendo, salvis in reliquis parochialibus juribus, & justa prius prælibata conventione inter Parochum, & Rectorem beneficii a legitima auctoritate approbanda; qui quidem Parochus, cum & ipse, ut multis occurrat inconvenientibus, quorum forte non ultima occasio est facilis aditus, & frequentes conventus ad atrium prædicti Oratorii, demolitionem ipsam, & respectivè translationem enixè præstolatur.*

Hac accepta informatione, demandata fuit exhibitio consensus Parochi *pro translatione beneficii, & cessione Altaris, sub eadem invocatione designandi, ac obligatione manutentionis*; hisque obtemperans mandatis, initas Rector exhibuit conventiones, quarum prima erat, ut *per translationem beneficii S. Blasii ad capellam S. Antonii Abbatis, jura & prærogativæ beneficii sub eodem titulo nullum patiantur præjudicium*. II. *Ut possessor beneficii transferendi pro una vice tantum in manibus meis* [nempe Parochi] *relaxet aureos triginta, efficientes libras* 1350. *plateales Regii Lepidi, qui compacti cum pluribus aliis jam paratis a possessore alterius beneficii in honorem S. Antonii Abbatis, insumendi erunt ad construendum Altare, Iconem, columnas, & ornatus.* III. *Ut maceries ex demolito Oratorio cedatur mihi libera, ut tenuissimum ejusdem profectum expendam ad tam pium opus, ut supra*. IV. *Ut omnes supellectiles sacræ, nempe albæ, missalia, casulæ, calices, candelabra, pallia, tobaleæ, Icon S. Blasii transeant in hoc*

pa-

parochiale Sacrarium : quæ tamen omnia per me describenda erunt in inventario , quod inserendum erit Archivio hujusce Ecclesiæ . V. *Ut pro medietate cum altero prioris beneficii Rectore teneatur ad manutentionem supellectilium Altaris .* VI. *Ut eleemosynæ pro quatuor Missis lectis , & una cum cantu reducantur ad quantitatem taxæ per Episcopum nostrum sancitæ , & ad praxim redactæ .*

Iterum autem Episcopus super hisce conventionibus auditus , dubitari non posse ait de æquitate conventionum , itaut *convalidari , atque ad exequutionem demandari , spectatis facti circumstantiis , quanto citius fas , conveniensque foret . Ut alias jam retuli , ex consuetudine Rector supradicti beneficii ad celebrationem tenetur tantummodo festi S. Blasii Titularis . circumscriptam ad solam Missæ cum cantu celebrationem . In vim conventorum inter Partes , Parochum nempe . & Rectorem beneficii statutum ulterius est , quod translatione beneficii , ut petitur , sequuta , præter Missam cum cantu, de qua supra , celebrentur in posterum etiam quatuor Missæ lectæ in præfato die festi Titularis , conventa pro tali onere inter Partes annua præstatione, a Rectore beneficii Parocho facienda, scutorum trium monetæ romanæ ; quæ quidem præstatio hujuscemodi oneri perpetuis futuris temporibus adimplendo satis superque videtur .* Ac primum suum votum in hæc confirmavit verba = *Quin ultra addam , quod ipse sentiam , demolitionem [illegible] Oratorii , de quo in precibus , ac successivam ben[illegible] eo erecti translationem , & adnexionem uni ex [illegible]aribus parochialis Ecclesiæ Castri novi inferioris , sub pactis , & conditionibus , de quibus in adnexo supplici libello æquam , prudentem , & majori Dei cultui aptam , spectatis omnibus facti circumstantiis , omninò esse .*

Licet *Sac. Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 7. de reform.* reparationem commendet Ecclesiarum = *ne ea , quæ sacris ministeriis dicata sunt , temporum injuria obsolescant , & ex hominum memoria excidant* = ubi tamen reparationi pares non sint illarum reditus, demolitionem permittit . Quæstio igitur est facti ; num reditus beneficii S. Blasii pares , nec ne sint reparationi Oratorii . Summam reditus attingunt scutorum 50. ; ideoque perfici ex iis posset opus intra quatriennium , vel cum minori incommodo Beneficiati imponi super bonis Beneficii census, cujus fructus scutorum octo ad taxam le-

legalem, cum aliqua summa in extinctionem sortis deponenda, non multum reditus ipsos minueret.

Ad ea tamen advertant Emi Patres, quæ in id notat Episcopus, nempe ad inutilem fere Oratorii reparationem *in loco aquoso*; ad brevem illius distantiam ab Ecclesia parochiali, ita ut *nulli specialis commoditatis esse potest*; & ad grave illud inconveniens, quod Oratorium *inservit tantummodo in præsens, ut in ejus atrio conveniant vagæ, & nequam personæ cum maxima Loci sancti irreverentia, & dedecore*. In his porrò circumstantiis locus esse videretur illius demolitioni, quæ cessantibus etiam causis expressis *in conciliari decreto*, ob alias etiam graves concedenda esset rationes, etiamsi de Ecclesia ageretur decenter constructa, ut observat *Card. de Luc. ad Concil. Trident. discurs.* 17. *num.* 2., & decrevit Sacra hæc Congregatio *in Leopolien.* 27. *Augusti* 1763., *& in Terracinen.* 2. *Junii* 1764.

Incommoda de cætero forsan esset Rectori Beneficii reparatio Oratorii. Quamvis enim de Præsule agatur Romanæ Curiæ, & congrue idcircò aliunde proviso, si consideretur tamen ut Rector Beneficii S. Blasii, tantum ei, detracto reparationis sumptu, non superesset, quantum ad propriam requiritur sustentationem, ne absque stipendio serviat Ecclesiæ. Reparationis sane onus intelligitur congrua prius deducta sustentatione: Beneficiati, *Gallemart. ad cit. cap. Concilii verb. instaurari procurent ex fructibus*, *Barbos. ibid. num.* 10., *Amostaz. de caus. piis lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 31. *tom.* 2.

Beneficii translatio consectarium esset demolitionis Oratorii, atque expresse permittitur a *Tridentina Synodo loc. cit.* verbis illis = *Episcopi etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati transferre possint beneficia simplicia etiam jurispatronatus ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sunt, & ob eorum inopiam nequeunt instaurari*: sub lege tamen, ut Ecclesia, ad quam fieri debeat, Episcopi *erigant altaria, vel capellas sub iisdem invocationibus*. Reliquis autem rectissimo Vestro judicio relictis Parochi, & Rectoris conventionibus, quæ augmentum respiciunt Divini cultus, unicè notanda est prima. In ea namque cavet Parochus, ne *jura, & prærogativa beneficii* (sub titulo S. Antonii Abbatis) per translationem beneficii S. Blasii ad illius capellam, ullum patiantur præjudicium. Si ergo servanda essent jura beneficii S. Antonii sub eodem titulo, fieri non

posset

posset cumulativa S. Blasii invocatio, quam in translatione beneficii distinctam requirit *Sac. Concilium Tridentinum*.

Deliberandum itaque.

I. *An sit locus demolitioni Oratorii in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit locus translationi Beneficii ad Parochialem Ecclesiam in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 17. Septembris 1796. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

FULGINATEN. CAPELLANIÆ.

Sess.22. cap.6. & sess. 25.cap. 5. de Reform.

I. *An sit concedendum indultum retinendi capellaniam, de qua agitur, in statu conjugali in casu &c.*

II. *An, & quomodo sint celebrandæ Missæ in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative ad formam decreti Episcopi anni 1727.

PARMEN. DEMOLITIONIS ORATORII, ET TRANSLATIONIS BENEFICII.

Sess.21. cap.7. de Reform.

I. *An sit locus demolitioni Oratorii in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit locus translationi Beneficii ad parochialem Ecclesiam in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. Provisum in primo.

Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

LUNEN. SARZANEN. MATRIMONII. Quum dives puella Angela Ferrarini annorum 18. respueret nuptias Hyacinthi Landinelli, hinc qui a partibus erant viri, apud sarzanensem Præsidem incusarunt Radegundam Ferrarini ejus matrem, & Joannem Antonium Orlandi vitricum, veluti auctores reluctantiæ ad retinendam substantiam puellæ. E' vestigio Præses ad se per apparitores traduci jussit Angelam, quæ tamen ab illorum manibus aufugit, seque comitante Sacerdote Dominico Orlandi vitrici fratre, ad Albianum in Hetruria contulit. Ira hac de re percitus, conjecit Præses matrem, & vitricum in separata vincula; idque per epistolam significavit Ferdinandus Caimi puellæ, eique sub supposito impetratæ gratiæ a Præside, suasit reditum ad patriam, ut matrem etiam, & vitricum a vinculis liberaret.

Aliquantulum initio hæsit puella: sed ad iteratas Caimi epistolas rem tandem bona credidit fide. Vix tamen Sarzanam pervenit detenta fuit loco carceris in ædibus Præsidis; deindeque vigore asserti ejus mandati procuræ 15. Januarii 1794., ipsius nomine Landinellio nupsit die 4. sequentis Februarii Maria Dominica Orlandi in domo Terentii Baracchini, & coram Sacerdote Felice Landinelli germano sponsi fratre de licentia episcopi, qui assuetas etiam remisit publicationes. Talis autem matrimonii accepto nuntio obstupuisse Angelam inquiunt extrajudiciales testes ob supplantatum mandatum procuræ in altero ex foliis albis, quę subsignasse affirmabat ad alium effectum, ut in exponendis ejus juribus infra notabitur. Vocibus tamen fautorum Landinelli perterrita, quod a contracto matrimonio resilire amplius non posset, ad maternam primum, alteramque deinde traducta fuit domum viri, ibique moerens, & reluctans passa fuit copulā. Solicitus tamen Sponsus de ratihabitione, eam obtinuisse ait unus ex Parochis sarzanensis Cathedralis, Episcopus, & testes die 22. ejusdem mensis Februarii coram eodem Sacerdote Felice ipsius fratre, licet hujusce ratihabitionis actus relatus non fuerit in librum parochialem, ut alter testatur Parochus.

Si extrajudicialibus credendum est Angelæ testibus, sequens illius cohabitatio cum viro perpetua fuit colluctatio. Interfuit tamen Angela die 25. Maii instrumento dotali; & mense tandem Octobris e patria, & januen-

nuensi Ditione aufugit, & Romam venit, ubi adhuc, hujus Causæ ratione, cum matre, & Sacerdote Orlandi moratur. In excedendo è Sarzana omnia disposuit pro instituenda in curia episcopali Causa nullitatis matrimonii. Quoniam vero neglectum in ea fuerat examen conjugum, & testium, nilque ad formam Benedictinæ Constitutionis *Dei miseratione* agebatur, *Sanctissimo* propterea supplicavit Angela pro subrogatione alterius Judicis in locum sarzanensis Episcopi in suspectum allegati. Precibus pro informatione, & voto ad eumdem Episcopum remissis, priusquam Ille referret, per sententiam declaravit die 5. Februarii 1795., matrimonium *fuisse, & esse validum, ac rite, & recte contractum cum deliberato, & libero consensu ejusdem Angelæ, & proinde non licuisse, nec licere antedictæ Angelæ abesse a domo, & a conjugalibus obsequiis legitimi viri sui ex resultantibus causis expositis in memorato libello, qui ex resultantibus in Processu meram redolet calumniam.*

Delata autem appellationis Causa per rescriptum SSm̄i ad Sacram hanc Congregationem, hæc Episcopus in sua informatione habuit: *Constat siquidem primo, inter ipsam, & M. D. Landinelli præcessisse sponsalia contracta, & ratificata cum pleno, & libero consensu: secundo, libere subscripsisse mandato procuræ ad contrahendum matrimonium cum M. D. Landinelli: tertio, recusasse alios Sponsos, ac pluries protestatam fuisse, omnibus aliis præferre dictum M. Landinelli: quarto libere & hilari animo renovasse, servatis servandis, matrimonium medio Procuratricis suæ contractum, ac nuptialem benedictionem in episcopali palatio, comitantibus suis conjunctis, suscepisse: quinto pluries matrimonium consumasse etiam expresso affectu maritali, inhærendo consilio Canonici Theologi hujus Cathedralis Ecclesiæ, postquam ipsa Domina Angela, malignis suggestionibus incitata manifestavit animum suum quoad nullitatem matrimonii ex defectu liberi consensus, & ut latius videre est ex Processu pag.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Constat pariter, quam inania sint motiva, quibus innixum fuit subterfugium allegationis de suspecto quoad me, meamque Curiam, dicto Processu* 28. 29. 30., *ut apparet ex Scriptura ultimo loco producta per R. D. Defensorem matrimonii pag.*42., *& tandem constat, pluries*

auditum fuisse Procuratorem penes acta constitutum a dicta M. Angela Ferrarini.

Priusquam Causam ageret, institit Angela per memoriale in Congregatione diei 19. Decembris ejusdem anni 1795. pro suo, viri, & testium examine: sed Eminentiæ Vestræ rescripserunt = *Habebitur ratio in propositione Causæ*. Sua nunc deducit jura, suamque defensionem in quatuor dividit capita. I. *de nullitate sponsalium*. II. *de nullitate matrimonii*. III. *de nullitate ratihabitionis*. IV. *de vi, & metu in sponsalibus, matrimonio, & ratihabitione*. Sponsalium nullitatem pluribus probat extrajudicialibus testibus. Joannes Baptista siquidem Bellucci, qui de suggestu Terentii Baracchini, fautoris, & consanguinei Landinellii, obviam ivit Angelæ, cum primum in januensem rediit Ditionem, testatur, ab ea subscribi obtinuisse folium *album*, ut eo opportunè uti posset ad vindicandam proditionem, quam illi paratam simulabat, deindeque supplantatam in tali folio fuisse a Baracchinio, & Landinellio apocam sponsalium, testibus etiam Sacerdote Orlandi, Ventura Simonelli, & Joanne Baptista Vignale. Ad rem vero confirmandam inverisimile dicunt Defensores Angelæ, quod tam facile convenire voluerit in sponsalia cum Landinellio, quæ ad evadendas illius nuptias in alienam perfuga abierat Ditionem, & coram aliis pluribus extrajudicialibus testibus suam a Landinellio invincibilem aversionem aperuerat. Nec defuisse ajunt aversionis causas: nam quinquagesimum fere annum agebat Landinellius, ingratæ erat formæ, ac stipendio cancellariæ episcopalis vivebat; haud certe cum juvenibus, qui Angelæ nuptias appetebant, comparandus, ut plures etiam deponunt testes.

Nullum quoque matrimonium dicit Angela, veluti contractum ex supplantato suo mandato procuræ. Quamvis enim Sacerdos Dominicus Orlandi post illius subscriptionem hæc in mandato procuræ addiderit verba = *Di ordine della sudetta, essendo giacente in letto la detta Magnifica Angela Ferrarini, quale ha poi sottoscritta la medesima alla mia presenza, ed alla presenza del Signor Giovanni Battista Bellucci*; declarat tamen, se mandatum illud conscripsisse absque consensu puellæ in altero folio *albo*, quod sibi subscriptum tradiderat, ut ejus Causam ad opportunitatem tueretur;

id-

idque fecisse timore Præsidis, qui matrem, & privignum Angelæ in vinculis, ipsamque puellam sub custodia detinebat, atque exilium sibi minabatur. Hoc ipsum testantur Joannes Baptista Bellucci, Aloysius Guerrieri, Ventura Simonelli, Sacerdos Antonius Bellucci; Joannes Fabri, Paris Ambrosi, & Joannes Baptista Vignale. Si ita autem esset, ut extrajudiciales isti deponunt testes, jam ob supplantatum mandatum procuræ, nullum censeri deberet matrimonium ex defectu consensus Angelæ, quæ folium *album* ad alium effectum subsignavit, per Textum *in cap. tua nos de sponsal*, & *cap. tuas dudum de sponsa duor.* Valdeque profecto de veritate mandati procuræ dubitandum ex præsentia Angelæ in loco contracti matrimonii, & clandestina ejusdem matrimonii celebratione sine assuetis denunciationibus, & in privata domo Tesentii Baracchini, qui Landinellio favebat.

Transeunt Defensores Angelæ ad ratihabitionem, eamque ex pluribus invalidam, nulliusque roboris affirmant. Ratihabitionis sane actus relatus non est in librum parochialem, sed fidem tantū de ea perhibent unus ex Parochis Cathedralis, testes, Episcopus. Expleta rursus fuit ratihabitio coram Sacerdote Felice Landinelli, qui specialem ab Episcopo habuerat facultatem assistendi matrimonio, non item ad excipiendam ratihabitionem, quæ ad ejus validitatem requirebat, ut de speciali ejusdem Sacerdotis facultate contrahentibus constaret, secundum *Barbos. de offic.*; & *potest. Episc. part. 2. allegat. 22. num. 130. in summa Apost. decis. verb. matrimonium num. 13.*, & *in Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 1. num. 117.*, *Pax Jordan lucubrat. canon. tit. 7. de matrim. num. 87.*, *Ferrar in Biblioth. verb. matrimonium cap. 2. num. 11.*

At posita etiam ratihabitionis veritate, quodque facultas data Sacerdoti Landinellio ad assistendum matrimonio, extendi posset ad excipiendam ratihabitionem, adhuc tamen qui Angelam tuentur, præ viribus contendunt, ratum haberi non potuisse matrimonium, ex defectu Mandati nullum, sed necessariam fuisse renovationem consensus, ut docet *Sanchez de matrim. lib. 2. disput. 34. num. 3.*, & dixit *Rota coram Ubaldo decis. 310. num. 8.*, *ibi* = *Cum matrimonium fuerit jam nulliter contractum ex defectu mandati, non potuit ratificari, sed debuit iterum contrahi cum debitis solemnitatibus in fa-*

faciem Ecclesiæ = vel exponi saltem debuisse mulieri nullitatem præcedentis matrimonii, ut illud deliberata voluntate ratum habere dici posset, ad tradita per *Comitol. lib.* 1. *respons. moral. quæst.* 120., *Pont. de matrim. lib.*4. *cap.*23. *num.*7., & *cap.* 25. *num.* 2., & *Sanchez eodem tract. lib.*2. *disput.*34.*num.*3.

Iterata quidem sequuta fuit copula; sed juxta extrajudiciales testes, per vim, atque errore etiam validi matrimonii. In his porro terminis neque interventus stipulationi instrumenti dotalis, neque quicumque alii conjugales actus confirmare potuissent matrimonium nullum, *Sanchez de matrim. lib.*4. *disput.*18. *num.* 5., *Ferrar. in biblioth. verb. matrimonium art.*1. *addit. aliena manu num.* 12. Aliter enim matrimonium nullum convalescere nequit, quam per solemnem renovationem consensus, *Fagnan. in lib.*4. *Decretal. de dispensat. impub. num.*11., & *seq.*, *Barbos. collect. in Concil. Trident. sess.*24. *cap.*1. *de reform. num.*131. & *seq.*, *Monacell. formul.*10. *num.*11. *tit.*8. *tom.*1., & *Rot. in Gadicen. Nullitatis Matrimonii* 8. *Februarii* 1775. *cor. Emo de Zelada* §. 16.

Uno casu matrimonium nullum convalescere potest per consumationem, aliosque subsequentes actus, si res nempe sit de nullitate ex defectu consensus occulto; nam de occultis non judicat Ecclesia. Ubi vero de nullitate agitur ex defectu publico, qualis secundum testes Angelæ in nostro themate esset defectus mandati procuræ ad contrahendum matrimonium, in hoc sane casu conveniunt *Doctores* omnes, novum omnino præstandum esse consensum, novamque requiri præsentiam Parochi, & testium. Ita *Reiffenstuel in append. de dispensat. super impedimentis tom.* 4. §. 13. *num.* 610., *Sanchez de matrim. lib.*2. *disput.* 37. *num.*11., & Sacra hæc Congregatio *in Reatina* 13. *Julii* 1725. *ad II. Dubium*.

Agunt tandem Defensores Angelæ in IV. capite de vi, & metu, per quem compulsam asserunt puellam ad sponsalia, matrimonium, & ratihabitionem. Comminatio siquidem carceris, & successiva illius detentio in ædibus Præsidis; vincula matris; metusque amissionis bonorum ad cogendam Angelam in matrimonium Landinellii, de quibus omnibus deponunt ejus testes, nedum simplicem puellam, sed constantem etiam deterrere potuissent virum. Ideoque in supposito etiam

quod

quod mandatum dedisset procuræ, nullum videri posset matrimonium ex tali metu contractum, ad *Text. in cap. cum locum de sponsal.*, & *matrim.*, *Sanchez de matrim. lib.4. disput.3. num.2.* Quin redargui valeat Angela, quod aliquandiu post contractum matrimonium siluerit, matrimonium consumaverit, stipulationi interfuerit instrumenti dotalis, similesque fecerit actus. Idem enim Sarzanæ erat Præses, adeoque illa per Landinellium stricte custodiebatur, ut eadem metus causa perduraret. Quidquid autem agitur durante causa metus, pari laborat vitio, nec antecedentem purgat nullitatem, ut *in cit. cap. cum locum de sponsal.*, & *Rot. coram Seraphin. decis.851. num.5.*, & *coram Merlin. decis.628. num.1.*

Adversus hæc observat Defensor matrimonii, facile separandam non esse uxorem a viro, quum tolerabilius sit aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam legitime conjunctos contra statuta Domini separare, ad monitum *S. Joannis de Capistrano super 5. decretal. num.229.*, *Sanchez de matrim. lib.7. disput.187. num.1.* & *Rota in Gadicen. Nullitatis Matrimonii 22. Aprilis* 1765. §§. 13., & 17. *coram Emo de Zelada*. Et quamvis admittat nullitatem Matrimonii per vim, & metum contracti, continuam tamen requirit ejusdem metus causam ad momentum usque illius celebrationis, seu etiam ratihabitionis, & consumationis per *text. in cap. veniens cap. significatum, cap. consult. de sponsal.*, *Piton. discept. eccles.32. num.7.*, & *seq.*, & *Rota in cit. Gadicen. Matrimonii 22. Aprilis* 1765. §§.3. & 17. *coram Emo de Zelada*.

Quamlibet autem vim, omnemque metum abfuisse inquit ab Angela, dum mandatum ad contrahendum matrimonium liberè ab ea datum testatur Sacerdos Dominicus Orlandi in calce ejusdem mandati verbis illis = *di ordine della sudetta Angela Ferrarini, quale ha poi sottoscritta la medesima alla mia presenza, ed alla presenza del Signor Gio. Battista Bellucci* = Neglectisque metus, & violentiæ causis, paullo ante notatis, contendit, alia vim, & metum ratione influere non potuisse in nullitatem matrimonii, quam si doceretur, aliter Angelam illorum consequentias vitare non potuisse, *cap. cum dilectus de transact.*, *Piton. discept. eccles.* 32. *num.* 8., *Pignatell. consult.* 181. *num.* 4. 8. & 21. *tom.* 9. Hoc negat, ex quo facilis esset recursus ad Præ-

Præsidem [qui juxta testes Angelæ, ejus matrem, & vitricum in vincula conjecerat, ipsamque detinebat Angelam, ut Landinellio nuberet] Tumultuariam excusat matrimonii celebrationem in privata domo. ex hoc potissimum, quod celebrari dicitur matrimonium in faciem Ecclesię, si juxta illius ritum quocumque in loco celebretur, *Barbos. de offic. & potest. Episc. allegat.* 32. *num.* 18., *Ferrar. in biblioth. verb. matrimonium art.* 2. *num.* 57. *& seq.* Ac solicitum tandem fuisse ait Landinellium de ratihabitione Angelæ (post octodecim dies a contracto matrimonio) non ad convalidandum matrimonium nullum, sed ad majorem cautelam, juxta monitum *Benedicti XIV. de Synod. diœces. lib.* 13. §.9.

Regulam illam admittit, & firmat, unum dumtaxat matrimonium, ex occulto defectu nullum, convalidari per consumationem, aliosque subsequentes actus, non item nullum ex defectu publico; sed rem in casu esse negat de publico consensus defectu, dum contrarium pandit mandatum procuræ, libere ab Angela datum. Ac posita matrimonii validitate, satis fuisse contendit unius Angelæ ratihabitionem; quum renovatio consensus utriusque conjugis requiratur ad matrimonium restituendum nullum. Ne vero negligere videatur testes Angelæ, singulas eorum personas, & dicta in distinctis notat animadversionibus, quas benigne Emi Patres perlustrare poterunt.

Paucis tamen in hac Causa notandum, plurimos esse Angelæ testes; eorumque alios de supplantatis deponere mandatis procuræ ad contrahenda sponsalia, & matrimonium; alios de gravi violentia, & metu, per Præsidem, & fautores Landinellii incusso Angelæ; alios de perpetua ejusdem Angelæ reluctantia, perpetuisque contentionibus in præstandis obsequiis matrimonialibus. Si de his sane omnibus, ac de supplantatione præsertim mandati procuræ ad contrahendum matrimonium judicialiter constaret, valde quidem dubitari posset de validitate matrimonii, quæ principaliter a mandato pendet procuræ; ac tanti forsan non essent simplex Angelæ ratihabitio, & consumatio, ut convalidare potuissent matrimonium ab initio nullum. Illudque etiam ponderare dignentur Emi Patres, mancum esse processum Curiæ sarzanensis ob neglectum examen conjugum, & testium, ac non servatam in

re-

reliquis formam *Benedictinæ*; sententiam vero properatam fuisse, cum necessitas urgebat referendi ad *Sanctissimum*.

In contentionem igitur venit.

An constet de nullitate matrimonii in casu &c.

Dilata, & committatur Episcopo brugnaten. confectio Processus ad formam Constitutionis Benedictinæ *Dei miseratione*, cum facultate etiam subdelegandi.

ROMANA SERVITII CHORI. Sub auspiciis clar. mem. Cardinalis Laurentii de Alteriis Diaconi Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ in Via Lata Urbis conditæ fuerunt anno 1730. capitulares ejusdem Ecclesiæ Constitutiones, quarum observantiam singuli Canonici in actu possessionis canonicatus juramento promittunt. Tria in iis ad rem saucita sunt; primum nempe de egressu Canonicorum a choro tempore Divini Officii ob particularem indigentiam; secundum de illorum discessu ad celebrandam Missam; tertium de Canonico impedito ad canendam Conventualem. PRIMA ex hisce *distinctis* sanctionibus ita concepta est = *Si quis, dum Divina persolvuntur Officia, discedere OPUS HABET, dum è stallo in medium chorum devenerit, facta R. P. D. Vicario, vel Priori, vel seniori Canonico capitis inclinatione veniam poscat. Quanto citius autem redire curet: quod si longiorem, quam par fuerit, & præter necessitatem moram protraxerit, punctetur tamquam absens in quolibet ex horis, in quibus sic defecerit.* *Sess.24.cap.12. de Reform.*

SECUNDA hæc habet = *Nemo tam ex Canonicis, quam ex Beneficiatis, sive Clericis discedens a choro ad Missam in eadem nostra Ecclesia celebrandam, pro presente habeatur; imò punctetur, nisi id egerit pro necessitate, & majori commoditate Populi, atque PETITA prius, & OBTENTA licentia a Præfecto, seu digniore chori, cujus conscientia onerata sit, ut eam concedat vera attenta necessitate, & majori populi commoditate, ac sine præjudicio servitii chori, quod primum præ oculis idem chori Præfectus semper habere debeat.*

TERTIA postremo disponit, quod = *Canonicorum turnus pro Missæ conventualis celebratione inchoandus erit a*

Seniore, indeque gradatim procedendum pro diebus sequentibus. Quod si Prior, vel Canonici legitime impediti Missas in suis diebus celebrare nequiverint, liberum eis non sit alium pro libito substituere, sed Canonico ex turno succedenti, locus fiat; idemque integras distributiones, celebranti obvenientes, lucretur. Quae regula servetur etiam quoad Diaconum, & Subdiaconum.

Quum ab observantia autem *secundae* capitularis sanctionis Canonici quidam deflecterent, hinc clar. me. Cardinalis Alexander Albani tunc Ecclesiae Diaconus, decrevit anno 1773., *che niuno in tempo del coro vada a celebrar la Messa senza aver prima ESPRESSAMENTE chiesta, ed ottenuta la licenza dal Prefetto del coro, il quale non la dovrà accordare, se non attesa la necessità, e maggior comodo del Popolo*. Hoc tamen non obstante, Canonicus Ferdinandus Valenti discedere perrexit a choro ad celebrandam Missam, non *petita prius, & obtenta licentia a Praefecto*, ad formam secundae sanctionis, sed facta simpliciter ei *capitis inclinatione*, ad formam primae. Multatus propterea fuit punctaturis; emisitque hac de re anno 1792. protestationem coram A. C. Priocca: sed Causa ad Sacram hanc Congregationem remissa ex decreto Auditoris Sanctissimi, verbaliter interim mandavit Capitulum anno 1793. *ai Signori Canonici Sagrestani maggiori, ai quali incombe il regolamento della Sacrestia, e delle Messe, che si celebrano nella nostra Chiesa, di ordinare al nostro Sagrestano, che a proporzione del vero bisogno di Messe, e del comodo del Popolo in tempo della officiatura, dovesse avvisare per ordine di anzianità quei Signori Canonici, li quali vogliono celebrare*; quemadmodum testatur Canonicus Reggi a secretis Capituli.

Ad aliud deinde tollendum inconveniens, quod eodem mane, quo canenda erat Missa conventualis, suum Canonicus turnarius patefaceret impedimentum postquam alii Sacrum fecissent, in conventu tandem capitulari anni 1794., uno dumtaxat discrepante, resolutum fuit, *ut sive Prior, sive Canonicus quotiescumque suis diebus Missam canere nequiverit, Canonicum ex turno succedentem de hoc pridie monere teneatur. Contravenientibus autem (nisi nocte, vel mane diei, quo celebrandum ipsis esset, repentino forte morbo, alia-*

aliave inopinata legitima causa impeditos fuisse constiterit) secretis itemque suffragiis, *unoque solum dissentiente, decreta pœna duorum juliorum pro qualibet vice, in nostri Sacrarii utilitatem applicandorum*. Quam resolutionem approbavit clar. mem. Cardinalis Diaconus Salviati.

Hisce resolutionibus, & decretis non acquiescens, properavit Canonicus Valenti propositionem Causæ in hac Sacra Congregatione: at in omnibus ei adversati fuerunt decessor Cardinalis Diaconus Salviati, atque Eminentissimus Dominus Cardinalis de Alteriis, qui ei successit. Alter enim de uno loquutus discessu a choro ad celebrandam Missam, suum aperuit votum in hæc verba = *Clara est dispositio constitutionum. In his enim præcipitur, quod nemo tam ex Canonicis, quam ex Beneficiatis sub pœna puncturæ discedat a choro pro Missa celebranda; nisi pro majori populi comoditate, & petita prius, & obtenta licentia a Præfecto. Igitur si Orator nec petita, nec obtenta licentia a Præfecto discessit pro Missæ celebratione, merito fuit punctatus*.

Nihili vero fecit excusationem Canonici Valenti, quod discesserit a choro ad celebrandam Missam, quoties necessitas, & major Populi commoditas exigebat. De hujusmodi enim necessitate, & commoditate non ipse, sed Præfectus chori secundum Constitutiones decernere, eaque cognita, licentiam discedendi concedere debebat. *Neque hanc licentiam* [ait] *a Præfecto obtinuisse substineri potest ex quo dum discessit a choro veniam petiit solito salutationis signo, quin eam denegaverit. Hæc enim venia, quæ semper necessaria est, quoties pro quacumque causa Canonicus exit a choro, haud est satis pro celebranda Missa tempore Divinorum Officiorum. Nam hoc in casu EXPRESSA requiritur licentia. Id equidem innuere videntur Constitutiones dum jubent, ut Præfectus licentiam concedat = vera attenta necessitate, & majori Populi commoditate, & sine præjudicio servitii chori. Quomodo enim id fieri potest nisi a Canonicis expressa petatur licentia. Simplex profecto salutatio indicat tantum discessum, minime verò illius causam. At clarius Cardinalis Albani id decreto suo edixit = che niuno in tempo di coro vada a celebrar la Messa senza aver prima espressamente chiesta, ed ottenuta la licenza dal Prefetto del coro, il*

 qua-

quale non la dovrà accordare, se non attesa la necessità, e maggior comodo del popolo.

Abusum potius, & corruptelam dixit assertam immemorabilem consuetudinem petendi veniam discedendi a choro per simplex salutationis signum, veluti contrariam capitularibus Constitutionibus. Eamque de cætero impugnavit = *tum quia tempus necessarium desideratur; siquidem Constitutiones editæ fuerunt anno 1730., decretum vero Cardinalis Albani anno 1773., & sic vix sexaginta, & respective viginti anni elapsi sunt; tum etiam quia non evincitur, Canonicos absentes a choro pro celebratione Missæ sine Præfecti licentia pœnam punctaturæ non fuisse mulctatos. Nec contrarium probare videntur testes: nam ultra quod negativi sunt, non excludunt, Canonicos, aut Beneficiatos a Præfecto chori licentiam obtinuisse.* Bona rursus fide omitti non potuisse dixit expressam Præfecti licentiam, eo quod ignorare non poterat Canonicus Valenti capitulares Constitutiones, quæ de illa disponunt. Ac necessitatem tandem exclusit monitionis, quam Constitutiones ipsæ ad rem non requirunt.

Alter vero, qui modo est Eminentissimus Diaconus de Alteriis, Decessoris votum in omnibus confirmavit; & hæc addidit de capitulari decreto anni 1794. = *Jubent Constitutiones capitulares de Missa conventuali cap. 4., quod si Prior, vel Canonici legitime impediti Missas celebrare nequirent, liberum eis non sit alium pro libitu substituere, sed Canonico ex turno succedenti locus fiat; idemque integras distributiones celebranti obvenientes lucretur. Quomodo autem Canonicus ex turno succedens scire debet, Canonicum de turno vel nolle, vel non posse canere Missam, nisi pridie id sibi denuncietur? Ex defectu enim denunciationis hujusmodi id eveniet absurdi, quod alias jam evenerat, ut nempe Presbyter Beneficiatus in defectum Canonici de turno, præcedenter non moniti, solemnem Missam celebrare debeat.*

Nulla sane indicta est pœna per antedictum decretum in casu contraventionis; at hoc est adamussim, de quo cavit decretum. Hoc autem decretum cum editum censeri debeat præter Constitutiones Capitulares, est omnino exequendum. Neminem enim latet, Capitulo, & cuicumque Collegio fas esse nova edere decreta, quæ non sint Juri communi, vel particulari statuto contraria, sed sint

sint secundum, vel præter jus, & statutum, dummodo major pars Capituli, & Collegii in idem decretum conveniat; ut cæteris omissis, firmat Rota in Barchionen. Præeminentiarum 12. Maii 1749. §. 7. cor. Molino. Hæc autem Juris censura eo magis locum sibi vindicat contra Canonicum Valenti, qui præsens fuit comitiis capitularibus, in quibus exposita fuit disquisitio per secreta suffragia definienda. Nihil enim ipse opposuit, nullam emisit protestationem, seseque ultro suffragantium judicio subjecit. Indubium ergo est, quod ipse modo in discrimen adducere nequeat decretum, quod uno tantum discrepante suffragio, ac ipso suffragante fuit evulgatum. Eidem enim Canonico obstat non modo Juris Canonici censura in lib. Decretalium de iis, quæ fiunt a majori parte Capituli, sed efficit fataliter expressus consensus ab eo præstitus eventui capitularis resolutionis, cui sponte, ac libenter absque ulla contradictione per traditionem sui suffragii se declaravit obnoxium.

Atque ita conclusit = *Jure proinde, meritoque a Cardinali Salviato meo antecessore decretum antedictum fuit confirmatum, & adprobatum, contempta penitus exceptione, quod mala valetudo, aut legitimum aliud impedimentum inopinato evenire valeat sive nocte antecedenti, sive mane diei, quo celebranda est Missa, ac propterea injusta esset hoc casu multa obolorum viginti. Hoc enim diffugium ab ipso capitulari decreto explôditur, dum in eo expresse cavetur = Contravenientibus autem (nisi nocte, vel mane diei, quo celebrandum ipsis esset, repentino forte morbo, aliaque inopinata legitima causa impeditos fuisse constiterit &c.) decreta pæna duorum juliorum &c.*

Tria igitur disputantur dubia. Primum circa discessum a choro ad celebrandam Missam. Secundum de restitutione punctaturarum. Tertium de decreto anni 1794. Ad primum conveniunt Partes, discedere non posse Canonicos tempore Divini Officii a choro ad celebrandam Missam, nisi necessitas urgeat Ecclesiæ, & Præfectus chori licentiam concedat. Ita profecto Canonica præscribunt Jura, de quibus *Benedict. XIV. Instit. Ecclesiast* 107. §. 10. *num.* 74., & *seqq.*, & pro regula statuit Sacra hæc Congregatio *in Mediolanen. anni* 1575. de qua *in lib. I. Decretor fol.* 51., *in Comen. Celebrationis Missarum* 23. *Novembris* 1771. *ad II. Dubium*, & no-

& novissime ut Secretarien. Sr... Chori 30. ... Julii ad II. Dominum. Atque ita capitulares etiam jubent Constitutiones; ut prænotatum est.

Tota quæstio est de modo petendi licentiam. Urget Canonicus Valenti primum capitularium Constitutionum decretum, quod = *Si quis dum Divina persolvuntur Officia, discedere OPUS HABET, dum è stallo in medium chorum devenerit, facta R. P. D. Vicario, vel Priori, vel seniori Canonico capitis inclinatione, veniam poscat*; satisque suæ obligationi fecisse ait, dum præscripto salutationis adhibito signo, a choro discedere consuevit ad celebrandam Missam. Eo magis, quia secundum nonnullos productos testes, ita ab immemorabili tempore servatum asserit. Plura autem adversus hæc observat Defensor Capituli: sed iis missis, hoc unum notandum videtur, duplicem esse, penitusque distinctam Constitutionum providentiam, unam nempe in casu, quo Canonicus *discedere OPUS HABET*, seu pro particulari indigentia; & in hoc casu permittitur simplex capitis inclinatio: alteram vero in diverso casu discessus ad celebrandam Missam; & tunc præscribitur, ut id fiat *pro necessitate, & majori commoditate Populi, atque PETITA prius, & OBTENTA licentia a Præfecto, seu Digniore chori*. Capitis igitur inclinatio, quæ satis est in primo casu, haud sufficere videtur in secundo, in quo alter *discretivè* præscribitur obtinendæ licentiæ modus, per *petitionem* scilicet, & *concessionem*, quæ verba potius, quam nutus requirunt. Quod luculentius declaravit clar. mem. Cardinalis Alexander Albani anno 1773. verbis illis = *Che niuno in tempo del coro vada a celebrar la Messa senza aver prima ESPRESSAMENTE chiesta, ed ottenuta la licenza dal Prefetto del coro*.

Hinc querendum de æquitate verbalis decreti anni 1793., quod necessitas Ecclesiæ, Populique commoditas nuncietur per Æditimum, qui monere teneatur = *per ordine di anzianità quei Signori Canonici, li quali vogliono celebrare*. Altum de hoc decreto queritur Canonicus Valenti, suæque dignitati injuriosum autumat, quod imperio Æditimi subjiciatur. Notandum tamen, quod capitulares Constitutiones, & decretum Cardinalis Albani conscientiam onerant Præfecti chori, ne licentiam discedendi concedat, nisi = *attenta necessita-*

sitate, & *majori Populi commoditate*. Fieri enim non potest, ut Præfectus qui Divinum persolvit Officium in choro, necessitatem Ecclesiæ & majorem videat commoditatem Populi, nisi ab Æditimo moneatur; ideoque absurdum fortasse videri non debet, quod loco monendi Præfectum, directe Æditimus moneat *per ordine di anzianità quei Signori Canonici i quali vogliono celebrare*; ut ad inanem vitandum circuitum verbaliter decrevit Capitulum.

A resolutione *primi* Dubii pendet altera *secundi*. Si enim probent EE. Vestræ modum discedendi a choro per simplicem capitis inclinationem ad celebrandam Missam, injuste Canonicus Valenti passus fuisset punctaturas, eique propterea reddi deberent. At si juxta secundam capitularem sanctionem, & decretum Cardinalis Albani, contrarium decernant, reddendæ non essent punctaturæ, quas ad formam ipsarum Constitutionum passus fuit. Nam expresse in illis præscribitur, ut Canonicus discedens a choro ad celebrandam Missam = *punctetur*, *nisi id egerit pro necessitate*, & *commoditate Populi*, *atque PETITA prius*, & *OBTENTA licentia a Præfecto*, *seu Digniore chori*. Neque prodesse forsan posset Canonico Valenti bona fides ob assertam consuetudinem. Num bona enim dari valeat fides in violatione capitularium Constitutionum, quibus cæteri omnes parere asserunt Canonici, EE. Vestræ decernant.

Quo ad *tertium* postremo, gravem dicit Canonicus Valenti decretam obligationem denunciandi pridie impedimentum canendi Missam conventualem, eo quod supervenire potest tale impedimentum ipso celebrationis mane; graviorem duorum juliorum poenam, ultra amissionem distributionum obvenientium celebranti. Advertere tamen dignentur Emi Patres, exceptum esse in decreto anni 1794. repentinum impedimentum per ea verba = *nisi nocte*, *vel mane dici*, *quo celebrandum ipsis esset*, *repentino forte morbo*, *aliave inopinata legitima causa impeditos fuisse constiterit* = unica vero duorum juliorum pæna multari non celebrantem; nam privatio distributionum, amissio est lucri celebrationis.

Dubia sunt.

I. An,

I. *An, quomodo, & de cujus licentia celebrari valeat Missa tempore choralis officiaturæ in casu &c.*

II. *An, & a quo tempore Canonico Ferdinando Valenti sint restituendæ punctaturæ in casu &c.*

III. *An sustineatur decretum capitulare quo ad cantum Missæ per turnum in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Emi Diaconi.
Ad II. Negative.
Ad III. Affirmative; & quoad omnia amplius.

Ses.25.cap.12. de Reform.

AUXIMANA CONCORDIÆ SUPER DECIMIS. Per transactionem initam anno 1622. Plebanum inter, & Communitatem Offaneæ conventum præ cęteris fuit = *Che sia lecito al Signor Pievano, e suoi successori, e possa esigere la decima del grano da tutti i suoi parrocchiani alla misura nuova, e detti parrocchiani sieno obbligati dargliela alla detta misura senza contradizione alcuna* = iterumque = *che gli parrocchiani della Chiesa della Pieve di detta Terra di Offagna siano inoltre obbligati portare la decima sopradetta alla Casa della Pieve all' istesso Signor Pievano, e suoi successori nel modo sopradetto senza contradizione alcuna, eccettuati però quelli, che abitano dentro la Terra sopradetta, e nel suo borgo contiguo, alle Case, de quali sia tenuto mandare esso Signor Pięvano, e suoi successori a pigliare la decima.*

Ad formam hujusce transactionis exactæ ad hæc tempora fuerunt decimæ; non sine tamen contentionibus inter Plebanum, & parochianos. Quum autem ad hoc ipsum tollendum inconveniens, jamdiù in aliis oppidis auximanæ Diœcesis inducta esset decimarum præstatio in certa pecunię quantitate per transactiones initas inter Parochos, & Communitates, easque transactiones probasset auximana Synodus *Spada* in ea verba = *A magistratu alicubi cum Parocho de decimis legitime transactum est, & communi nomine ab eo enumerata pecunia solvuntur, quod mirifice ad concordiam confert. Si quos*

quos aliis in locis hoc studium pacis incesserit, quod summopere commendamus, illi perficiendo libenter manum admovebimus. = iis propterea excitatus exemplis hodiernus Offaneæ Plebanus Hyeronimus Vici cum oppidi Communitate egit de simili ineunda transactione. Propositionem excepit Communitas, mandavitque *Lucio Betti*, & *Jacobo Casoni*, deputatis specialiter electis, confectionem capitulorum, quæ in his exarata fuerunt terminis. „ I. Che il Pievano presente per se,
„ e suoi successori si obbliga di cedere alla Comunità
„ il dritto di esigere in avvenire le decime di tutte le
„ famiglie di Offagna, tanto quelle, che dai nolanti
„ si pagano in denaro colla somma annua di bajocchi
„ 15., che chiamasi il carlino, quanto quelle, che
„ dai possidenti, e dai coloni ora si pagano in generi,
„ cioè in mezza coppa di grano, ed un barile di mosto,
„ e se i coloni sieno lavorecci (cioè se tengono i bovi)
„ in una coppa di grano, ed in un barile di mosto. Queste
„ sono in quanto ai nolanti circa 150. famiglie, ed in
„ quanto agl' ultimi in numero di circa 200.

II. Che dei nolanti sia tenuta la Comunità di condonare
„ ogn' anno la decima detta del carlino almeno a 50.
„ famiglie delle più povere, da scegliersi dalla Comu-
„ nità medesima, e da approvarsi dai Pievani pro
„ tempore, come si usa per le 30. famiglie povere, che
„ ogni anno si scaricano della coletta del fumo. III. che
„ in quanto alle altre famiglie, o possidenti, o colo-
„ niche, si diminuisca la decima di ciascheduna, fa-
„ cendosi pagare in avvenire non più in generi, ma in
„ denaro fissato, cioè in bajocchi 35. per ciascuna mez-
„ za coppa, alla ragione di scudi 5. 60. il rubbio, cioè
„ meno della tassa camerale, ed in bajocchi 15. per
„ ciascun barile di mosto, a ragione di paoli quattro
„ e mezzo la soma (che sono i prezzi più bassi di detti
„ generi) così che la decima sudetta non ecceda mai la
„ somma di paoli cinque in tutto, eccettuato i lavori,
„ che secondo l'uso raddoppiaranno il prezzo della mez-
„ za coppa di grano.

IV. Ribassate, e fissate le decime, la Comunità per mag-
„ gior disbrigo le farà riscuotere secondo i tempi dal
„ suo depositario insieme colle altre collette, e da tale
„ riscossione avrà egli a bajocchi 50. come sopra per
„ le 200. famiglie, o possidenti, o coloniche, la som-
„ ma di 100. scudi, e per le 150. famiglie dei nolanti,

,, che pagano bajocchi 15. all'anno, rilasciata la deci-
,, ma a 50. da esse più povere, come si è detto, e ri-
,, bassata la decima detta del carlino a soli bajocchi 10.,
,, avrà per le altre 100. famiglie la somma di scudi 10.,
,, ed in tutto il frutto delle decime sarà di scudi 110.
,, annui.

V. A salvare il dritto della Chiesa, la Comunità si obbli-
,, ga di far dare di tal somma di 110. ai Signori Pievani
,, pro tempore in rate bimestrali, da principiare dopo
,, la stipulazione della presente concordia, la somma
,, annua di scudi 50., ed affinchè senta ancor più la
,, popolazione il vantaggio di questa nuova concordia,
,, con altri scudi 50. dovrà formare due patrimonj sa-
,, gri di scudi 25. l'uno, da pagarsi come sopra a rate
,, con bollette bimestrali a due giovani, che vogliono
,, attendere allo studio per lo stato ecclesiastico, e vi si
,, vogliono altresì ordinare Sacerdoti a servizio di que-
,, sta Chiesa di Offagna, e con tal distribuzione rimar-
,, rà la rata di scudi 10. per mercede al depositario. Se
,, questa sembri eccessiva per la poca riscossione di
,, 110., e per le rispettive bimestrali paghe, che do-
,, vrà fare, sarà in libertà della Comunità di ribassarla
,, a suo piacere, servendosi del di più in condonare la
,, decima del carlino ad altre famiglie povere, oltre le
,, 50. accennate di sopra, o qualche rata di bajocchi 50.
,, ad altre famiglie o possidenti, o coloniche in qualche
,, anno di maggior penuria.

VI. Il diritto di nominare ai due sopradetti patrimonj sa-
,, rà uno in perpetuo del Pievano pro tempore, e l'al-
,, tro alternativamente del Pievano, e della Comuni-
,, tà. Dovrà però sempre nominarsi un giovine oriun-
,, do d'Offagna non minore di 14. anni compiti, e que-
,, sti, se non sarà ordinato Suddiacono al 24. anno
,, compito: dovrà perdere un tal provedimento a van-
,, taggio di altri giovani Offagnesi, che possano, o vo-
,, gliano attendere allo studio ecclesiastico o quì, o al-
,, trove: dovrà perderlo ancora quel giovine, che
,, dentro un tal decennio lasciasse affatto lo studio, o
,, per cattivi costumi si rendesse incapace di esser or-
,, dinato Chierico, o Sacerdote; come pure dovrà ce-
,, derlo senza contrasto a provedimento di altro giovi-
,, ne quel Sacerdote, che venisse proveduto di altro
,, patrimonio, o beneficio sufficiente. In caso di con-
,, corso di tali giovani dovrà attendersi dalli elettori,

,, ol-

„ oltre la nascita in Offagna, e l'età sudetta, l'onestà
„ de costumi, l'indole migliore, e la più probabile
„ vocazione allo stato ecclesiastico; ben inteso, che
„ in eguaglianza di requisiti sudetti possino preferirsi
„ i figli de Consiglieri poveri.

VII. Perche potrà darsi qualche vacanza di tali patrimo-
„ nj, in tali casi dovrà la Comunità far depositare dal
„ suo esattore le rate bimestrali al Sagro Monte di
„ Pietà ad effetto, che qualora tali rate sieno giunte
„ alla somma di scudi 100. si diano a censo in egual
„ accrescimento dei due patrimonj sudetti a favore
„ di quei Chierici, o Sacerdoti allora viventi, e suoi
„ successori. A questi poi, ed al Pievano pro tem-
„ pore aspetterà d'invigilare, perche sieguano in ef-
„ fetti tali depositi, e tali rinvestimenti; ed alla
„ fine di ciascun anno tanto il Pievano pro tempore,
„ quanto la Comunità elegeranno due Deputati, uno
„ per parte, perche questi riveggano i conti al deposi-
„ tario sì dell' esigenza, che dell' impiego fatto dalle
„ somme riscosse per conto di questa concordia, esclu-
„ so qualunque superiore economico.

„ VIII. Finalmente dichiarano le Parti, che nell' atto
„ dell' istromento, che dovrà farsi di questa nuova
„ concordia, perderà ogni vigore l' antica sopra cita-
„ ta del 1622. in quanto fu allora stabilito sul punto
„ delle decime, rimanendo per altro fermo, e stabile
„ quanto in altri capi fu allora risoluto, e fissato:
„ come pure, che non avendo il suo pieno effetto la
„ concordia, o presentemente, o nei tempi avveni-
„ re, possa, e debba la Chiesa d' Offagna ritornare in
„ possesso de suoi diritti, come prima. E perchè la
„ presente concordia è utilissima a questa popolazio-
„ ne massime pel provedimento dei due Chierici,
„ giacchè in Offagna non vi è benefizio alcuno, e
„ rare sono le Famiglie capaci di provedere i loro fi-
„ gli di patrimonj, ed è poco dannosa alla Chiesa,
„ che aliunde è proveduta a bastanza, sperano le Par-
„ ti, che l' Emo nostro Vescovo presterà quell' ajuto,
„ che vien promesso nel citato Sinodo Spada, e che le
„ Supreme Sagre Congregazioni del Buon Governo, e
„ del Concilio si degnaranno d' approvarla benigna-
„ mente col favorevole loro rescritto.

Super hisce transactionis capitulis petita fuit Sacræ Con-
gregationis Boni Regiminis approbatio. Precibus vero

pro informatione remissis, convocatisque communitativis Comitiis, altum adversus eamdem transactionem declamavit Lucius ipse Betti, qui illam tamquam condeputatus probaverat, atque ex consiliariis quatuordecim, octo pro concordia suffragium tulerunt. Quum ob defectum igitur duarum ex tribus partibus suffragiorum exclusa fuisset transactio, hinc ob evidentem Oppidanorum utilitatem, de qua testabantur Priores Communitatis, suum Præses Provinciæ aperuit votum Sacræ Congregationi Boni Regiminis pro sanatione consiliaris resolutionis; & Sacra illa Congregatio de voto ejus Fiscalis rescripsit die 12. Septembris elapsi anni 1795. = *Scribatur juxta votum Fiscalis; nempe reportato per Parochum Beneplacito Apostolico super cessione decimarum favore Communitatis, providebitur*.

Sacram hanc propterea Congregationem adiit Plebanus Vici pro reservato Beneplacito, ac de sua Eminentissimus Auximanus Episcopus rogatus informatione, & voto, per transmissa jura retulit, annuum Parochiæ reditum de anno 1765., quo illam obtinuit Vici, non excessisse summam scutorum 396.; sed ob insignes prædiorum meliorationes attigisse tandem elapso anno 1795. summam scutorum 1161. 70. comprehensis incertis, ultra decimas, quę annua reddunt scuta circiter 110., & plaudens Synodi Spada, quam ipse super similibus concordiis confirmavit, optimaque probans exempla Apirii, & Apineani, in hæc conclusit verba = *Quoniam vero nullius momenti sunt Communitatis jura, præcipue cum Sacra Congregatio Boni Regiminis pro Communitate concordiam approbaverit, nihilque ob auctos a Parocho reditus Pareciæ detrimenti, maxima vero gregi utilitas apparet, quæ a communi Parochum inter, & Populum animorum consensu, & ob optimæ spei adolescentibus expectari in posterum potest, inde fit, ut non possim, quin illius Parochi pro suis ovibus zelum laudibus prosequar; atque EE. Vestras, ut operi manus extremas admoveant, quo hujusmodi tam utilis concordia ab Apostolica Sede approbetur*.

Ad impediendam resolutionem Causæ ex officio, duplex in Secretaria Sacræ hujus Congregationis appositum fuit *nihil transeat*, alterum nomine Communitatis, alterum nomine Colonorum. Quoniam vero Eminen-

sentissimus Sacræ Congregationis Boni Regiminis Præfectus denegavit licentiam agendi litem nomine Communitatis, deletum idcirco fuit per decretum Secretarii Sacræ hujus Congregationis *nihil transeat* ejusdem Communitatis, aliudque Colonorum servatum. Interim vero ad faciliorem concordiæ approbationem consensum prœstitit Plebanus Vici pro imminutione summæ, solvendæ sibi, suisque successoribus, a scutis nempe 50. ad 40., injuncto tamen Communitati onere deponendi quotannis in Sacro Monte Pietatis reducta scuta decem, *perchè con tali depositi, e senza nuovo incomodo della Comunità, e della Chiesa, abbiano ambedue nel tempo avvenire con che difendere occorrendo un tal diritto della decima; perchè diminuendosi il numero delle decime con tali depositi, e dopo l' intelligenza dell' Ordinario possa rendersi indennizzata la Comunità, perchè colla licenza dell' Ordinario questa Chiesa possa accrescere ancora un nuovo patrimonio per i Giovani poveri del Paese, a simiglianza degli altri due indicati della concordia sudetta, ogni qualvolta, che restando oziosi tali annui depositi, giungano alla somma sufficiente, ed opportuna.* Hactenus igitur contumacibus Colonis, Causa nunc proponitur uno informante Vici, qui in limine propositionis solemnem alteram exhibuit declarationem, annuitque pro moderatione rerum decimabilium, & ulteriori reductione summæ sibi solvendæ; sub nonnullis tamen conditionibus.

Primo siquidem = *che si possa fissar la decima a grano, e mosto dei possidenti, e coloni a soli bajocchi quaranta in vece dei 50. come alla concordia, lasciando cioè per l' avvenire la mezza coppa di grano a bajocchi* 10. II. *che ricavandosi con tal diminuzione soli scudi ottanta annui dalle 200. Famiglie de sudetti possidenti, e coloni, e scudi dieci dai nolanti (in tutto scudi 90.) si possa stabilire la rata da pagarsi a questa mia Chiesa in soli scudi trenta annui, altri scudi cinquanta per i due noti patrimonj, ed i residuali scudi dieci per l' Esattore della Comunità, e per le altre piccole spese, che possono occorrere per tale esazione.* III. *come sarà una tal nuova riduzione di decime di vantaggio notabile a ciascuna famiglia, che è ora, e forse sarà in avvenire vieppiù aggravata de' pesi per la circostanza de tempi, così lo scapito di scu.* 10., *e scu.*

scu. 20. annui per questa Chiesa ben proveduta, sarà sempre di assai poco momento, massime crescendole ogn' anno le rendite per i nuovi, e molti bonificamenti non ancor giunti al solito loro fruttato.

Utilem Plebanus dicit concordiam sibi, & Populo. Perpetuæ siquidem inter Parochos, & parochianos fuerunt contentiones in exactione decimarum; frequentes cum detrimento animarum fraudes; non integrę sæpe solutæ decimæ, Eminentissimo Episcopo teste. Ad removenda autem scandala concordiam Ecclesiæ probat *Bonifacius VIII. in cap. fin. de pact. in sexto*. Et quamvis non parum de suis decimis remitteret Plebanus, ex pluribus tamen æquam censet hujusmodi remissionem; tum scilicet ex natura transactionis, quæ exigit, ut aliquid hinc inde remittatur *per Text. in leg. transactio 38. cod. de transact., & in leg. 1. ff. eod. tit.*, tum ex certa quantitatis exactione, quæ incerta esset in specie, *gloss. in leg. cum hi vers. modica præsente ff. de transact.*, tum ex pinguissimo Paręcię reditu, qui patitur, ut aliquid in levamen pauperum remittatur. Atque his de causis similes commendavit concordias Synodus Spada, quam hodiernus Eminentissimus Episcopus confirmavit; similesque initæ sunt concordiæ in oppidis Apirii, & Apineani. Utilitatem vero desumit Populi ex imminutione pretii rerum decimabilium; remissione decimarum erga pauperes familias, & constitutione patrimoniorum, per quæ Oppidum Offaneæ plures habere poterit Sacerdotes. Hisce profecto, aliisque rationibus Priores etiam Communitatis, atque Eminentissimus Episcopus utilem censent concordiam.

Aliter duo de septuaginta arbitrantur Patresfamilias, valdeque ipsis gravis videtur solutio decimæ in certa pecuniæ quantitate annis etiam caritatis, in quibus nullam præstare tenerentur decimam. Maxime quia rigida foret exactio Communitatis, neglectis infortuniis, quæ sępe eveniunt in prędiis; neque fruerentur amplius pauperes decimarum remissione, quam concedere consueverunt Parochi. His vero centum viginti quinque alii adversantur Patresfamilias, enixeque rogant pro approbatione concordiæ, quam ex præmissis Plebani rationibus maximopere utilem arbitrantur. In hoc autem oppidanorum conflictu quæri posset, num audiri potius debeant qui contradicunt. Concordia enim tangere videtur singulos uti singulos, non uti universos, ideo-

ideoque potiorem esse causam prohibentis *per Text. in leg.* 56. *ff. de regul. jur.*, *& in leg.* 28. *ff. commun. dividund.*, & *Voet. in Pandect. lib.* 10. *tit.* 3. *nu.* 7. Deliberandum igitur.

An, & quomodo sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.

Affirmative arbitrio Emi Episcopi, constito de approbatione conciliaris resolutionis in forma Juris valida.

ASSISIEN. STIPENDII. Parochialis Ecclesia S. Mariæ Majoris Terræ Bictoniæ Assisiensis Diœcesis erecta fuit anno 1792. in Collegiatam ex reditibus parochialibus scutorum 700. circiter, & simplicibus quibusdam beneficiis de jurepatronatus Parochi, Communitatis, Confraternitatum, & Civium; atque institutus in ea fuit Archipresbyteri nomine in primam Dignitatem Parochus Carolus Bassi cum præbenda scutorum 200. præter incerta stolæ; Canonici insuper decem cum præbenda scutorum 35. pro quolibet; tresque tandem Presbyteri seculares ad nutum Archipresbyteri amovibiles, quorum singuli cum annuo stipendio scutor. 25. eum in cura animarum adjuvarent. Assignata præterea fuerunt scuta 30. Æditimo, & Clericis inservientibus, & reliqui superextantes reditus *massæ communi desuper conficiendæ pro usu distributionum quotidianarum inter pro tempore existentes Archipresbyterum, & decem Canonicos prædictos, præsentes tantum, & Divinis Officiis interessentes æqualiter dividendarum*. Bonorum autem omnium possessio eidem tributa fuit massæ, quæ ferre etiam deberet onera. *Sess.21. cap.4. de Reform.*

Quum Sacerdotes fere omnes Oppidi cooptati fuerint in collegium Canonicorum, & unus dumtaxat supersit simplex Sacerdos, qui ob recusatum Canonicatum multo magis recusaturus esset capellaniam curatam, coactus idcirco fuit Archipresbyter tribus pro animarum cura uti Canonicis. Hoc tamen reliqui improbantes illorum collegæ, veluti contrarium Bullæ erectionis, solemniter declararunt = *di non voler mai addossarsi il sudetto peso di Cappellano Curato, ne mai consentire, ne questi per qualsivoglia titolo, o ritrovato*

pre-

pretesto accettare, imposita Canonico acceptanti capellaniam curatam pœna scutorum 100. Hac igitur attenta Canonicorum reluctantia, necessariò Archipresbyter tres exteros Sacerdotes in Capellanos assumere debuisset curatos, sed difficile futuros arbitrabatur, qui cum stipendio scutorum 25. capellanias acciperent. *SSmo* propterea supplicavit pro augmento ejusdem stipendii in aliis scutis novem, non ex propria præbenda, sed ex massa communi; precibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, impense favet assisiensis Episcopus instantiæ.

Resolutum in capitulari conventu fuisse refert, *æquum, ac justum esse, ut* [augmentum illud stipendii] *ex massa capituli, non vero ex Archipresbyteri congrua solvatur*. Deindeque hæc habet = *Bulla* [erectionis] *vigore privationis spectabilis proventus summæ scutorum 700. a supplici Archipresbytero in favorem Collegiatæ spontanee factæ, totum Ecclesiæ pondus ab ipsa Collegiata sustinendum imposuit dicens = ac onera ei respectivè incumbentia adimplere debeant, ac teneantur = Ad Collegiatam ergo, & non ad Archipresbyterum spectare onus solvendi Capellanos coadjutores Bulla exigit. Nisi Archipresbyter suo cessisset juri, & spectabili utilitati, Collegiata numquam prodiisset; Bictonii Terra numquam hunc in honorem foret; ipsius novem Presbyteri congrua substentatione præditi non essent. Totum id ex benigna Archipresbyteri indulgentia manavit. Justitiæ, & æquitatis leges ex hac indulgentia in beneficum Archipresbyterum indebitum onus gignere non permittunt. Ipsæ Collegiatæ donando reditus summæ scutorum 700., insimul oneribus omnibus se spoliandi insensum habuit, sibi tantummodo reservando congruam substentationem scutorum biscentum. Hisce conditionibus præfatos fructus ambabus ulnis Collegiata amplexa est. Justitia ergo, ut hæc omnia in favorem Archipresbyteri Bassi sarcta tecta præstentur exposcit* =

Quæritur primo *in genere*, an sit locus augmento stipendii; & præ omnibus urget Archipresbyter resolutionem capitularem. Nam ex Canonicis quinque, qui suffragia tulerunt, tres augmentum decreverunt stipendii ex massa communi; ideoque eorum resolutio, veluti edita a majori parte Capituli in re, quæ tangere videtur Capitulares uti universos, legitima dici po-

potest, *per Text. in cap. cum omnes 13. de constitut.*, *in cap. cum notis de elect.*, *in cap. 1. de his, quæ fiunt a major. part. capit.*, *& leg. quod major ff. ad municip.* Re vero intrinsecus perpensa, æquissimum censet Archipresbyter augmentum stipendii. Necessarii porro sunt tres Capellani Curati ad formam Bullæ erectionis Collegiatæ, quum in territorio Bictonii frequentes sint rurales ædes, plurimique habitatores. Altera autem ex parte simplices in eo Oppido non existunt Sacerdotes, qui capellanias accipiant juxta legem erectionis; & qui aliunde evocari deberent, vivere forsan non possent extra propriam patriam cum simplici stipendio scutorum 25.

Statutum contra inquiunt Canonici cujusque Capellani stipendium in erectione Collegiatæ; ejusque legem, post simplex præsertim quatriennium, rebusque in eodem statu manentibus, servandam esse, ac nova non pati onera, *Fagnan. in cap. conquerente num. 24. de Cleric. non residen.* Maxime, quia assignatum asserunt stipendium scutorum 25. non ex proprio Summi Pontificis motu, sed juxta prææviam conventionem Patronorum, qui beneficia cesserant in erectionem Collegiatæ. Atque hinc plura *ex Jure* addunt de vi pactorum, eorumque efficacia. Hæc tamen addi possent. Posita siquidem necessitate evocandi exteros Sacerdotes, qui capellanias curatas accipiant, ne a chorali servitio abstrahantur Canonici, adeo tamen facile non videretur, ut stipendium recusarent scutorum 25., quod non multum a præbenda distat canonicali, nec tenue admodum est in oppidulo, si ei addatur Missarum eleemosyna. Eo vel magis, quia animarum cura inter Archipresbyterum, tresque Capellanos divisa, censeri potius valet levis.

Quatenus vero EE. Vestræ augendum censerent Capellanorum stipendium, deliberare dignentur, a quo præstari deberet augmentum. Ne præstaretur ab Archipresbytero, urgere posset liberalis dimissio ejus redituum in summa scutorum 700., ut minorem a Collegiata consequeretur congruam scutorum 200. Æquum sane non esset, ut per augmentum stipendii Capellanorum ulteriorem pateretur reductæ congruæ reductionem, & in ejus odium retorqueretur propria liberalitas. Hoc vero præcipuam meretur animadversio-

 nem,

nem, quod omnia Paræciæ, & Beneficiorum bona coaluerint in massam communem, eique in Bulla erectionis impositum fuerit onus adimplendi onera, quæ inter præstatio scutorum 25. cuilibet Capellano. Ex eadem propterea massa præstandum esse contendit Archipresbyter, quod ad justum deficit eorumdem Capellanorum stipendium, quum sequatur augmentum naturam rei principalis, *Barbos. axiom.3. num.1.*, *Rot. cor. Molin. decis.*878.

In commodum contra Archipresbyteri cedere ajunt Canonici ministerium Capellanorum, ideoque in Archipresbyterum ipsum rejicere conantur augendi stipendii incommodum ex *cap. qui sentit, de regul. jur. in sexto*, *& leg. naturaliter ff. eod.* At ponderare dignentur Emi Patres, num hæc regula, quæ locum habere potuisset, cum omnes Archipresbyter percipiebat reditus Parochiæ, procedere etiam valeat post eos cessos massæ communi Collegiatæ, cujus idcirco esse videntur commoda, & incommoda.

Quæritur ergo.

I. *An sit locus augmento stipendii Capellanorum in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An dictum augmentum debeatur ex massa communi, seu potius ab Archipresbytero in casu &c.*

Ad I. Affirmative, quatenus non inveniantur Sacerdotes oppidani.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam; & amplius.

Sess.25. cap.4. de Reform.

SPOLETANA REDUCTIONIS MISSARUM. Propositum in hac Causa fuit Dubium = *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*; atque EE. Vestræ sub die 28. Novembris elapsi anni 1795. rescripserunt *negative*. Redit nunc Sacerdos Antonini Parochus Villemainæ terræ Sillani, iterumque denegatam postulat reductionem; & antiquissima allegat similium reductionum exempla. Quatuor enim eidem pa-

parochiali Ecclesiæ relicta fuerant pia Missarum legata; unum nempe hebdomadalis Missæ ab Orphea Spazii cum fundo scutorum 25. in activo censu annui reditus juliorum 20., ad rationem scutorum octo pro quolibet centenario, & anno. Alterum ab Hercule, & Sancte Spazii hebdomadalis pariter Missæ cum simili censu & reditu. Tertium a Michaele di Fiolo duplicis Missæ hebdomadalis cum censu in sorte scutorum 100. annui reditus scutorum octo. Et quartum a Flaminio Spazii hebdomadalis quoque Missæ cum censu in sorte scutorum 50. annui reditus scutorum 4.

Legata hæc ob tenues reditus accipere renuebat Eliseus Vanni, olim Villemainæ Parochus, absque licentia Episcopi; supplicavitque idcirco Sacræ huic Congregationi pro reductione onerum, anno nimirum 1645. pro reductione priorum trium legatorum, & sequenti anno 1646. pro reductione quarti; eademque formula semel, & iterum Sacra Congregatio sub diebus 14. Februarii 1645., & 14. Aprilis 1646. = *Remisit libellum ad Episcopum Spoletanum, qui dictas Missas ex simplici tantum legato, ut asseritur celebrandas, ad proportionatam redituum quantitatem, more regionis inspecto, pro suo arbitrio, & conscientia moderetur, atque reducat*. Et vigore utriusque rescripti reduxit Episcopus legata Orpheæ, Herculis, & Sanctis Spazii ad unam menstruam Missam pro quolibet legato; alterum Fiolo ad unam Missam hebdomadalem, aliasque in festivitatibus B. Mariæ Virginis; & legatum denique Flaminii Spazii ad duplicem menstruam Missam.

Ex hisce autem concessis reductionibus de tempore, quo reditus censuum in annuis erant scutis 8. pro quolibet centenario, multo magis concedendam esse ait Orator ulteriorem reductionem post imminutum eorumdem censuum fructuum ad scuta quatuor, aut quinque, teste Vicario foraneo Sellani, & postquam unum ex ipsis censibus in sorte scutorum 16. 50. ob defectum fundum censitum periit, ut idem testatur Vicarius foraneus. Super hujusmodi autem precibus verum dicit Spoletinus Episcopus, constitutas initio fuisse legatorum dotes in censibus, quorum usura a scutis octo ad quatuor, vel quinque decrevit; eademque idcirco proportione reducendas esse Missas: eo magis quia *eleemosyna illius re-*

gionis aucta est, uti in aliis diœcesis locis, ad obolos 15. pro qualibet.

Nullum insuper esse ait interesse habentem super legatis, *quum ad parochialem illam Ecclesiam spectet implementum: immò occasione reinvestimenti tam census, quam terræ prædia adeo permixta sint cum aliis Ecclesiæ bonis, ut exceptis tribus, vel quatuor legatis, quæ specificata inveniuntur, cætera confusim a Parocho possideantur; unde quod deinceps orator celebret tot Missas, quot fructus adaptari, & exequi haud valet ob confusa bona parœciæ, aut legatorum.* Refert præterea, quod *in totum reditus præfatæ Ecclesiæ una cum certis incertis ascendunt annuatim ad scuta 60. circiter* [dixerat in præterita informatione = *annui reditus calculantur in quantitate scutorum 64. circiter* =] *super quibus celebrare debet Parochus pro tempore quolibet anno præter Missas pro ovibus num.82., Missas pro legatis Ecclesiæ adnexis num.226.* (probavit contra in prima informatione per trasmissam Ecclesiæ tabellam celebrandas esse à Parocho annuas Missas 395., a quibus detractis Missis 80. circiter pro populo, remanent pro legatis Missæ circiter 315.) Atque ita suum aperit votum = *Eapropter censeo, imminui posse numerum* [Missarum] *pro tertia parte, videlicet 75.*, seu potius centum, *perspecto eleemosynæ augmento, & tenuitate fructuum curæ;* itaut celebrari in posterum debeant annuæ dumtaxat Missæ 126. *in satisfactionem omnium prædictorum legatorum.*

Adversus hæc, quæ petitioni favent Oratoris, notari posset, activos census, quos modo possidet Parochus orator, consistere in sorte scutorum 335. 50, juxta testimonium Vicarii foranei. Sortes autem quatuor legatorum, quæ reducta fuerunt annis 1645., & 1646. in unum fuisse scutorum 200., itaut remaneat sors scutorum 135. 50. absque reductione oneris. Reliquis enim legatorum fundi permixti sunt cum bonis parochiæ, juxta relationem Episcopi. Parum ergo urgere videtur decrementum usurarum minoris partis legatorum ad concedendam reductionis reductionem contra decreta Sacræ hujus Congregationis in *Neapolitana Reductionis Missarum 19. Novembris 1729., & Interamnen. Reductionis Missarum 30. Augusti 1788.*

Po-

Potissimum, quia reducta fuerunt legata illa ante acceptationem, & modo est de prætensa reductione post acceptionem, & diuturnam observantiam, quæ gratiam impediunt, ut *in Civitatis Castelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii* 1790. Illudque postremo ex prœterita relatione Episcopi notandum, quod cum annuo reditu scutorum 64. præter incerta = *de altari vivere potest Orator, maxime quod est incola loci, & familiæ divitis; vivebant, & adimplebant ejus Antecessores pauperiores.*

deliberationem igitur venit.

n sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis.

IRMANA PRÆEMINENTIARUM. Parochialis olim Ecclesia S. Bartholomæi Murrivallium erecta fuit anno 1586. in Collegiatam Canonicorum octo, trium Mansionariorum, & Prępositi, qui *inibi Dignitas principalis, & cæterorum caput existeret*. Non primum vero, quam anno 1767. conditæ fuerunt capitularęs Constitutiones, quibus auctoritas accessit clar. mem. Cardinalis Paracciani tunc Firmani Arehiepiscopi; ac præ cæteris statutum fuit, *ut congregentur Capitula ad sonum campanæ turris post complectorium, & in Sacrario nostræ Ecclesiæ de mandato, & licentia Prępositi, sive in ejus absentia Canonici senioris; qui Præpositus, vel Canonicus numquam prædictum mandatum, & licentiam possit denegare, quoties a Canonico camerario, seu quolibet alio Canonico requisitus fuerit.* *Ses. 24. cap. 12. de Reform.*

ępositi jura, quæ sarcta tectaque semper servata fuerant, nuper turbata sunt. Die siquidem 20. Januarii currentis anni convocavit Canonicus senior Capitulum; licet Sacerdos Paulus Rossetti hodiernus Præpositus præsens esset in Oppido; aliasque controversias nonnulli excitarunt Canonici. Præpositus inhibuit Capitulum, contentionesque omnes detulit ad Auditorem Sanctissimi, causamque remitti obtinuit ad

Sa-

Sacram hanc Congregationem super jure præcedendi choro, Capitula convocandi, materias decidendas proponendi, ac suffragia colligendi. At hoc non obstante, & saniorum Canonicorum spretis protestationibus, iterum absque mandato Præpositi convocatum fuit Capitulum die 27. Maii, ac præ cęteris decretum, ut fieri deberet lis cum absente Præposito sumptibus massæ communis. Institit propterea Præpositus coram Secretario pro circumscriptione hujusmodi capitularis conventus; sed remissa fuit instantia ad Eminentias Vestras, ut altera deinde pro purgatione attentatorum, ob quędam a Canonicis proposita negotia in Capitulo 12. Julii contra jus Præpositi, quamvis ex præcedenti Vestro rescripto 28. Maii nihil innovandum esset *usque ad exitum litis in S. Congregatione*. Hinc contradicente Parte concordiata fuerunt infrascripta dubia.

Fuse autem, lateque de singulis quæstionibus agit in sua informatione Firmanus Archiepiscopus. *Nulli dubium est*, inquit, *quin Præposito Collegiatæ Ecclesiæ Murrivallium, primæ, & uni in eo Dignitati jus spectet convocandi Capitula. Hoc jus ne dum congruit Ecclesiæ sanctionibus, sed peculiares quoque ipsius Ecclesiæ Constitutiones id ei aperte attribuunt. Nihilominus jus ipsum, quo pacifice usus est usque adeo idem Præpositus, nuper turbare, non sane universus Canonicorum ordo, sed quidam tantum ex Canonicis ausi sunt, qui vel odio infenso in Præpositum; vel excitandi causa tumultus, ad quos suapte natura, & inito quodammodo fœdere traducuntur, omnes in eodem Capitulo contentiones solent turpiter excitare.*

Agens vero de præcedentia Præpositi in choro, hæc habet = *Quod ad primum attinet, certum est, eundem Præpositum primam esse, & unam Dignitatem in Collegiata Murrivallium. Ergo ut choro præsit, ex hoc uno inspecto Jure canonico est eidem facultas. Minime autem obstare videtur, quod tum ex consuetudine illius Collegiatæ, tum ex præmissis Constitutionibus eligatur quotannis in chori Præfectum modo unus, modo alter Canonicus; ita ut uni tantum Præposito hoc jus attribui hanc ob causam minime possit. Etenim non est is Præposito animus, ut hæc electio omittatur, vel ut ipse dumtaxat, & semper eligatur. Adsit utique chori Præfectus, & eligatur utique ad hoc munus quicumque ex*

Ca-

Canonicis . At illud contendit Præpositus , ut = ubi constitui solet Magister chori , si deficiatur in iis , quæ ad probatam chori rationem pertinent , adhuc jus sit primæ Dignitati Ecclesiæ eumdem choragum admonere , eique jubere , ut ea , quæ decent , juxta suum munus fieri procuret , atque in casu inobedientiæ ipsa prima Dignitas per se imperet , ut errata patrantes mulctentur , vel punctentur . Hoc igitur est jus , quod tuetur Præpositus , & quod ei tribuit totidem verbis Scarfanton. tom. 1. lucubration. canonic. lib. 11. tit. 13.

Quo ad jus convocandi Capitulum refert , haud impugnare Canonicos jus illud Præposito , sed id contendere , ut eo absente a Sacrario , liceat seniori Canonico indicere Capitulum . Hoc vero improbat ; & necessarium arbitratur , ut Præpositus *absit quoque a loco residentiæ , ac ita absit , ut ex una negotium proponendum sit urgens , dilationemque minime patiatur , & ex altera spes non adsit , ut brevi sit rediturus . Hoc , præter jus canonicum , ejusdem Collegiatæ praxis confirmat , de qua testantur duo seniores . Qui enim est præsens in Civitate , non dicitur abesse ab Ecclesia , ut in terminis respondit Rota post Scarfanton. decis. 26. num. 11. tom. 1.*

Æque Præposito non impugnari ait jus proponendi negotia in Capitulo , sed hoc sibi Canonicos contentiosos tribuere , ut post illum liceat singulis aliis proponere quidquid voluerint , & in id etiam eorum postulato adversatur . *Si enim* (sunt eius verba) *Præposito tribuunt jus proponendi , sequitur , ut cæteri excludantur , ne jus ipsum intervertatur , & plura capita in eodem corpore vigeant . Potest sane iisdem Canonicis jus esse , vel post proposita ad deliberandum a prima Dignitate terminum petere , ut consultius respondeant , vel suum quemque dicere ex ordine sententiam , vel demum instare , ut proponatur si quid omissum fuerit a Præposito , vel si quid utiliter proponendum præterea censeant . At ut ipsi iidem proponere utcumque valeant , hoc minime fas esse videtur , quemadmodum constat etiam ex ipsius Collegiatæ praxi , cui consonant Ecclesiæ statuta , quæ hac in re præscribunt , ut = conficiatur buxolum consultorum , ex quo per Præpositum sive in ejus absentia per Canonicum seniorem extrahatur*

una

una schedula, & sorte extractus consulat super singulis propositionibus in Capitulo habendis, prout sibi melius, & rectius visum fuerit; & consultationes singulæ sive per secreta suffragia, sive omnium consensu erunt approbandæ.

Multa postremo observat de attentata convocatione Capituli 27. Maii, non interpellato Præposito, & de resolutionibus editis contra saniorum Canonicorum protestationes. Neque prodesse censet contentiosis Canonicis, quod res esset de agenda contra Præpositum ipsum lite = Quandoquidem ex hoc *nil aliud consequitur*, ut inquit Archiepiscopus, *quam ut Præpositus exeat quidem a Capitulo, dum res deliberatur, sed nihilominus ipse proponat*. Injustam de cætero dicit resolutionem illam de agenda lite sumptibus massæ communis, *tum quod apertissimè sit injusta, tum quod per Capitulum, nulliter convocatum, itaut & ab ipsis Canonicis tantum, qui de ea deliberarunt, & a Proposito sit ære proprio absolvenda*.

Unus Præpositus jura sua deducit, atque exercere non posse videretur primæ Dignitatis auctoritatem in choro; nam alias inutilis esset illius Præfectus, qui singulis annis secundum Constitutiones eligitur. Per electionem contra Præfecti, non adimitur Præposito præeminentia supra cæteros omnes Canonicos per *Text. in cap. cum inferior. de major., & obed., Antonell. de regimin. eccles. part.3. cap.18. §. 2.*, ideoque Præfectus etiam chori subditus est illi, & si in munere deficiat, ab eo moneri, & corrigi valet; directeque ab ipso demandari possunt, quæ ad rectam pertinent rationem chori, ut firmat *Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. canon. lib.2. tit.13. num.15.*, ibi = *ubi constitui solet magister chori, si deficiatur in his, quæ ad probatam chori rationem pertinent, adhuc jus erit primæ Dignitati Ecclesiæ eumdem choragum admonere, eique jubere, ut ea, quæ decent juxta suum munus fieri procuret, atque in casu inobedientiæ ipsa prima Dignitas per se imperet, ut errata patrantes multentur, & punctentur.*

Archiepiscopo teste, conveniunt quoad *secundum* Dubium contumaces Canonici, jus convocandi Capitulum spectare ad Præpositum, ex sententia *Monacelli form.*

*form. legal. tom.*1. *tit.*2. *append. ad formul.*4. *num.* 24., sed juxta *tertium* contendunt, convocationem pertinere ad seniorem Canonicum, ubi renuat, vel absit Præpositus; idque consentaneum est dispositioni Juris Canonici, de qua *Innocen. in cap.*1. *de major.*, & *obedien.*, *Abbas in cap. auditis sub num.*3. *de elect.* At non immeritò forsan sustinet Præpositus, duplicem in id adiiciendam esse declarationem, dummodo nempe sine justa renuat causa, *Monacell. formul. eccles.*4. *lib.*2. *num.*25. *tom.* 1., & *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.* 4. *tit.*1. *in adden. num.* 23., vel absit a loco residentiæ: nam si prima Dignitas *est præsens in Civitate*, *non dicitur abesse ab Ecclesia*, ut ad rem dixit *Rota in nuperr. decis.*335. *num.*13. & *seq. tom.*7. Immo juxta Archiepiscopum altera addenda esset declaratio, si *ex una negotium proponendum sit urgens*, *dilationemque minime patiatur*, & *ex altera spes non adsit*, *ut brevi* (Præpositus) *sit rediturus*.

Aliqua esse potest difficultas circa *quartum*; nam qui Præposito contradicunt, aliud sibi non adscribunt jus, quam alia post eum proponendi negotia. Hoc namque jus ipsis tribuit *Scarfanton. lucubr. canon. lib.*4. *tit.*4. *num.* 54. Sua vero prudentia judicent Emi Patres, quanti in id facienda sit citati auctoris opinio; nam universa fere Canonistarum schola primæ tribuit Dignitati privativam proponendi negotia in Capitulo, ac pręcæteris *Nicol. lucubr. canon. lib.* 1. *tit.* 14. *de ætat.*, & *qualit. num.* 7. *limit.* 3., *Monacell. tom.*1. *formul.* 4. *num.*24., *Card. Petra in const.* 1. *Divi Leonis sect.* 2. *n.*46. *tom.*1. *Garz. de Benefic. part.*3. *cap.*4. *num.*26.

Qua ratione contumaces Canonici impugnent Præposito privativam alteram colligendi suffragia, de qua in *quinto*, penitus latet, nec quidquam in id ex informatione Archiepiscopi colligitur. Talem vero Præpositus comprobat privativam ex *Text. in cap.* 1. *de major.*, & *obedient.*, *Engel. in Jus Canon. lib.* 3. *tit.*1. *sub num.*1., *Card. Petra in cit. Constit. I. Divi Leonis sect.* 2. *tom.*1., qui plura sub *num.* 46. allegat Sacræ hujus Congregationis decreta, *Barbosa de Canon. cap.* 25. *num.* 2., pluribusque aliis collectis *Ferrar. in Biblioth. verb. Capitulum num.* 6., ibi = *Ad digniorem spectat convocare Capitulum*, *proponere negotia decidenda*, & *suffragia*

collegialium votamina colligere, cum sit actus jurisdictionis, qui competit Præsidenti, etiam in Sacris non constituto, ratione superioritatis.

Quæritur *sexto* de nullitate capituli 27. Maii, & de attentatis commissis in alterio diei 12. Julii. Secundum præmissas siquidem canonicas Sanctiones viribus consistere non potuit primum Capitulum, nedum a Preposito non convocatum, sed nec etiam eo interpellato habitum. Excusari quidem posset a nullitate, ex quo deliberandum in illo erat de agenda contra Prepositum lite. Inutilis enim fuisset ejusdem Præpositi interpellatio, si accitus etiam, ut inquit Archiepiscopus, exire debuisset deliberationis tempore a capitulari conventu. Restant prætensa attentata ob quædam a Canonicis proposita negotia in Capitulo 12. Julii. Attentasse enim videntur contra privativum Præpositi jus proponendi materias; eo magis, quia die 28. præcedentis Maii mandaverat Sacra Congregatio, *nihil innovari usque ad exitum litis*. Notandum vero, quod in Capitulo 12. Julii actum fuit de idoneitate oblatorum ad quamdam emphyteusim, & super eadem interloquutus materia, alium Canonicus Malvezzi proposuit emphyteuticum contractum, fortasse utiliorem; ideoque ampliasse potius videretur propositionem Prepositi, quam novam materiam attentate proposuisse.

In deliberationem igitur veniunt.

I. *An, & quomodo Præposito Collegiatæ Ecclesiæ Murivalium competat jus præessendi in choro in casu &c.*

II. *An eidem Præposito spectet jus convocandi Capitulum in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

III. *An absente, vel renuente Præposito liceat convocare Capitulum de licentia Canonici senioris præsentis in casu &c.*

IV. *An, & quomodo singulis Canonicis post Præpositum jus spectet proponendi materias decidendas in Capitulo in casu &c.*

V. *An, & cui competat jus colligendi suffragia in casu &c.*

VI. *An constet de nullitate Capituli diei 27. Maii*; necnon de

de attentatis commissis tam in dicto Capitulo, quam in altero diei 12. *Julii* 1796. *in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

AQUILANA REDUCTIONIS MISSARUM. Sacellum ad honorem S. Angeli Custodis extruxit anno 1640. Joseph Ciampella in Ecclesia SS. Martini, & Justini Civitatis Aquilæ; ibique laicalem instituit capellaniam trium hebdomadalium Missarum feria tertia, quinta, & sexta, aliarumque in tribus diebus festis SS. Angeli Custodis, Martini, & Justini. In dotem autem hujusce capellaniæ assignavit vineam in vocabulo *Collebrincioni*, aliaque duo prædiola; facta heredibus potestate ea retinendi, dummodo annua Capellano solverent ducata triginta monetæ neapolitanæ, librasque traderent quatuor ceræ albæ. Cavitque postremo, ut ea bona ad liberam redirent hereditatem, & ad delendam fundationis memoriam auferre possent heredes a Sacello tabulam pictam, lapides, ornamenta, quatenus Ordinarius, vel quilibet alius Superior = *volesse metter mano ne' beni, o frutti, come sopra assegnati, o vero volesse disporre di detta Cappella tanto per modo di unione, soppressione, dismembrazione, o per via di collazione, o istituzione, o per qualsivoglia altro caso pensato, o impensato.* *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Adimpletum nec ne unquam fuerit Missarum onus, ignoratur. Neque enim in tabella Ecclesiæ SS. Martini, & Justini, neque in codicibus Sacrarum Visitationum Episcopi Aquilani ullum est illius oneris vestigium, & solum ex traditione constat, ab initio labentis sæculi quotannis heredes celebrare fecisse ex devotione Missas viginti die 2. Octobris in festo S. Titularis. Illorum exemplum sequuti sunt Victorius, aliique fratres Ciampella, licet retineant bona Capellaniæ, in emphyteusim concessa pro annuo canone ducatorum 11. Conscientiæ tandem stimulis incitati, EE. Vestris supplicarunt pro facultate continuandi annuam celebrationem Missarum

viginti in adimplementum fundationis capellaniæ. Quamvis vero eis faveret Aquilanus Episcopus, inter summaria tamen precum rescripsit die 23. elapsi Januarii Sacra hæc Congregatio, *consulendum esse Sanctissimo pro gratia absolutionis quoad præteritum, celebrato aliquo numero Missarum arbitrio, & conscientiæ episcopi; quo vero ad futurum, celebrandas esse Missas ad formam fundationis*; confirmavitque Sanctissimus rescriptum die 27. ejusdem mensis.

Secunda hujusce rescripti pars quoad futuram Missarum celebrationem nedum Oratores, sed ipsum etiam offendit Episcopum, qui sua sponte hæc addit. Præ omnibus siquidem narrat, Josephum Ciampella capellaniam instituisse pro se ipso, suisque germanis fratribus Francisco, & Amico, ac pro Thoma, Bartholomæo, Hieronymo, & Joanne, ex altero fratre Joanne Baptista nepotibus; quodque hi familiarium rerum expleta divisione, de sua quisque disposuit portione, quin constet modo, cujus oratores sint heredes, & num eis bona capellaniæ in hereditatem, aut portionem obvenerint. Refert insuper, quod *ex ducatis undecim, qui sine augmenti spe percipiuntur ex capellaniæ bonis* (ad Oratores perventis ut supra), *deductis carolenis viginti circiter pro quatuor libris ceræ albæ, remanent ducati novem. qui non satis sunt pro celebratione Missarum a Testatore præseriptarum, sed ad sommum juxta hodiernum hujus Civitatis morem constituunt missas septuaginta quinque*, & sunt etiam obnoxii *vectigalibus, quæ identidem imponuntur, satis quidem gravia*.

Testatur præterea, fratres Ciampella reditus non habere sufficientes sustentationi familiæ: *ostenderunt enim mihi alieno se ære gravatos esse pro summa ducatorum 3305., atque adeo, ut ex accepti, & expensi tabulis comperi, expensa elapsi anni 1795. majora fuisse acceptis pro summa ducatorum 47. 68., quod rursus licet tempore fundationis capellaniæ fratres tunc temporis existentes abundarent divitiis, post divisionem tamen assis hereditarii multipliciter factam, hæc sola familia reperitur, cujus reditus, non dempto ære alieno superius expresso, est annuorum ducatorum 270. circiter, qui obnoxii adhuc oneribus impositis pro regiarum viarum constructione, aliisque jam impositis, & quæ iden-*

identidem imponuntur; ac postremo *prædictum Baronem*, (Victorium) *præter uxorem*, & *tres fratres*, *habere novem filios*.

Hinc monet, quod agnoscit, *oratores paratos potius ad renuntianda bona, capellaniæ assignata, quam ad sibi imponendum onus centum quinquaginta novem Missarum*, & *librarum quatuor ceræ albæ*; ita ut *si hoc contigerit, de quo nullus dubitat, quid mihi faciendum esset, magno animi mei dolore profecto nescirem*. Atque ita concludit = *Hæc me omnia movent ad supplicandum ex animo EE. Vestras, ut a decisis recedendo dignentur decernere, ut oratores Ciampelia relinquantur in ea, qua sunt bona fide, ac devotione, atque adeo hortentur ad laudatam viginti Missarum celebrationem singulis annis postridie* kalendas *Octobris*, *die SS. Custodibus Angelis Sacra*, *in posterum non omittendam*.

Ea Eminentissimi Patres habent ex novissima episcopi informatione, quæ petitam suadere possent gratiam. Reditus enim bonorum capellaniæ absque culpa decreverunt Oratorum, neque juxta hodiernum præsertim aquilanæ Civitatis morem, pares sunt celebrationi trium hebdomadalium Missarum; quibus in terminis concedenda forsan esset illarum reductio, secundum *Fagnan. in cap. cum omnes de constit. num.* 31., & decreta Sacræ hujus Congregationis *in Viterbien. Reductionis onerum* 8. *Maii* 1784., & *in Lunen. Sarzanen. Reductionis Missarum* 14. *Decembris* 1793. Eo magis, quia Episcopo teste, angusta nimis est familiaris res Oratorum; idque in similibus casibus justam præbuit reductionis causam *in Nullius S. Michaelis de Clusa* 20. *Januarii* 1776., & *in Nucerina* 3. *Septembris* 1778.. Quatenus vero EE. Vestræ aliquod concedere vellent Oratoribus levamen ab onere Missarum, præ sua religione decernere deberent, num ex reditu bonorum capellaniæ, qui satis est celebrationi Missarum 75., annua dumtaxat celèbranda sint Sacra viginti.

At ponderandum, quod retinuerunt priores heredes ex permissione Fundatoris bona assignata capellaniç, seque idcirco ex quasi contractu obligarunt ad solvenda Capellano, juxta præceptum ejusdem Testatoris, annua scuta triginta, librasque tradendas quatuor ceræ albæ. Si ea ipsa igitur bona ad Oratores transierunt, sub

sub eadem ad Oratores transiisse videntur obligatione, sive hereditario Fundatoris titulo, sive per divisionem transierint Hereditatis; itaut ad integram Missarum celebrationem ex propriis bonis teneantur, ut *in Januen. capellaniæ* 16. *Junii* 1791. Neque amplius forsan eis licet a primævo recedere quasi contractu, & dimittere bona post imminutos illorum reditus per *Text. in leg. contractus* 23. *ff. de regul. Jur.*

In deliberationem igitur venit.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Die Sabbathi 26. Novembris 1796. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

FIRMANA PRÆEMINENTIARUM. Qui in præterita Congregatione contumaces fuerunt, jura sua modo deducunt. Perpensis igitur eorum Scriptis, resumptoque præcedenti Folio, deliberare dignentur Emi Patres. *Ses. 24. cap. 12. de Reform.*

I. *An, & quomodo Præposito Collegiatæ Ecclesiæ Murivallium competat jus præessendi in choro in casu &c.*

II. *An eidem Præposito spectet jus convocandi Capitulum in casu &c.*

III. *An absente, vel renuente Præposito, liceat convocare Capitulum de licentia Canonici senioris præsentis in casu &c.*

IV. *An, & quomodo singulis Canonicis post Præpositum jus spectet proponendi materias decidendas in Capitulo in casu &c.*

V. *An, & cui competat jus colligendi suffragia in casu &c.*

VI. *An constet de nullitate Capituli diei 27. Maii; nec non de attentatis commissis tam in dicto Capitulo, quam in altero diei 12. Julii 1796. in casu &c.*

Ad I. Affirmative, non interessente Præfecto, aut eo deficiente in munere.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative, renuente vel absente Præposito a loco residentiæ.

Ad IV. Affirmative per ordinem antianitatis.

Ad V. Affirmative favore Præpositi juxta modum, nempe quoad enumerationem suffragiorum coram ipso faciendam.

Ad VI. Affirmative in omnibus. Et quoad omnia dubia, amplius.

AQUI-

Sess.25. cap.4. de Reform.

AQUILANA REDUCTIONIS MISSARUM.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Affirmative ad taxam synodalem.

Ses.24. cap.12. de Reform.

FIRMANA, ET FANEN. INDULTI ABESSENDI.

Collegiata Ecclesia oppidi S. Victoriæ firmanæ Diœcesis Canonicis constat octo, Priore, qui unica est cum cura animarum Dignitas, & binis Præbendariis. Alterum ex Canonicis, Horatium nempe Valeriani in suum elegit Vicarium generalem fanensis Episcopus, supplicavitque idcirco EE. Vestris Electus pro facultate abessendi a Collegiata durante munere Vicariatus, dimissa favore ejusdem Collegiatæ tertia fructuum parte: & sub die 13. Junii 1795. ablegatæ fuerunt preces = *Archiepiscopo* [firmano] *pro informatione, & voto, audito Capitulo, & referat, utrum Ecclesiæ cultui damnum inferatur; necnon Episcopo fanensi pro informatione, & voto, & referat de necessitate personæ, & deficientia alterius habilis, qui ad residentiam non teneatur.*

Primus retulit Archiepiscopus, quod per absentiam Oratoris a choro, & Ecclesia collegiata = *nullum Ecclesiæ ipsi damnum obvenire posse videtur. Sane adest alter, qui studiorum causa exemptionem a choro certo expostulabit; itemque qui tempore Quadragesimæ annunciando Dei verbo solet incumbere: & non ideo Ecclesiæ famulatus detrimentum patietur, statimac qui reliqui erunt, satis esse ad Sacra peragenda videantur.* Et capitulari transmissa resolutione testatus fuit, majorem Collegialium numerum a partibus Oratoris fuisse. Ex Priore siquidem, & Canonicis septem, qui interfuerunt Capitulo, consultivum dumtaxat contra Oratorem dedit suffragium Canonicus Nicolaus Terribili Prioris nepos, utpote simplex clericus. Aliorum tres ei decisive adhæserunt; quatuor suffragium tulerunt pro Oratore. Quamvis Prior, qui ex lege fundationis habebat jus feren-

rendi secundum suffragium in pari Capitularium discrepantia, hoc usus fuerit jure = *Quante volte il voto consultivo del Chierico Terribili abbia luogo nella presente ballottazione*.

Exposuit deinde fanensis Episcopus, sibi *præ cæteris* in Vicarium generalem assumere placuisse Canonicum Valeriani, *indole*, *moribus*, *doctrina* præditum; atque in hæc conclusit verba = *Quapropter cum spes firma sit, talem mihi adjutorem futurum, qualis in substinenda regiminis hujus mole indigeo, rogo vos, Emi Patres, ut ipsum apud me hoc in officio manere sinatis, in quo uberiores profecto, utilioresque, quam domi, studii, ac laboris fructus ex suæ juventutis flore expectari possunt*. Ad postulatam vero impediendam gratiam appositum fuit Canonicorum dissentientium nomine assuetum *nihil transeat*. Alter tamen ex his solemni declaratione protestatus fuit, suum ab apposito impedimento abfuisse consensum; alter ex parte sua in ejusdem *nihil transeat* lacerationem convenit, itaut agi videatur Causa inter unum Præpositum, ejusque Nepotem ex una, & Oratorem ex altera.

Æquitatem suæ petitionis suadere contendit Orator ex consensu Capituli, indemnitate Ecclesiæ, & justa causa. Consensum capituli ex majori desumit suffragiorum numero, neglecto suffragio Canonici Nicolai Terribili, qui tanquam clericus vocem habere non poterat in Capitulo, *ex Clementina Ut ii de ætat.*, *& qualitat.*, *& Concilio Trident. sess.22. cap.4. de reform.*, & secundo etiam neglecto Præfecti suffragio, quod capitulares Constitutiones in una permittunt suffragiorum æqualitate, quæ in nostro themate ob unius suffragii excessum favore Oratoris non aderat. Indemnitatem rursus Ecclesiæ ex numero demonstrat Canonicorum; nam dempto Oratore, & Canonico Terribili, qui studiorum abest causa, remanent adhuc Canonici sex, & prima Dignitas pro decenti illius servitio. Satisque postremo justam censet causam fanensis Episcopi commodum, qui multum sibi ex Canonico Valeriani promittit *in sustinenda regiminis hujus mole*.

Altera ex parte ad excludendum consensum Capituli, tribuit Præpositus Canonico ejus nepoti (licet simplici clerico, & studiorum causa absenti) jus ferendi suffragium per schedam, nisi ex Jure, ex Bulla saltem erectionis Collegiatæ, ad quam *Urbanus VIII.* admisit

etiam clericos, & ex consuetudine tum Ecclesiæ collegiatæ S. Victoriæ, cum alterius oppidi Furciæ, in quibus Canonici etiam clerici suffragia tulerunt. Atque ita paribus constitutis suffragiis, ea secundum capitulares Constitutiones, suum iterando, dirimere potuisse ait. Haud de cætero subsistere inquiunt Præpositus, & Canonicus Terribili, alium præter Canonicum Valeriani, non existere idoneum Sacerdotem, quem sibi fanensis Episcopus in Vicarium generalem assumat; dum Episcopus ipse in sua informatione fatetur, quod præfatus Canonicus, licet *in juventutis flore* constitutus, *ei præ cæteris placuit*. Et admissa etiam in eodem Antistite necessitate assumendi Oratorem in Vicarium generalem, a line tamen sustinent Terribili, trahi eam non posse ad utilitatem Ecclesiæ S. Victoriæ, quæ una ad concedendum indultum abessendi attendi debere videtur. ex doctrina *Reiffenstuel. in Jus Canon. tom.*3. *tit.*4. §.7. *num.*198.

Quæritur ergo.

An, & quomodo sit concedendum indultum abessendi in casu &c.

Affirmative ad alium annum tantum absque spe ulterioris prorogationis, & amplius.

*Sess.*21. *cap.*4. *de Reform.*

ASCULANA ERECTIONIS PAROCHIÆ. Duo in hac Causa sub die 19. Decembris 1795. propositu fuerunt Dubia; I. *An, & quomodo sit locus erectioni novæ Parochiæ, seu potius institutioni Capellani curati residentialis in casu &c.* II. *An, & quomodo sit constituenda congrua in casu &c.*; atque EE. Vestræ rescripserunt = *Dilata & scribatur Emo Episcopo juxta mentem* = quod nempe referret = *de necessitate novæ Parœciæ, Parochi, seu Vicarii, aut Capellani curati continuo residentis in villa Appojani; de congrua eidem assignanda; & de jure matricitatis in specie reservandæ favore Parochi S. Petri.*

Hæc autem Emus Episcopus rescribit = *Quamquam locorum distantia, quæ Appojanum inter, & parochialem Ecclesiam castri S. Petri non ea sit, uti Appojanenses di-*

dictitant, haud tamen negari potest, illam talem esse, qua ob multo maxime aspera, & prærupta itinera Appojani incolæ omni prorsus Religionis subsidio, sæviente præsertim hieme, distituuntur. Idcirco optime factum putarem, si Capellanus curatus institueretur, qui Appojani continuo degens, illarum ovium curam gereret; quin propterea necesse sit novam Paræciam condere, & antiquæ Castri S. Petri detrimentum aliquod inferre, cui semper integer manere poterit suus Ecclesiæ matricis honor, & jurisdictio.

Quoniam vero tota in statuendo prædicti Capellani stipendio versatur difficultas, omnes exponendæ sunt circumstantiæ, quæ ad rem faciant, ut iis præ oculo habitis, & æqua lance perpensis, modus aliquis, si fieri possit, reperiatur, quo Appojanensibus fiat satis. Annua scuta circiter centum percipit Parochus Castri Sancti Petri ex redditibus suæ parochialis Ecclesiæ, quibus tamen non solum consuetis expensis satisfacere tenetur, verum etiam Sacerdotem capellanum sustentare debet, a quo, quum aliæ septem villæ subsint Paræciæ, in Sacramentis ministrandis, & cultu Divino peragendo adjuvetur. Hæ autem villæ, quarum aliquæ paullo minus distant a castro, quam Appojanus, non ita tamen tantæ viarum difficultati obnoxiæ sunt; nam unus Appojani pagus plerumque ob inaccessam loci naturam, & Parochi, & Capellani opus omnino desiderare cogitur.

Illud postremo animadvertendum, quod peculiares fructus, qui ab Appojanensibus parochiali Ecclesiæ annuatim solvuntur, sunt ferme scutorum triginta: quare aut majus detrimentum, quam vires suppetant, inferri Paroco necesse est, si a præstatione hujus summæ liberarentur Appojanenses, aut his onus oneri pro alendo Capellano imponere oporteret, ad quod subeundum impares sunt. His positis, Capellano, qui Appojani necessario instituendus est, portionem saltem scutorum 15. assignandam esse existimarem ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus; cui portioni si Beneficium scutorum 14. adjungatur, ad quod eligendi penes ipsos Appojanenses jus est, quodque augeri potest præstatione illa, ad quam incolæ sese obstringere parati sunt, modum fortasse inveniemus, quem quærimus, ne fidelis ille populus, quem montes, rupesque præpediunt, justo suo desiderio frustetur

tur, neve Parochus Castri S. Petri gravem admodum sive jurium, sive suorum redituum jacturam patiatur.

Iterum ergo quæritur.

I. *An, & quomodo sit locus erectioni novæ Parochiæ, seu potius institutioni Capellani curati residentialis in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit constituenda congrua in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Affirmative, facta obligatione per Communitatem juxta votum Emi Episcopi.

Sess. 25. cap. 3. de Regular., & cap. 4. de Reform.

FERETRANA REDUCTIONIS ONERUM. Instituit Joannes Sinibaldi anno 1649. Mariam ejus sororem heredem in usufructu; eique substituit Religionem Fratrum Prædicatorum, hisce sub conditionibus; quod intra spatium nempe annorum 25. teneretur = *sumptibus hereditatis ædificare in districtu oppidi Petracutæ unam Ecclesiam, & unum Monasterium, seu Conventum honorificum, & pulcrum nimis*; in quo permansuros fore jussit *sex Fratres Sacerdotes Ordinis prædicti, & omnes Fratres Clericos, seu Novitios ad debita servitia Conventus expedienda necessarios*; eosque teneri *continuo, & in perpetuum recitare Divina Officia in choro, celebrare, & cantare Missas in Ecclesia, & circa cultum Divinum, & modum officiandi, omnia alia facere, & adimplere juxta id quod fit, & observatur, celebratur, & decantatur in Ecclesiis, & Monasteriis magnis Civitatum Reipublicæ Christianæ*.

Præter ista autem, hæc alia Fratribus imposuit onera = I. quotidianam Missam Defunctorum in suum, suorumque suffragium = II. Missam B. Virginis SSmi Rosarii singulis sabbathis loco Missæ Defunctorum, sed *pro suffragio determinato*. III. menstruum anniversarium Missarum sex, ut supra applicandum. IV. recitationem Litaniarum Beatæ Mariæ Virginis ad Altare SSmi Rosarii quolibet sabbatho. V. recitationem Psalmi *De profundis* post mensam. VI. aliud anniversarium Mis-

sa-

sarum 12. in die depositionis ejus cadaveris. Inhibuit tandem, ne auderent præfati Religiosi *quomodolibet minuere, moderare, reducere, infringere, derogare, revocare, permutare, cassare, annullare, seu quomodolibet alterare, & infringere, nec in totum, nec etiam in minima parte præsentem hanc meam dispositionem, idque etiam cum proposito meliorandi, & vigore cujuscumque dispositionis &c. Bullæ, Brevis &c.*; sub pæna caducitatis; quamvis *omissio ex justo proveniret impedimento, immo etiam ex facto Principis*. Iis vero non acceptantibus, vel onera non adimplentibus, sub iisdem conditionibus substituit ex ordine Minores Conventuales S. Francisci de Assisio, Fratres Heremitas S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis, ultimoque loco proximiorem sibi natu majorem masculum.

Hereditatem possedit heres usufructuaria ad annum 1655. eique successerunt PP. Dominicani; confectoque inventario, integrum bonorum omnium, & censuum capitale in scutis constitit 13557. 60., annui reditus scutorum 763. 30. Juxta piam deinde Testatoris voluntatem constructa fuerunt spatio annorum 25. Ecclesia & Conventus, omniaque ad annum 1740. adimpleta fuerunt onera. Tunc vero ob imminutos hereditatis reditus, minui etiam cepit Religiosorum numerus ad tres, duos, vel unum etiam Sacerdotem. Census enim, quorum usura erat scutorum sex, septem, & octo in singula centum, majori ex parte extincti fuerunt, eorumque sortes in prædiis minoris fructus occupatæ.

Quum de hoc inquisiisset anno 1792. Commissarius Rev. Fabricæ S. Petri in visitatione Conventus, admissi fuerunt Religiosi per rescriptum SSmi ad compositionem cum eadem Rev. Fabrica, solutis ei scutis 1095., & concordato illius Commissario per solutionem aliorum 1405., ad quem effectum crearunt de licentia Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium passivum censum in sorte scutorum 2500. Quoniam vero occasione visitationis firmatus fuerat status hereditatis in scutis 8657. 20., annui reditus scutorum 350. 50., neque talis reditus par esset manutentioni Religiosorum sex ad formam testamenti, & annuo deposito scutorum 100. in extinctionem census, præter solutionem fructuum, juxta rescriptum Sac. Congregationis.

Epi

Episcoporum, & Regularium; SSmo propterea supplicarunt, ut prævia derogatione testamenti, permittere dignaretur retentionem trium Fratrum (unum nempe Sacerdotem, & duos laicos Conversos) usque ad extinctionem census, deindeque quatuor.

Precibus ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, exhibuit feretranus Episcopus consensus Conventualium de Assisio, & Heremitarum B. Petri de Pisis, testatusque fuit de dissensu Catharinæ Conti Viduæ Borghesi a Sabiniano ariminensis Diœcesis, cujus filii proximiores asseruntur Testatoris. Ex præsenti insuper reditu impossibile dicit adimplementum onerum; neque etiam in posterum reditus ipsos augeri posse ob imminutos fructus censuum, & infelicem prædiorum positionem *in montibus, quæ sæpe sæpius dilamationes patiuntur, vulgo rupine*. Pluribus vero de causis reprobat eorumdem prædiorum emphyteusim; atque ex hoc potissimum, quod *illi se opponit P. Generalis Minorum Conventualium in suo assensu*. Requiri præterea refert pro manutentione cujusque Religiosi annua scuta 70., præter alia onera Conventus, manutentionis nimirum ædificiorum, sacræque supellectilis, & solutionis onerum cameralium.

Atque in hæc concludit verba. = *Quibus omnibus perpensis, & inspectis tenuibus reditibus istius hereditatis, minime oneribus respondentibus, & a me alias invisis, & præsertim occasione præfatæ visitationis Commissarii Rev. Fabricæ; ac tandem habito respectu ad imminutionem redituum, nulla Oratorum culpa secutam: ea ergo essem sententia, ut EE. Vestræ possint elargiri Priori, aliisque Religiosis oratoribus illam in terminis petitam gratiam, ab ulterioribus vexationibus eos liberante, & ut habitare pacifice queant eo in loco, in quo sunt & populo utiles spiritualibus, & temporalibus subsidiis, etiamsi parvo nunc resideant numero, augendo si augerentur reditus, ac etiam facientes decus huic meæ Diœcesi, & qui ita exoptantur a populo Petræacutæ, ut sentiens voces viduæ Borghesi, aliorumque invidorum, ac eorum timens amissionem, publicis in comitiis habitis sub die 28. proximi elapsi mensis Decembris confici supplicem libellum, porrigendum SSmo Domino Nostro feliciter regnanti, isti Sacro Senatui, mihique, secretis suffragiis decretum fuit, & per Secre-*

tarium executioni demandatum, facta mihi exhibitione una cum Consilii copia legali in forma.

Ne reducatur in Conventu Petræacutæ Religiosorum numerus, urgere videtur enixa Testatoris voluntas. Nam quamlibet sub pœna caducitatis inhibuit imminutionem, moderationem, & reductionem ejus dispositionis. Redituum preterea imminutio tribui posset culpæ Oratorum, qui ad propriam emendandam negligentiam in exequenda Testatoris voluntate imponere debuerunt censum in sorte scutorum 2500.; ut rem cum Rev. Fabrica Sancti Petri componerent. Illudque etiam notandum, quod una ex interesse habentibus, Catharina nempe Conti Borghesi, petitioni Oratorum adversatur.

Altera ex parte advertere dignentur Emi Patres cum Episcopo, imminutos fuisse reditus hereditatis Sinibaldi a scutis 763. 30. ad scuta 350. 50., non ex culpa Oratorum, sed ob commutatos census in prædia, infelicemque eorumdem prædiorum positionem: eam ipsam vero redituum imminutionem causam dedisse reductioni Religiosorum, & creationi census scutorum 2500. ad rem cum Rev. Fabrica componendam. Si ratio autem præsentis reditus habeatur, par utique non videretur annua summa scutorum 350. 50. oneribus in facto notatis. Demptis enim annuis scutis 100. in extinctionem census (cujus sors de anno 1794. imminuta erat ad scuta 2250.) ejusdemque census fructibus in summa scutorum 90., vix scuta supersunt 160. 50., quæ ad rationem scutorum 70. pro manutentione cujusque Religiosi, nec pro tribus sufficiunt Religiosis, quot usque ad extinctionem census retinere petunt Oratores, cæteris oneribus gravato Conventu: ac justa etiam ducta ejusdem reditus ratione post extinctum censum, dempti ab integro reditu scutorum 350. 50. scutis 280. pro manutentione Religiosorum quatuor, nimis fortasse pro reliquis oneribus non essent reliqua scuta 70. 50. In his sane terminis favere videretur petitioni Oratorum Tridentina Synodus, quæ *in Sess. 25. cap. 3. de Regular.* præcipit, *ut in Monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum*

rum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari.

Cæterum Vestrum erit decernere, Emi Patres, utrum ex nunc fieri debeat reductio, etiam quoad Fratres post æris alieni extinctionem retinendos, seu ad ea potius reservanda sit tempora.

Dubium est.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi ad sexennium.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

CONSTANTIEN. IRREGULARITATIS. Quum invidi quidam homines noctu transcendere consuevissent hortulum, quem Clericus Beneficiatus, & Sacerdos Laurentius Klaile annorum 48. ad summam ædem Friburgi Brisgoviæ possidet, ibique recens consitas evellere, aut succidere arbores, aliaque diripere consuevissent; aliquoties idcirco ad hæc avertenda damna in eodem hortulo pernoctavit Sacerdos. Dum ita excubabat, nocte 24. Julii 1794. mittere ceperunt homines illi adversus ædiculam horti frequentes lapides, ac post inutilem clamorem è fenestra, inter tenebras explosit Sacerdos igneam ballistam, plumbeis onustam globulis, qui in lepores adhiberi solent, & studentem quemdam interfecit.

In eum propterea sequenti mane alii irruperunt studentes, sed publica ab eorum manibus ereptus auctoritate, missus fuit homicida in carcerem, deindeque ad sedandos studentes Constantiam transmissus, quo ad annuum in catenis damnatus carcerem, ab omni etiam suspensus est exercitio Ordinis. Post sex vero menses a passo carcere, in libertatem ex gratia rediit, degitque ad hæc tempora inter Alumnos constantiensis Seminarii cum vera pœnitentia delicti. Supplicat nunc pro dispensatione ab irregularitate; & constantiensis Episcopus testatur, quod *nunquam in Brisgoviam* (Orator) *rediturus, atque adeo extra Ditionem austriacam posthac vivens, scandalum nullum in populum ce-*

celebratione Missæ est præbiturus; eique in hæc favet verba = *Quare hunc pœnitentem Sacerdotem gratia dispensationis dignum reputans, humillimas ejusdem preces patrocinio meo fulcire adeo non detrecto, ut potius illas pro clementissimo annutu EE. Vestris etiam atque etiam commendatas velim, quatenus ad cauthelam saltem de benignitate S. Matris Ecclesiæ super irregularitate dispensetur, quum graves Doctores controvertant, utrum eamdem homicidio suo mere casuali incurrerit.*

Opinione siquidem Episcopi casuale fuit homicidium, ob non directum inter tenebras igneæ ballistæ ictum certe, & determinatæ personæ, quasi illam ad merum exploserit terrorem; & in hoc casu annuendum esset pro dispensatione ab irregularitate *ex Sac. Concilio Tridentino sess.* 14. *cap.* 7. *de reformat.*, & decreto Sac. hujus Congregationis *in Aquilana Irregularitatis* 15. *Maii* 1790. Dum vero igneam ballistam explosit Orator versus locum, a quo strepitus proveniebat lapidum, prævidere poterat, facile se aliquem ex aggressoribus interfecturum; ideoque sequutum homicidium censeri valet voluntarium in causa, juxta *Cap. quæsitum de pœnit.*, *& remiss.*, & contractam per illud fuisse irregularitatem per *Text. in cap. continebat*, *& cap. suscepimus de homicid.*

Ex pluribus tamen dispensationis gratiam mereri posset Orator; ex constanti nimirum pœnitentia delicti; ex commendatione Episcopi; atque ex hoc tandem, quod per illius restitutionem ad ministerium Altaris extra locum delicti, omne abesset scandalum. In similibus porro terminis indulgens fuit Sac. hæc Congregatio *in Tridentina Irregularitatis* 27. *Martii* 1784., *& in Brugnaten. Irregularitatis* 6. *Maii* 1786.

Quæritur ergo.

An sit consulendum SS̃mo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Affirmative, dummodo non celebret in loco patrati criminis.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA CAPELLANIARUM. Per donationem inter vivos instituit anno 1601. clar. mem. Antonius Maria Cardinalis Salviati in Ecclesia S. Jacobi Incurabilium Urbis capellenias octo; mandavitque = *Quod dicti singuli octo Sacerdotes pro tempore, ut supra eligendi, & deputandi, teneantur & sint obligati quolibet die in perpetuum celebrare in dicta Ecclesia S. Jacobi per ipsum Dominum Cardinalem ut supra constructa, prout celebrant, SUAM QUISQUE Missam, exceptis diebus ferialibus, in quibus permittit, quod sex solum eorumdem Sacerdotum Rem Sacram PER SE faciant, dum tamen in singulis ferialibus diebus non festivis celebrentur ab eis non minus, quam sex Missæ, inter quas Missas PER SE a singulis octo Sacerdotibus prædictis, vel saltem sex ex illis ad formam præmissam dicendas, vult quod una Missa quotidie ab eorum altero cantetur cum interessentia, & servitio aliorum septem, lineis vestibus, quas Cottas appellant, superindutorum, nulla in hoc habita dierum distinctione*. Atque in postremis tabulis sex alios instituit Capellanos, quibus absque personali restrictione imposuit onus celebrandi *singulis diebus Missas, & alia Divina Officia*. Capellanis tam primæ, quam secundæ erectionis *sex scuta menstrua, cubiculum lecto instructum, cum linteis stragulisque, medicos & pharmaca, si ægrotare contigerit, ignemque & coquum ad omne apparandi cibi ministerium assignavit*, uti refert Eminentissimus Protector in sua informatione.

Sensim autem sine sensu Capellani primæ institutionis facere consueverunt Sacra per alios. Sed de inducto dubitantes more, Vestrum in id hodierni Capellani flagitant oraculum; atque Eminentissimus Dominus Cardinalis Braschius Archihospitalis Protector censet, onus incumbere Capellanis celebrandi per se ipsos, eo quod Donator *non semel, sed pluries, atque adeo quoties de eorum munere loquitur, conceptis verbis præcipit, ut per se singuli Rem Divinam expleant; contra naturam vero personalium capellaniarum esse, ut in casu infirmitatis, vel spiritualium exercitiorum tempore per alios Capellani supplere teneantur Sacrum*.

Hisce præmissis, ita concludit = *Itaque, ne quid æquitati detrahamus, alterutrum Oratoribus remittendum esse*

se censerem, ut aut personalibus Missarum obligationibus releventur, si ægri supplere per alios debent; aut ab exhibendo supplemento eximantur, si personaliter Sacris addicuntur. Quam quidem addictionem haud ipsi reformidarent, si modo una exceptiuncula molliretur, ut in loci festivitatibus, sacrisque anniversariis suas partes committere aliis possent, quum multo majoribus, gravioribusque ipsi distineantur officiis: chorus enim, solemnes cærimoniæ peragendæ unis sunt, totumque festorum dierum pondus ex instituto sustinendum. Simul non incongruum reutur, ut ex tanto incommodo aliquid capiant commodi. Certe quidem qui Missam cum cantu exequitur, non potest una opera dua nomina dissolvere, & quandoque etiam binæ canuntur Missæ, personalem capellaniæ obligationem dirimente necessitate.

x pluribus tuentur Capellani facultatem celebrandi per alios. I. quia injunxit quidem Donator onus celebrandi *per se*, sed non addidit clausulam, *& non per alios*, quam requiri asserunt ad tollendam facultatem substituendi, ex auctoritate *Pitonii de controv. Patron. alleg.* 28. *num.* 1. II. Ex prætensa incompatibilitate celebrationis Missarum per se ipsos cum pluribus anniversariis, quæ canere tenentur. III. Ex tenuitate communis eleemosynæ, quæ in Missis personalibus esse solet major. IV. Ex tabella Ecclesiæ typis impressa anno 1673., in qua prescribitur = *Di non notare alcuno delli Cappellani di Casa, se non per quelli giorni che avrà servito, acciò in tal caso possa la Chiesa far supplire dagl'altri Preti forastieri alle Messe tralasciate da alcuni delli sopradetti Cappellani*. Et V. denique ex obligatione supplendi per alios Sacra omissa tempore infirmitatis, quod contrarium dicunt obligationi celebrandi per se ipsos.

Ad hæc vero notari posset, satis esse ad inducendam personalem obligationem celebrandi clausulam *per se ipsum*, *Lap. alleg.* 35. & 117. *num.* 2., *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *num.* 75., *Garz. de benefic. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 86., & *Sac. hæc Congregatio in Firmana Capellaniarum* 17. *Septembris* 1774. *ad II. Dubium*. Obligatio rursus canendi anniversaria eximit quidem celebrantem a privata Missa, ut expresse disponit Fundator, sed non adimit reliquis Capellanis facultatem facien-

ciendi Sacrificante, vel post illorum cantum. Vel Oratores igitur agunt de anniversario a Testatore pręscripto, vel de aliis. Si de primo, celebrans a Fundatore eximitur pro illa die a celebratione & applicatione Missæ lectæ: si de aliis, assistere quidem possunt Oratores ad Chorum, lucrare eleemosynam sine præjudicio celebrationis & applicationis Missæ lectæ pro Fundatore, ante vel post per ipsos celebrandæ. Non docent præterea Capellani de tenui quantitate eleemosynæ, quæ cæteroquin haud repugnare videtur obligationi celebrandi per se ipsos. Quin immo ex informatione eruitur, congruum habere emolumentum, nempe *sex scuta menstrua, cubiculum lecto instructum, cum linteis stragulisque, medicos & pharmaca, si ægrotare contigerit, ignemque & coquum ad omne opparandi cibi ministerium*. Tabella quoque Ecclesiæ non tribuit facultatem celebrandi per alios, sed hoc tantum cavet, ut in casu omissæ celebrationis = *possa la Chiesa far supplire* =. Et obligatio denique supplendi Missas in casu infirmitatis moderari posset juxta dispositionem juris, vel juxta votum Eminentissimi Protectoris, ut ad mentem Fundatoris restituatur personalis Missarum celebratio, quæ nedum expresse volita censetur per iteratam clausulam *per se*, sed luculentis etiam ex *discretiva* aliarum sex capellaniarum institutione; nam quoad eas imposuit Fundator onus celebrandi *singulis diebus Missas*, *& alia Divina Officia* absque ulla personali clausula. Quanti sane valeat argumentum hoc a discretiva, præ cæteris probat *Constantin. vol.17. numer.12.*

Posito, quod Capellani oratores celebrare teneantur per se ipsos, deliberandum est secundo de obligatione celebrandi per alios tempore infirmitatis. Ab hac profecto obligatione immunes videntur, si infirmitas est brevis, secus si diuturna, *Barbos. de potest. Episc. alleg.24. numer.31.*, *Covarr. var. resol. lib.3. cap. 13. num. 9.* Alii vero brevem censent infirmitatem dierum octo, aut decem: alii ex decreto *Concilii Mediolanensis VII. tit. de Miss.* eam extendunt ad mensem: & alii mediam tenent sententiam, terminumque statuunt dierum quindecim apud *Cabassut. jur. can. theor. lib.2. cap. 18. numer.10.*

Quæ-

Quæritur itaque.

I. *An Capellani primæ institutionis clar. mem. Cardinalis Antonii Mariæ Salviati teneantur celebrare Missas per se ipsos in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An durante infirmitate supplere teneantur Missas per alios in casu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative, dummodo infirmitas non excedat dies quindecim.

SPOLETANA CAPELLANIÆ. Quibusdam assignatis censibus, fundavit Sacerdos Abel Avanzi testamento anni 1786. perpetuam laicalem capellaniam, hac lege = *che se ne celebrino con i frutti di essi ogni anno tante Messe in suffragio dell'anima mia, e secondo la mia intenzione, a ragione e computo di bajocchi quindici per limosina di ciascheduna Messa, in correspettività, e rendimento de frutti, che si ritraeranno annualmente dalli sudetti censi* = Codicillis vero sequentis anni 1687., moderata testamentaria dispositione, jussit = *che il mio Rettore, o Cappellano pro tempore debba celebrare Messa quotidiana in perpetuo, allorchè peraltro l' entrata de' [illegible] censi tutti giungesse, giunta, e pervenuta fosse in tempo della mia morte alla somma, e quantità di scudi settantadue, in computo di bajocchi 20. per Messa. In caso poi, che li frutti annuali di detti censi non fossero pervenuti ad una tal somma di scudi 72., in tale stato di cose il detto Rettore, o Cappellano pro tempore, come in detto testamento vien dichiarato, sodisferà il legato per quella somma esistente, e non potendo egli arrivare alla soddisfazione di dette Messe, dovrà farle celebrare da altro Sacerdote in quella quantità mancante in corrispondenza di tutti li annuali frutti*. Ipsius autem Testatoris industria aucti fuerunt censuum fructus, Sess.22.cap.6. de Reform.

ctus, ita ut anno 1789., quo decessit, annua pertingerent scuta 72.

Primus ex illius nominatione capellaniam obtinet Maurus Avanzi, ejus ex fratre nepos, & Presbyter Oratorii S. Philippi Nerii. Hujus opera creverunt (ut ipse asserit) ejusdem capellaniæ reditus ad annua scuta circiter 80. Dubitans propterea, num præter quotidianam Missam cum eleemosyna obolorum 20. per Testatorem constituta, tot alias celebrare teneatur Missas ex fructibus auctis supra summam scutorum 72., hinc ad suam sedandam conscientiam SSmo Domino Nostro supplicavit, ut rem committere dignaretur Sacræ huic Congregationi, ad declarandum scilicet, num in casu etiam, quo capellaniæ reditus annua non pertingerent scuta 72. a Testatore relicta, firma esse deberet codicillaris dispositio pro celebratione Missarum ad eleemosynam obolorum 20. pro qualibet; & num alias Capellanus celebrare teneatur Missas ultra quotidianam, quoties excederent reditus scuta 72..

Reque ipsa ablegatis ad Sacram Congregationem precibus, de consensu interesse habentium refert spoletinus Episcopus, *Oratorem haud paucas adhibuisse diligentias in recuperando, & utiliores reddendo census assignatos pro fundo, & dote capellaniæ Avanzi mere laicali*. Testatur rursus, *fructus censuum quantitatem pertingere scutorum 72. annuatim: ducto enim calculo introitus, & exitus unius septennii, resultat anno tantum 1793. excesisse introitum per unum scutum supra scuta 72.* Agi insuper ait *de fundo in censibus constituto, quorum pars sæpe sæpius sterilis evadit, ob difficultatem citius, & securius reinvestiendi; usuræ variant, & ut plurimum decrescunt; præsertim in censibus hujus capellaniæ, qui quum sint census vilioris sortis, videlicet scutorum 12. ½, scutorum 15. &c. persolvuntur usuræ annuæ ad rationem scutosum 7. vel 8. pro centenario, ideoque facilius decrescunt*.

Exponit præterea, quod *voluntas Fundatoris tempore testamenti, per annos quinque ante ejus obitum conditi, determinata erat, ut fundus capellaniæ perveniret ad quantitatem scutorum 1500. Complura* ostentat *rationum momenta, primo quod ex errore fuit erogata summa scutorum 176. in ejus funerali, & in Missis inde celebratis, quum in scriptis expresserit se velle erogationem*

scu-

scutorum 50. tantummodo, idcirco in fundo capellaniæ scutorum 1500. fuit comprehensum quid pluris, quod spectabat ad hereditatem. Secundo quod inter pecunias adinventas, secuta ejus morte, extabat sors unius census extincti una cum memoria = censo estinto di scudi 200. = absque onere rinvestiendi, & Orator revera novum censum scutorum 200. pro fundo capellaniæ creavit. Tertio quod non diversimode cupiebat Testator, nisi instituendi capellaniam unius Missæ quotidianæ perpetuæ, ut testantur Fundatoris amici, quibus communicabat ejus intentionem. Quarto quod Oratoris postulatio non videtur contraria Testatoris voluntati, in supremis ejus tabulis scriptæ. Siquidem = voglio, che il Rettore, o Capellano debba celebrare Messa quotidiana in perpetuo, allorchè peraltro l' entrata de frutti di detti censi sia giunta, e pervenuta in tempo di mia morte alla somma di scudi 72. = In tal caso, che i frutti annuali de censi non fossero pervenuti a detta somma di scudi 72., sodisferà il legato per la somma esistente = E non potendo egli arrivare alla sodisfazione di dette Messe, dovrà farle celebrare da altro Sacerdote in quella quantità mancante in corrispondenza di tutti gli annuali frutti. = Interpretatur Orator hoc scripsisse Fundatorem, quia optime sciebat, primum ejus Capellanum nominatum teneri ad alia Missarum onera ratione capellaniæ, quam jam possidebat, uti verum est. Atque hinc suum votum in hæc aperit verba = *Ideo in sententiam venio, instantiam convenire, maxime pro Oratoris animi quiete, & securitate, ut possint taxari enunciatæ capellaniæ Missæ ad Missam quotidianam, sive fructus perveniant ad quantitatem scutorum 72., sive excedant, quum paullo magis excedere valeant, immo facilius decrescere timendum est, ob rationem, quod fructus dictæ capellaniæ consistunt in censuum usuris.*

In primo siquidem ex infrascriptis Dubiis non agitur de commutanda, sed de interpretanda Fundatoris voluntate, neque de reducendo agitur Missarum numero ob imminutos reditus, vel statuenda illarum eleemosyna; sed de pleniori ejusdem voluntatis implemento, atque uberiori Testatoris suffragio, de præfiniendo scilicet Missarum numero pro quantitate redituum. Ad majus profecto animæ suæ suffragium respexit Testator initialibus hisce testamenti verbis = *perche*

al

al sommo, e moltissimo a me preme, che maggiormente resti suffragata l'anima mia, che penerà in quelle atroci fiamme, al più presto, e al modo più possibile, perciò &c. = Ideoque dum jussit in codicillis, ut auctis censuum fructibus ad scuta 72., tot celebrarentur Missæ ad eleemosynam obolorum 20. pro qualibet, hoc etiam voluisse censetur, si augerentur fructus ultra demonstratam summam. Quandoquidem *si Fundator non taxavit numerum Missarum præcisum, sed disposuit, quod Missæ celebrarentur cum mensura ad proventus, tum crescentibus fructibus, debet etiam cum proportione augeri numerus Missarum, Pasqualig. de Sacrific. nov. Leg. quæst. 1078. §. 5.*

Præcisum quidem Fundator taxasse videtur Missarum numerum per ea codicillaria verba = *voglio che il mio Rettore, o Cappellano pro tempore debba celebrare Messa quotidiana in perpetuo, allorche peraltro l'entrata de frutti di detti censi giungesse, giunta, e pervenuta fosse in tempo di mia morte alla somma, e quantità di scudi 72. annui.* At ponderandum, num Missam quotidianam demandaverit *taxative*, ita ut ea contentus fuerit, etiamsi augerentur reditus supra quantitatem scutorum 72., seu potius *demonstrative*, ad denotandum nempe impensum votum Missæ quotidianæ, quin tamen uberiorem recusaverit Missarum numerum, quoties designatam summam scutorum 72. reditus excederent.

Taxativam porro inducerent dictiones = *tantum, dumtaxat, tantummodo &c.* = *ad Text. in leg. Lucius §. Quæ habebat ff. ad Trebell.*, *Barbos. dict.* 402. & 404., quæ tamen dictiones in nostro desunt themate. *Demonstrativam* contra suadere videntur verba illa codicillorum = *e non potendo egli arrivare alla soddisfazione di dette Messe, dovrà farle celebrare da altro Sacerdote in quella quantità mancante, in corrispondenza di tutti li annuali frutti.* Nisi Codicillans profecto ampliorem, ultra quotidianam, voluisset Missarum numerum, supervacua fuisset declaratio, *e non potendo egli arrivare &c.*; nam unus Capellanus celebrare per se ipsum potuisset Missam quotidianam. Resque luculentior fieri videtur ex volita redundantium Missarum celebratione *in corrispondenza di tutti i frutti annuali*; & ex hac addita declaratione post injun-

junctum onus Missæ quotidianæ. Obligationem tamen hanc celebrandi Missas per alium Sacerdotem *in quella quantità mancante, in corrispondenza di tutti li annuali frutti*, ita per Oratorem interpretari refert Episcopus, quia Fundator nempe *optime sciebat, primum ejus Capellanum nominatum teneri ad alia Missarum onera ratione capellaniæ, quam possidebat*. Quamquam hujusmodi interpretationi resistunt codicilli, in quibus expresse Fundator loquitur de Capellano *pro tempore*.

Ex ipsis contra codicillaribus tabulis deduci potest, de una Codicillantem solicitum fuisse Missa quotidiana, etiamsi censuales fructus excessissent summam scutorum 72. In casu siquidem, *che li frutti annuali di detti censi tutti non fossero pervenuti ad una tal somma di scudi* 72., jussit, quod *IN TALE STATO DI COSE il detto Rettore, o Cappellano pro tempore, come in detto testamento viene dichiarato, sodisferà il legato celebrando per quella somma esistente*. Quum hoc ipsum igitur disposuerit *in tale stato di cose* tantum, & non disposuerit in altero, quem prævidere poterat, casu augmenti fructuum, non obscure significasse videtur, unam tantum in hoc casu voluisse Missam quotidianam, ut Episcopi testimonio, vivens etiam declaraverat ejus amicis, *quibus communicabat suam intentionem*.

Cæterum si attendatur relatio Episcopi, de tenui agitur unius scuti augmento supra summam scutorum 72. ad annum 1793. Si ipsi vero deferatur Oratori, nunc quidem augmentum est scutorum octo; sed tribuendum testatur Episcopus illius industriç, dum sortem census scutorum 200., extincti absque onere reinvestiendi, in altero favore capellaniæ occupavit censu: quibus in terminis gravandus non videretur altero Missarum onere ultra quotidianam, ex sententia *Pasqualigi de Sagrific. nov. leg. quæst.* 178. *num.* 3. Potissimum si ratio habeatur tum onerum cameralium, quibus capellaniæ census gravantur in annuis scutis duobus circiter, cum stipendii exactoris censualium fructuum, atque expensarum litium contra morosos eorumdem censuum debitores. Illudque denique ponderandum, quod celebratio Missarum ad ratam fructuum valde incommoda esset Capellano ob necessitatem subducendi

quotannis dictorum fructuum, atque expensarum rationem, ut justa proportione Missas celebraret; ideoque opportunius videri posset, celebrationem statuere in Missa quotidiana, de qua fundator capellaniæ sollicitus fuit.

Quoad secundum Dubium vero, celebrandæ viderentur Missæ ad eleemosynam obolorum 15. pro qualibet in casu imminutionis reditus infra summam scutorum 72., tum ex testamento, in quo expresse statuitur eleemosyna = *a ragione, e computo di bajocchi quindici*, cum ex codicillis, in quibus augetur eleemosyna ad obolos viginti in casu dumtaxat, quod ascenderet reditus ad scuta 72. Ponderanda tamen sunt ea codicillorum verba = *allorche l'entrata giungesse, giunta, e pervenuta fosse in tempo della mia morte a scudi 72.*. Si enim per auctum reditum ad scuta 72. tempore obitus codicillantis purificata fuit conditio illa = *allorchè l'entrata giungesse in tempo della mia morte a scudi 72.* = firma remanere videretur codicillaris dispositio, in casu etiam quod minuerentur deinde reditus infra eamdem summam scutorum 72., nec amplius fortasse reviivisceret dispositio testamentaria, semel per purificationem illius conditionis sublata. Maxime quia post auctam in codicillis eleemosynam ad obolos viginri, prævidit Testator, quod attingere non posset reditus summam scutorum 72., nec eam tamen expresse revocavit, vel minuit.

Deliberare igitur dignentur EE. Vestræ,

I. *An pro reditu excedente summam scutorum 72. tot aliæ ultra quotidianam sint celebrandæ Missæ in casu &c.*

II. *An, & ad quam eleemosynam celebrari debeant Missæ in casu imminutionis reditus infra summam scutor. 72. in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

CA-

CASERTANA BENEFICII. Diruta Ecclesia S. Mariae in Figulis civitatis Casertæ, translatum ab ea fertur simplex illius beneficium, annui nunc reditus ducatorum 36. 52. ½ monetæ Regni, ad Altare SS. Sacramenti Ecclesiæ Cathedralis ejusdem civitatis; ac reputatum semper fuit alternativæ collationis S. Sedis, & Ordinarii, liberumque ab omni Missarum onere, de quo ob defectum fundationis, & cujuslibet adnotationis in tabella, codicibusque Cathedralis, nullum est monumentum. Reque vera beneficium illud uti liberum a S. Sede obtinuit anno 1774. Sacerdos Andreas Scolaro, nullo in Apostolicis provisionis Literis, neque in genere, neque in specie, enuntiato onere; bonaque fide, uti liberum possedit ad annum 1789., quo tandem in codicibus Curiæ episcopalis hoc invenit decretum Sac. Visitationis anni 1573. = *Accessit Rmus Episcopus ad Ecclesiam S. Mariæ de Figulis, & fuit provisum, quod in ea celebretur Missa una quolibet mense, & in singulis mensibus, in quibus incidit solemnitas aliqua B. M. Virginis, Missa dicatur ea die.* *Sess.21. cap.3. de Reform.*

Decretum hoc conscientiam turbavit Beneficiati, itaut post inutiles alias perquisitiones ad invèstigandam suorum decèssorum observantiam. Sacræ huic supplicaverit Congregationi pro abselutione a Missis non celebratis, & illarum reductione quoad futurum; precibusque ad casertanum Episcopum pro informatiane, & voto remissis, consulto Antistes ille interesse habentes, & naturæ beneficii conscios per edictum evocavit, licet nullus omnino comparuerit. Liberum propterea, ut semper fuerat, renunciavit beneficium; nec non de bona testatus fuit Oratoris fide usque ad compertum decretum anni 1573., de dubia post illud cognitum; quodque Orator ipse = *è privo totalmente di beni di fortuna, e per ascendere al Sacerdozio fù ordinato a titolo di benefizj: le di cui facoltà sono alquanto limitate, se non anche ristrette, così che per soccorrere la sua cadente Madre, ed una nubile Sorella sprovedute egualmente di beni di fortuna, e per mantenere se stesso con proprietà, e decenza corrispondente ad un Ecclesiastico, qual egli è, morigerato, esemplare, e da bene, siccome non avrebbe tanto, che bastar potesse al bisogno, così stà attualmente presso di me in qualità di Cappellano.* Quatenus vero exequendum esset

decretum anni 1573., arbitrabatur = *che il medesimo Supplicante, se non potrà godere dell' addimandata minorazione del numero, potrà ottenere per lo meno la libertà di farle sodisfare a suo piacere nel decorso dell' anno in questa Cattedrale Chiesa, tolta la prescritta tassativa legge de' mesi, e giorni in detto decreto stabiliti*. His tamen non obstantibus rescripserunt EE. Vestræ die 18. Septembris 1790. per summaria precum = *Quoad absolutionem non indigere, in reliquis non teneri*.

Haud tamen acquievit meticulosa Oratoris conscientia, iterumque nuper EE. Vestris exposuit, nonnullos esse testes, conscios oneris Missarum; & quædam in relatione Episcopi scrupolose notavit. Secundo autem per Episcopum affixis edictis, ac tribus examinatis testibus, hæc Episcopus ipse in secunda habet informatione = *Qualora pertanto voglia considerarsi il tenore delle Bolle Pontificie, siccome da queste non sembra potersi dedurre, che al beneficio suddetto siavi annesso peso alcuno di Messe, così altretanto incerto lo rendono i testimonj colle loro giurate deposizioni; ne essendovi libro di sorte alcuna, ne alcuno interessato, tenendo presente perciò quanto ebbi l'onore di riferire all' EE. Vostre nella detta mia relazione dei 24. Luglio 1790., credo, che i novi dubbj del supplicante non possono essere di remora alcuna, perche abbia a confermarsi la risoluzione dei 18. Settembre 1790.*

Unus siquidem ex testibus singulariter deponit, audivisse a decessore beneficiato Uzzo, *che il medesimo beneficio aveva la sua rendita di qualche territorio, ma che esso ne portava altresì il peso delle Messe*. Alter qui nepos est ejusdem beneficiati testatur contra, semel a Patruo audivisse = *che pel beneficio sotto il titolo di S. Maria in Figulis, non vi era peso di Messe; ma che egli ne celebrava certe per suo scrupolo di coscenza, senza dirmene il numero*. Tertius denique de facto proprio affirmat pluries se secundum intentionem ejusdem beneficiati Sacrum fecisse ad Altare SS. Sacramenti Ecclesiæ Cathedralis, ad quod translatum est beneficium. Omnes vero notitiam habere inficiantur alicujus libri, in quo descripta sit dictarum Missarum celebratio.

Res porro est de pia Missarum causa, pro qua omnis sumenda est lata interpretatio *Bordon. de legat. piis cap. 1.*

num.

*num.*125., *Staiban. centur.*1. *resol.*18. *num.*10., & *in observat. ibid. num.*14., *Polit. de legat. dissert.* 125. *num.*26. *tom.*2. Plura autem suadere possent Missarum onus, de quo quæritur; decretum scilicet anni 1573., & observantia decessoris beneficiati, qui Missarum onere gravatum dictitabat beneficium, reque ipsa Missas celebrari curavit ad Altare SS. Sacramenti Cathedralis, ad quod beneficium illud translatum est, ut unus, & alter affirmant testes. Ad ea contra advertant Eñi Patres, quæ pro exclusione sunt oneris. Deficit sane fundatio beneficii: nulla aliunde memoria est, neque in tabellis, neque in libris Cathedralis asserti oneris Missarum: reputatum semper fuit beneficium ab omni onere liberum, ac uti tale collatum fuit Oratori, nulla in Literis Apostolicis facta Missarum mentione.

Decretum vero anni 1573. unam in Ecclesia S Mariæ in Figulis præscripsit menstruam Missam, *in singulis mensibus, in quibus incidit solemnitas aliqua Beatæ Mariæ Virginis*, ea die celebrandam; sed hoc non statuit ex præexistente onere beneficii, de quo nec mentionem fecit; nec statuere forsan poterat, quod ex fundatione, vel observantia non resultabat, secund. *Garz. de Benefic. part.*1. *cap.*2. *num.*105. *Piton. de controv. Patron. allegat.*34. *num.*23., *Barbos. in jus eccles. lib.*3. *cap.*5. *num.*12., & Sacra Congregatio *in Æsina Capellaniæ* 22. *Aprilis* 1719. *ad I. Dubium*. Testes postremo formiter examinati haud fortasse concludunt; nam qui deponit de auditu a decessore beneficiato de onere Missarum, est singularis; ejusque dicto adversatur ipsius decessoris nepos, qui contrarium audivisse affirmat. Ac tertius denique testis de celebratis deponit Missis, sed celebrationem non refert ad onus beneficii.

Hæc quo ad futurum. Quo vero ad præteritam omissionem Missarum 264., in culpa videri potest Orator ob non factas prius diligentias, per quas invenit tandem decretum anni 1573., & testes; ideoque indignus absolutione. Maxime quia pauper non est; nam domum habet instructam, aliudque, præter illud, de quo agitur, possidet beneficium cum tribus pensionibus, quarum reditus ignorantur. Grave propterea ei non esset supplementum tenuis numeri Missarum 264.,

co-

eoque minus, quia omissionem, utpote Sacerdos, supplere posset per se ipsum. Veniam tamen mereri posset ob bonam ejus fidem, ad annum saltem 1789., quo invenit decretum anni 1573., ob solicitudinem in investiganda rei veritate, & ob relativam paupertatem. Testimonio enim Episcopi, alere debet Orator matrem, & sororem, fortunæ bonis destitutas.

Deliberandum itaque.

I. *An, & quomodo sit locus celebrationi, & applicationi Missarum quo ad futurum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 17. Decembris 1796. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SPOLETANA CAPELLANIÆ. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

I. *An pro reditu excedente summam scutorum 72. tot aliæ ultra quotidianam sint celebrandæ Missæ in casu &c.*

II. *An, & ad quam eleemosynam celebrari debeant Missæ in casu imminutionis reditus infra summam scutorum 72. in casu &c.*

Ad I. negative.

Ad II. affirmative ad eleemosynam obolorum 15. ad formam testamenti.

CASERTANA BENEFICII. *Sess. 21. cap. 3. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit locus celebrationi, & applicationi Missarum quoad futurum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. negative.

Ad II. provisum in primo.

BRI-

Sess. 7. cap. 9. de Baptism., & sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

BRIXIEN. DUBIA BAPTISMI, ET MATRIMONII.

Ad Dubia per brixiensem Episcopum proposita de validitate baptismi, & matrimonii Elisabethæ Pegorino, rescripserunt EE. Vestræ in Congregatione 27. elapsi Augusti = *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem*; quod nempe = *Episcopus procedat ad examen obstetricis, patrinorum, aliorumque testium, etiam de auditu, quatenus vivant, & prævia inspectione libri parochialis Baptizatorum Parochi Busi, referat, utrum in eodem adsit descriptum aliquod baptisma domi collatum, & de formula in eo describendo adhibita, trasmissis prædictis examinibus, & formula in describendo Elisabeth baptismate adhibita, nec non aliorum baptismatum domi collatorum ob mortis periculum* =

In adimplementum hujusce instructionis aliud exhibere non potuit Episcopus, quam accuratiorem patris Elisabethæ declarationem, tresque Baptizatorum formulas ex libro parochiali desumptas, ex quibus liquet, Parochum Busi a se ipso baptizatam scripsisse Elisabetham, ad differentiam aliarum, quas baptizatas dixit ab obstetrice. Declaratio patris ita se habet = *La levatrice di mia figlia Elisabetta fù certa Marina Destri pubblica levatrice di questa Città, la quale da 20., e più anni è mancata di vita. Io fui presente quando la detta levatrice pretese dar l' acqua battesimale alla bambina, ma sono certo, che l' acqua non toccò alcuna parte della stessa, che non era uscita dall' utero, come viddi ocularmente, e la levatrice non fece altro, che gettar l' acqua esternamente proferendo le solite parole = Io ti battezzo &c. La levatrice peraltro nulla mi ha mai detto di tale battesimo, nè io in quella occasione l' interpellai per mia ignoranza.*

Fù Patrino alle cerimonie della Chiesa il Signor Giovanni Battista Guarenoni. Era Droghiere in Brescia, ed ora abita in Verona, quale fatto ricercare con lettera da questo Sacerdote Giacomo Lumini, ha risposto con sua lettera, che avendo egli tenuti al Fonte battesimale cinquanta, e più figlioli, non ha memoria di un tale battesimo, cioè se il P. Curato della Parrocchia di S. Faustino di questa Città facesse il battesimo, o pure si prestasse alle sole cerimonie; ma io, che mi tra-

trovai presente posso dire con certezza, che il P. Curato in tale incontro non battezzò mia figlia, ma solo adempì alle cerimonie sulla risposta della levatrice di aver essa battezzato, ed io ignorantemente credetti, che ciò bastasse.

Formulæ autem per Parochum Busi adhibitæ in conscribendis baptismis, quæ ad rem faciunt, sunt tres sequentes.

A 23. Aprile 1767.

Francesca Brigida figlia di Giuseppe Gnali, e di Santa Ferrari sua legittima consorte, nata gli 20 a ore tre mezza, ha avuta l' acqua PER NECESSITA' dalla comadre; gli sono poi state aggiunte le altre sagre ceremonie del Catechismo da me Don Ottavio Busi V. Curato. Compadre Antonio Gnali.

A 1. Giugno 1767.

Questo dì si è data al Vescovato la nota:
Maria Giuseppa Isabetta, figlia di Gio. Francesco Pegorino, e di Caterina Soldì sua legittima consorte, nata li 30. scaduto ad ore 7., è stata BATTEZZATA DA ME D. Ottavio Busi V. Curato. Compadre il Signor Gio. Battista Guarinoni.

A 14. Giugno 1767.

Maria Maddalena, figlia del Signor Faustino Ruffoni, e della Signora Bettina Bonfabia sua legittima consorte, nata gli 21. Maggio ad ore tre di notte, ha avuta PER NECESSITA' l' acqua battesimale; gli sono poi state aggiunte le altre sagre cerimonie in quest' oggi da me D. Ottavio Busi V. Curato. Compadre il Signor Alessio Pompei di Verona.

Iterum ergo deliberandum proponitur.

I *An sit iterandus baptismus sub conditione in casu &c.*

II. *An constet de validitate matrimonii, seu potius sit renovandus consensus in casu &c.*

Ad I. negative, & acquiescat.

Ad II. provisum in primo.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

FAVENTINA IRREGULARITATIS. Semel in Congregatione 22. Novembris 1794., iterumque die 19. Decembris sequentis anni 1795. denegandam censuerunt EE. Vestræ dispensationem ab irregularitate Clerico Matthæo Rossi, qui igneam ejus fratri tradidit ballistolam, causamque dedit homicidio per eum commisso. Tertio nunc gratiam implorat Clericus, eique impense favet Episcopus faventinus. Exponit siquidem, quod *quinque fere elapsi sunt anni, ex quo Matthæus Clericus Rossi Ecclesiæ parochialis Sanctæ Mariæ in Bizzuno hujus faventinæ Diœcesis, aliquo modo auxilium præstitit homicidio a Barlaamo ejus fratre patrato. Usque ab eo tempore non modo ob facinus a fratre commissum, ejus dolorem non æquivoce patefecit, verum etiam eam vitæ rationem bonis moribus instructam exhibuit, ut prudenter argui possit, vera pœnitentia ductum mores composuisse, & vera vocatione ad majores ordines adspirare. Interea ad Sacramenta Sanctissimæ Eucharistiæ, & Pœnitentiæ frequenter accessit, scientiæ Theologiæ moralis sedulo incubuit, Ecclesiæ propriæ omni cura inservivit, ita ut de illius emendatione plurima, & constantia indicia præbuerit.*

Et suum votum in hæc aperit verba = *Quum itaque per integrum quinquennium ejus pœnitentia steterit, & non obstantibus repetitis istius Sacri Tribunalis repulsis suam constantem ad Sacerdotium ascendendi voluntatem ostenderit, vitamque ecclesiastico dignam duxerit, cumque illius Parochia tam Sacerdotibus indigeat, ut eamdem ad præsens Parocho orbatam, præter Æconomum, de alio extraneo Sacerdote, qui ad curam populi incumbat, providere debuerim, ex quo late extensa, & difficilis ob quantitatem, qualitatemque parochianorum est; Oratorem dignum, cui ab isto Sacro Consessu petita concedatur dispensatio, existimo.*

Quæritur itaque.

An sit standum, vel recedendum a primo, & secundo loco decisis in casu &c.

In decisis.

PRÆ-

PRÆNESTINA MONUMENTORUM. Archidiaconus, & Canonici octo prænestinæ Cathedralis de antiqua dicuntur *communi massa*, & de numero, qui præter communes proventus, distincta prębendæ titulo possident prædia; reliqui *supranumerarii* de jurepatronatus laicorum ex fundatione, & dotatione, qui particulares omnino, & proprios habent reditus, ut ex *decis.* 98. *Panimollæ*. Mos autem est in eo Capitulo, ut quamlibet vacantem communis massæ præbendam optet Canonicus senior; novissimeque per obitum Canonici *Bernassola* optavit Canonicus Stephanus *Adjutorj* illius canonicatum. *Sess. 25.cap.6. de Reform.*

Ex vulgata fama, quod antiqua in prædiis Capituli recondita essent monumenta, facultatem a Canonicis *uti universis* obtinuit Gavinus Hamilton = *di far cavare in qualsivoglia sito*, sub hac presertim conventione, quod teneretur = *di pagare al sudetto Reverendissimo Capitolo la terza parte della valuta di tutta quella roba, che si troverà in detti scavi tanto di scultura, che di marmi preziosi, bronzi, colonne &c. fatta che sarà la stima da due periti da eleggersi uno per parte*. Pluribus hinc huc illuc factis inutilibus cavis, invenit tandem Hamilton in prædio prębendæ Adjutorj, nuncupato *di S. Maria*, nonnullas statuas, vetustaque monumenta valoris scutorum 900., quorum tertiam partem inter se diviserunt Canonici antiquæ massæ, uno contradicente Canonico Adjutorj.

Ex jure idcirco coram prænestino Vicario generali adversus Sodales egit Canonicus Adjutorj pro restitutione divisæ pecuniæ, ejusque occupatione favore suæ præbendæ; obtinuitque decretum, in quo Judex *dixit, & declaravit, pretium retractum ex venditione simulacrorum repertorum in terreno præbendæ Instantis investiendum esse ad incrementum, & utilitatem ipsius præbendæ, & illius possessoris pro tempore*; & *pro hujusmodi effectu mandavit, idem pretium nulliter inter Canonicos ANTIQUÆ MASSÆ partitum, restitui, & deponi in Sacra Æde ad effectum investiendi, ut supra*. Delata vero ad Sacram hanc Congregationem per Decretum *R. P. D. Auditoris Sanctissimi* appellationis Causa, duo nunc disputantur Dubia; unum nempe super restitutione pretii simulacrorum; alterum super illius investimento.

Valde *super primo* Capitulum, seu Canonici antiquæ massæ insistunt syngraphæ exaratæ cum Hamilton. Facultas siquidem excavandi ab universis tributa fuit Canonicis, inter quos Canonicus Adjutorj, & ab ipsis expresse conventum, ut tertia pars pretii monumentorum solveretur Capitulo, non autem possessori prædii, in quo inventa fuissent. Inde autem infert Capitulum, quod etiamsi jus aliquod esset Canonico Adjutorj ad monumenta inventa in prædio ejus præbendæ, illud tamen amisit per conventionem solvendi Capitulo tertiam ejusdem pretii partem. Æquum vero dicit hujusmodi pactum; nam ob incertitudinem loci, in quo reperta fuissent monumenta, spem Canonicus Adjutorj habuisset consequendi suam portionem a Capitulo, quatenus illa in fundo alterius præbendæ effoderentur.

Plura adversus hæc notat Canonicus Adjutorj: sed hoc potissime animadversionem meretur, fieri debuisse contractum cum universo Capitulo ob incertitudinem inveniendi monumenta in prædiis unius potius, quam alterius præbendæ; ideoque indefinitam obligationem Hamilton illius dumtaxat favore, adimere non potuisse proprium jus Præbendario, in cujus distincto, & a massa communi separato fundo eadem inventa essent monumenta. Obligatio siquidem illa intelligenda est *congrua congruis* referendo, facta scilicet favore ejus Capitularis, in cujus prædio futura essent monumenta. Quæstionem de cętero agunt Capitulum, & Canonicus Adjutorj, num ea sit ipsius Adjutorj præbenda, ut monumenta in distincto ejus prædio inventa, ad illam potius, quam ad Capitulum pertineant.

Apud se Capitulum esse contendit dominium præbendarum antiquæ massæ, eo quod distincta cuique Præbendario assignavit prædia, ut ex se ipsis perciperent illorum fructus, firmo remanente dominio concedentis. Idque probat ex illarum descriptione in proprio inventario, & ex sumptibus factis pro conservandis earumdem præbendarum bonis, ut nonnulli deponunt testes. Atque hinc concludit, quod, quum statuæ, aliaque antiqua monumenta æquiparentur thesauro, ut dixit *Rota coram Manzaned. decis.* 257. *num.* 1., & *seqq.*, & *in Romana Monumentorum* 24. *Martii*, & 23.

& 23. *Junii* 1786. *utrobique* §.2. *coram R. P. D. Resta*; sibi idcirco tribuere nequit Canonicus Adjutorj tanquam simplex usufructuarius prædii *di S. Moria* pretium monumentorum, de quibus agitur; nam ex dispositione Juris non participat usufructuarius de thesauro per *Text. in leg. unic. Cod. de thesaur.*, *Perez in Cod. lib.*10. *tit.*15. §.7., *Voet. in Pandect. lib.*41. *tit.*1. §.12., *Castil. de usufruct. cap.*37. *num.*20., *Schneid.* §. *thesauros num.*8. *institut. de rer. divis.*, *Carpzov. part.*2. *cap. ult. def.*6.; isque ratione dominii debetur domino fundi ex *cit. leg. unica Cod. de thesaur.*

Excipit contra Canonicus Adjutorj, assignata initio fuisse cuique præbendæ distincta prædia per veram, perpetuamque illorum *dismembrationem* a communi massa, itaut translatum fuerit illorum dominium in Præbendarios, ejusque ratione inducta sit optandi consuetudo; *Piton. discept. eccles.*17. *num.*4., proindeque ex juribus ipsis per Capitulum deductis ad propriam præbendam pertinere, quod in ejus fundo inventum est; eidemque præbendæ reddendum esse a Capitulo, quod sine titulo percepit ad *Text. in leg.*2. §. *item ff. ob turp. vel injust. caus.*, *&* *in leg. Si tutor.* 5. *ff. de tutel.*, & *ration. distrahend.*, & *Rot. coram Olivat. decis.*14. *num.*4.

Quo ad *secundum* vero quærendum, num in casu etiam, quod monumentorum pretium pertineat ad Capitulum, recte illud inter se partiti fuerint Capitulares, vel investiri potius debeat favore massæ communis; & num in altero casu, quod debeatur præbendæ Adjutorj, ejus quoque favore investiri debeat. Thesaurus siquidem, & pretiosa monumenta, non sunt in fructu, ut declaravit *Rota in cit. Romana Monumentorum* 24. *Martii* §.5., *&* 23. *Junii* §.3., ideoque neque a Capitularibus, neque a Canonico Adjutorj in proprium converti posse videtur usum, quod Hamilton solvit, sed investiendum esse vel favore communis massæ, vel favore præbendæ Adjutorj, ad quam fortasse tanquam *distinctam*, pertineant pretiosæ suorum prædiorum accessiones, *Fagnan. in lib.*1. *Decretal. cap. cum M. ferrariensis de constit. num.*2., & 4., *Piton. discept. Eccles.*17. *num.*4. & *seq.*, ad exemplum thesauri inventi in fundo dotali, qui ipsi accrescit doti *ex leg.*7. §. *Si fundum ff. solut. matrim.*

Ut

Ut se altera ex parte eximant Capitulares ab obligatione investiendi jam divisam pecuniam, ex jure sustinent, thesaurum, aliasque res pretiosas inventas in agro, non ad beneficium, sed ad illius Rectorem spectare; secundum *Peregrin. de jur. Fisc. lib.4. tit.2. num.7.*, *Oinot. instit. de rer. divis. §. thesaurus num.8. in fin.*, *Guttier. pract. quæst. lib.4. quæst. 36. sub num.46.*. Afferuntque exemplum divisi pariter inter ipsos pretii stylobatis, vulgo *piedistallo*, superioribus annis inventi in prædio ejusdem præbendæ, quam possidet modo Canonicus Adjutorj. Ponderare tamen dignentur Emi Patres, quod citati *Auctores* neque includunt, neque excludunt in beneficiato obligationem investiendi, quod ei ex invento thesauro debetur, & fortasse intelligendi sunt de illius portione debita beneficiato in utilitatem beneficii, ut sentire videtur *Ferrar. in biblioth. verb. dominium num.28.*, ibi = *Thesaurus ex industria quæsitus in loco sacro, vel religioso, inscio, vel invito Prælato, fit ipsius Prælati, VEL ECCLESIÆ: ex consensu autem, vel fortuito repertus, dividendus est pro medietate inter inventorem, & Prælatum, SEU ECCLESIAM*. Exemplum vero stylobatis tenuissimi pretii unius, & alterius scuti, ad præsentem fortasse trahi nequit casum, in quo de monumentis agitur pretiosis.

In deliberationem igitur venit.

I. *An sit locus restitutioni pretii simulacrorum, de quibus agitur in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, quomodo, & cujus favore idem pretium sit investiendum in casu &c.*

Ad I. Affirmative; & ad cauthelam Canonici massæ antiquæ consulant conscientiæ suæ, & amplius.

Ad II. Affirmative favore massæ antiquæ, & ad Eminentissimum Episcopum pro executione, & amplius.

FIR-

FIRMANA EMPHYTEUSIS. Emphyteusis bonorum unius, & alterius beneficii B. Virginis Lauretanæ, & S. Joannis Evangelistæ, quæ possidet Sacerdos Lucius Clavari in priorali Ecclesia castri Lapedonæ, & locare consueverat pro annuis scutis 26., deliberata primum fuit Vincentio Gratiano pro annuo canone scutorum 86. 80. sub conditione = *che tutti gli alberi esistenti in detti beni debbano stimarsi prima della concessione, e che del capitale ne sia sempre l'enfiteuta obbligato a favore dello stesso beneficio* =. Superventis deinde oblationibus vigesimæ, & sextæ omnes vicit sextarius Gregorius Ruggeri, qui canonem evexit ad scuta 150. Qua de re ad Dubium = *An, cujus favore, & a quo tempore sit locus stipulationi instrumenti emphyteusis* = in acerrimo oblatorum conflicta rescripserunt EE. Vestræ die 11. Maii 1793. = *Affirmative favore Rugieri, incipien. finita quacumque legitima locatione, necnon præfigendum esse terminum unius mensis Gratiano ad deliberandum super prælatione* = Iterumque die 7. Septembris ejusdem anni = *In decisis, & amplius*.

Ses. 25. cap. 11. de Reform.

Plurimæ in bonis emphyteuticis sunt cæduæ arbores, quæ huc illuc dispersæ, nocent potius agrorum culturæ. Prius idcirco Rugerius emphyteuta, deindeque beneficiatus Clavari EE. Vestris supplicarunt pro facultate eas incidendi ad effectum occupandi pretium in censibus, vel bonis stabilibus, cum reservatione fructuum novi capitalis favore emphyteutæ in compensationem excessivi canonis, favitque firmanus Archiepiscopus instatiæ. Retulit siquidem, judicio Periti ex officio electi, incidendas arbores *fere esse infructiferas; sed potissimum fundis, ubi inhærent prorsus obnoxias*. Immo *etiamsi hujusmodi naturæ arbores ipsæ non forent, prosternendas nihilominus esse. Maxima enim ex parte, quum sparsim jaceant per eos agros, ubi nullæ sunt ædes colonorum, impunè idcirco a quolibet, sed præsertim a rusticis in proprios usus inciduntur*. Cum eodem idcirco Perito arbitrabatur, *summam esse utilitatem, si earumdem arborum pretium in rebus frugiferis comparandis erogetur. Sic enim ex duplici capite fructus quam longe copiosiores habentur, tum scilicet in agris ipsis, qui sublatis arboribus uberius excoli possunt, tum ex ipsarum arborum pretio, quod utiliori modo certissime erogatur*.

Ex-

Exposuit rursus, quod super æstimatione arborum facta a Perito in scutis 1789. 70. affixis edictis, tres divisim datæ fuerunt oblationes, quæ summam in unum constituebant scutorum 1839. Et suum votum in hæc aperuit verba = *Agitur ergo de evidenti, immò de summa utilitate, ac propterea, quum is, qui emphyteuta bonorum est, huic incisioni, quæ multum sibi prodest, assentiatur, nil reliquum est, quam, ut EE. Vestræ oratoris preces excipiant, & juxta oblatorum syngraphas salvo jure vigesimæ, & sextæ rescribant. Pretium tamen oblatum in Æde Sacra deponatur, quousque vel in censibus, vel in aliis rebus fructiferis acquirendis occupetur*. Hinc EE. Vestræ die 20. Februarii labentis anni rescripserunt = *Pro facultate arbitrio, & conscientiæ Archiepiscopi favore majorum oblatorum, & ad formam oblationum pro scutis in totum 1839., salvo jure vigesimæ, & sextæ, & cum onere deponendi pretium, & reinvestiendi cum solitis clausulis, & cum reservatione fructuum favore beneficiati*.

Reservatio autem hæc fructuum favore beneficiati non arrisit Rugerio emphyteutæ, pluribusque idcirco in novo memoriali adductis rationibus, denuo pro illorum reservatione sui favore supplicavit; atque in secunda informatione æquam, & justam firmanus Antistes censuit instantiam. *Eam*, inquit, *ob causam tam enormis pensio* [scutorum 150.] *fuit exhibita, quia, quum prædia ipsa ingenti arborum copia redundent, ita imprimis per earum recisionem eadem prædia utilius excoli potuissent. Deinde cum inter pacta fuerit statutum, ut emphyteuta, quicumque foret, de earumdem arborum pretio refundendo finita emphyteusi dumtaxat teneretur, idcirco sibi quisque proposuit, pretium ipsum in utilioribus rebus occupare posse, fructusque exinde obvenientes in sui commodum, durante ipso emphyteusis contractu lucrari*.

Hoc sane fuit pactum, & hæc oblatornm mens. Alias namque certum foret, singulo quoque anno emphyteutas detrimentum subituros. Executionem ergo hujus pacti postulat Rugerius, in cujus commodum, quemadmodum hoc tempore arborum fructus plene cedunt, ita & cedere debent ii, qui ex pretio in frugiferis rebus erogando promanabunt. In vim enim pacti, quod repetitum fuit in instrumento, ad nil aliad, quam ad arbo- rum

rum pretium restituendum finito contractu obstringitur, & hac de causa idoneum quoque dedit fidejussorem.

Hæc de justitia habuit petitionis; hæc alia vero de æquitate = *Ea abnormis pensio fuit a Rugerio exhibita, propter quam æque abnormis utilitas beneficio fuit comparata. Utrumque prospiciens ejusdem beneficii Rector, non renuit auditus oratoris precibus.* Atque ita suum aperuit votum = *Censerem idcirco ut ejus votis annuere possent EE. Vestræ, ita tamen, ut pretium arborum nomine beneficii in utilioribus rebus erogetur, & cessante utcumque emphyteusi una cum prædiis ad beneficium ipsum plene revertatur.*

Ex ore Archiepiscopi audistis, Emi Patres, rationes æquitatis, & justitiæ, ex quibus obtinere confidit Rugerius durante emphyteusi fructus capitalis constituendi ex pretio arborum. Petitionis siquidem justitia suaderi videtur ex pacto oblationis Gratiani, quod suum fecit Rugerius per oblationem sextæ, nimirum = *che tutti gli alberi debbano stimarsi prima della concessione, e che del capitale ne sia sempre l'eufiteuta obbligato a favore dello stesso beneficio.* Si de uno enim arborum capitali obligatus esse debebat emphyteuta, non item de illius fructibus favore beneficii, intelligenda forsan est hujusmodi obligatio de tradenda beneficio in fine emphyteusis summa, in qua æstimatæ fuissent arbores. Idque confirmat instrumentum desuper stipulatum; nam conventum in eo fuit, *ut emphyteuta, quicumque foret, de earumdem arborum pretio refundendo finita emphyteusi dumtaxat teneretur*; Archiepiscopo teste. Reservatio igitur fructuum ejusdem capitalis consentanea videretur pacto, cujus executionem præscribit *Text. in leg. 1. §. Prætor ait, & leg. Jurisgentium ff. de pactis.*

Æquitas vero ex ipso oritur facto. Quandoquidem in dubia etiam intelligentia pacti favorem mereri posset emphyteuta, qui annuum præstat canonem scutorum 150. pro prædiis, ex quibus Beneficiatus percipere conrueverat locationis titulo scuta tantum 26. Tam insigne profecto augmentum non fecisset emphyteuta contra naturam emphyteusis, nisi spem habuisset consequendi ex capitali arborum fructus. Adversus hæc tamen adverti posset, elusoriam esse oblationem canonis scutorum 150., si concederentur emphyteutæ fructus illius capitalis. Summa namque scutorum 1839. annua

redderet scuta 73.40. ad taxam legalem; ideoque reliqua essent pro canone scuta 74. 60., scuta nempe 12. 20. infra canonem oblatum a Gratiano. Quatenus ergo EE. Vestræ aliquam adhibere velint æquitatem favore emphyteutæ, deliberare dignentur, num integri ei tribuendi sint fructus capitalis, vel eorum pars.

Quæritur itaque.

An, & pro qua summa debeantur Rugerio emphyteutæ fructus capitalis, de quo agitur in casu &c.

Affirmative in omnibus.

Sess.21. cap.7. & sess.24. cap. 12. de Reform.

ANAGNINA APPLICATIONIS, ET INDULTI ABESSENDI. Capitulum anagniensis Ecclesiæ Cathedralis Canonicis constat 21.; Beneficiatis octo. Singulæ canonicales præbendæ summam attingunt scutorum circiter 300., non deductis oneribus; reditusque Sacrarii, qui massam constituunt nuncupatam *del terzo*, ad annua fere ascendunt scuta 270. Hæc inserviunt *impensis quotidianis, quæ præsertim ad Sacrarium pertinent*. Eas tamen, cæterasque supplent pro tertia parte Episcopus ex mensa scutorum 3000. & amplius, & pro reliquis duabus partibus Capitulum. Sub initium anni 1790. datus fuit Canonico Magno Antonio Giusti in coadjutorem Diaconus Joannes Baptista Gallinari, qui tamen ad continuandum in Urbe officium expeditoris, & scriptoris Literarum Apostolicarum, obtento Indulto, nec in possessionem ivit coadjutoriæ, nec ad locum umquam accessit residentiæ. Defuncto tandem Coadjuto de mense Februario labentis anni, canonicatus possessionem adeptus fuit Gallinarius per procuratorem subsequenti mense Junio. Statim vero oblata ei fuit occasio continuandi moram Romæ, quin canonicatum dimitteret.

Grave ex ictu fulminis acceperat detrimentum campanaria turris Ecclesiæ Cathedralis, & primo Fabrimurarii judicio requiri videbatur ad eam restaurandam summa scutorum 700. Quum impar propterea operi esset massa *del terzo*, facultatem a Sacra Congregatione Episcoporum

rum & Regularium impetrarunt Canonici contrahendi pro ea summa fructiferum debitum: sed inchoato opere deprehensum fuit, alia ad illud absolvendum, præter scuta 700., requiri scuta 250. Ad hunc igitur supplendum majorem sumptum rogarunt Canonici Gallinarium, ut ad biennium dimitteret fructus ejus canonicatus, & ipsi vicissim consensum præstarent pro illius absentia a choro, & loco residentiæ durante biennio; & sub hac conditione annuit Gallinarius petitioni, injuncta insuper Capitulo obligatione adimplendi onera canonicatus. Re ita inter ipsos composita, Sacræ huic Congregationi supplicarunt Canonici pro approbatione conventionis, sive approbatione dimissionis fructuum canonicatus favore fabricæ, & indulto abessendi a choro, & residentia favore Canonici Gallinari dimittentis; auditoque de more Episcopo, rescriptum prodiit negativum sub die 23. Aprilis 1796. At non acquiescente Capitulo, mense Junio ad EE.VV. rediit pro utraque obtinenda gratia.

Testator siquidem Episcopus de necessaria impensa scutorum 950. ad restaurandam turrim campanariam; quodque ex facultatibus Sacrę Congregationis Episcoporum & Regularium jam alienum creatum est æs scutorum 500.; ita ut ad perficiendam opus alia requirantur scuta 450., pro quibus impares esse ait reditus Ecclesiæ, & Sacrarii, qui *ne pares quidem sunt annuis ordinariis impensis, adeout Episcopus & Capitulum suo ære quovis anno præstare debeant fere scuta* 300., *ut necessarii sumptus fiant*. Æquam hac de causa censet applicationem redituum canonicatus Gallinari, nec raro pro fabrica Ecclesiæ dilatas affirmat Episcopatuum, & Parochiarum collationes. Eo magis, quia res est de simplici canonicatu, *cujus defectus per annos duos nullum omnino detrimentum inferre cuiquam potest. Non enim Canonicus curam habet animarum, & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ ananiensis constat Canonicis* 21., *atque octo Beneficiatis; ideoque si unus absit, nullam Ecclesiæ servitium jacturam faciet*.

Quo vero ad indultum abessendi notat, concessam fuisse Gallinario coadjutoriam cum amplissima clausula *etiam si tempore vacationis hujusmodi dictum coadjutoris officium exercere non inceperit, aut per eum non steterit, quominus illud exercuerit*; atque hinc subsumit, facilius ei post adeptum canonicatum remittendum esse

bienne Ecclesiæ servitium, a quo per Apostolicam dispensationem immunis fuit uti coadjutor. Potissimum quia non sinit *angustia rei familiaris*, *eum deserere officium expeditoris*, *ac scriptoris Literarum Apostolicarum*, (in Urbe) *cum quo ipse vivit*, *matremque alit*, *duasque sorores*, *ac nepotem*, ut se ad residentiam conferat.

Ad reficiendas Ecclesias, quę inopia laborant, impendi permisit *Sancta Synodus Tridentina* fructus, & proventus ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentes *sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.*, hisque deficientibus a beneficiis & legatis piis petendum voluit subsidium, ut tradit *Barbosa in Conc.Trid. p.*148. *num.*6., & *Amostaz de causis piis lib.*5. *cap.* 6.*p.* 55. *num.* 26. Absurda ergo non videretur applicatio redituum canonicatus Gallinari ad restaurandam campanariam turrim Cathedralis, quæ unum constituit corpus cum Ecclesia. Ne omnes autem graventur refectionis onere, non raro Sac. hæc Congregatio suspensionem concessit canonicatus modo ad *vicennium*, *ut in Firmana Prębendæ* 26. *Martii* 1791., modo ad annos *viginti septem*, *ut in Senogallien.Fabricæ Ecclesiæ* 20. *Februarii labentis anni*, *utrobique ad I. Dubium*. Nullum autem discrimen esse ait Episcopus inter vacantem, & plenum canonicatum. Per suspensionem enim canonicatus vacantis nemini infertur præjudicium, nullius opus est consensu; atque hoc ipsum procedit in canonicatu pleno, cujus possessor convenit, ut illius fructus in utilitatem convertantur Ecclesiæ.

At ponderare contra dignentur Eminentissimi Patres, primo quod non agitur in casu nostro de simplici fructuum cessione in restaurationem turris campanariæ, quæ consentiente Canonico licite fieri potest; sed de conditionali, & quasi per contractum, quæ proinde simoniaca labe forsan immunis non est. Ad se enim redimendum a residentia, & servitio chori, quod est quid spirituale, temporales cedit fructus Canonicus; & vicissim Capitulum, ut se redimat a contributione fabricæ, consensum præstat exemptioni a choro, & residentia. Secundo quod agitur non de applicatione fructuum canonicatus, sed de concessione indulti abessendi a residentia, & choro Ecclesiæ Cathedralis ad effectum applicandi fructus in restaurationem turris campanariæ. Necessaria igitur, aut Ecclesiæ utilis concurrere debet causa. Duę sunt primæ causę extrema, necessitas

nem-

nempe restaurationis, & impotentia eorum, ad quos de jure spectat restauratio.

Licet autem ex ore Episcopi constet de necessitate restaurationis, impotentia tamen eorum, ad quos spectat restauratio, non verificatur. Agitur quippe de restauratione Ecclesiæ Cathedralis, quæ de jure spectat ad Episcopum & Capitulum, ubi nullus, aut insufficiens sit reditus fabricę: idque Episcopus ipse fatetur. Refert enim, quod *suo ere quovis anno præstare debeant* (Episcopus pro tertia parte, & Canonici pro duabus reliquis) *fere scuta* 300., *ut necessarii sumptus fiant*. Jam vero pingues sunt canonicales præbendæ, dum annuam singulæ attingunt summam scutorum circiter 300., pinguiores reditus mensæ episcopalis, qui scuta excedunt 3000. Dici ergo nequeunt impares restaurationi, qui pluries de cætero ad hæc tempora onus illud sustinuerunt. Quid autem dicendum, si ne grave quidem ipsis esset de proprio contribuere necessarium sumptum? Ad perficiendum turris campanariæ opus necessaria adhuc sunt scuta 450. Tertia pars, quę spectat ad Episcopum, est scutorum 150. Hæc *quinquennio* dimitti posset per annuum depositum scutorum 30., quibus si addantur interim ejusdem partis fructus scutorum sex ad taxam legalem, in unum Episcopus contribueret annua scuta 36. Reliquæ duę partes scutorum 300., quę incumbunt Capitulo, dimitti pariter *intra quinquennium* possent per annuum cujusque Canonici depositum scutorum 2. 90., & pro eorum fructibus alii singulis Canonicis quotannis obtingerent oboli 57., ideoque in unum Canonicus quisque contribueret pro sorte, & fructibus ad breve *quinquennii* tempus annua scuta 3. 47., nulla habita ratione Beneficiatorum, quibus ut par est concurrentibus, annuum imminueretur etiam singulorum depositum. Exulat ergo in nostro casu necessaria causa. Sed exulat quoque utilitas Ecclesiæ. Non agitur enim de restauratione facienda, quæ certo fieri debet, & fiet, sed de modo supplendi sumptibus. Jam vero si ex Episcopi & Capituli contributione perficietur opus, nullum damnum Ecclesiæ; si ex fructibus canonicatus Gallinari, Chori servitium nisi absolute, saltem respective detrimentum patietur.

Quod si quandoque S. C. ad restaurandam Ecclesiam suspensionem concessit beneficii, aut canonicatus, id fecit ex causa necessaria, aut Ecclesiæ utili, & vacante beneficio. Sed in nostro themate neque vacatio con-

cur-

currit beneficii. An, & quæ autem vacans inter, & plenum beneficium intercedat differentia, EE.VV. decernent. Satis hic erit adnotare, quod beneficio vacante, nem ad residentiam, & servitium chori tenetur; beneficio pleno Canonicus de jure ad utrumque obligatur; et quod in primo casu non est necessarium abessendi indultum, in secundo requiritur.

Notandum demum, quod integra impensa ascendit ad scuta 950. Pro scutis 700. fasces submiserunt Episcopus & Capitulum obtinendo a S. C. Episcoporum & Regularium licentiam creandi æs alienum. Differentia ergo est scutorum 250. tantum. Ad cumulanda autem scuta 250. indultum petunt ad biennium, ex quo fructus retraherent scutorum 600., ad opus exhuberantes.

Quatenus autem EE. VV. admittendam non esse censeant applicationem fructuum canonicatus Gallinari in restaurationem turris campanariæ, quam cum tenui incommodo explere valent Episcopus, & Capitulum ad eam obligati, jam nullam Canonicus Gallinari haberet causam abessendi a loco residentiæ contra dispositionem *Sac. Concilii Tridentini sess.24. cap.12. de reform.*, quæ ad residentiam obligat Canonicos Cathedralium. Nullum quidem Cathedralis Ecclesiæ servitium per ejus absentiam pateretur absolute jacturam, *non enim Canonicus curam habet Animarum*, & *Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Ananiensis constat Canonicis 21., atque octo Beneficiatis*, ut in hæc verba observat Episcopus; & concurrit consensus Capituli Canonici, & Gallinari; sed ponderandum, quod per unius Canonici absentiam respectivum aliquod choro infertur præjudicium, & quod consensus Capituli, & Gallinari satis forsan non est ad obtinendum indultum abessendi a residentia, & choro, nulla concurrente causa necessaria, aut Ecclesiæ utili; & beneficio pleno, non ad vacandum studiis, sed ne Gallinarius deserat officium expeditoris, & scriptoris Literarum Apostolicarum in Urbe, & non ad rem utilem Ecclesiæ, sed sibi, singulis divitibus Canonicis, Beneficiatis, & Episcopo gerendam, quod novum esset exemplum.

Deliberandum itaque.

An

An, & quomodo sit locus applicationi fructuum canonicatus Gallinari, itaut sit concedendum indultum abessendi a residentia, & choro in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

LUCERINA IRREGULARITATIS. Ut salutis causa venatum iret, mutuo accepit Acolythus Vincentius Radago ab ejus amico igneam ballistam, illius assertione vacuam: sed dum ei mense Decembris 1790. ad suæ domus fenestram deficiens aptabat igniarium, inopinata ejusdem ballistæ explosione vulneravit iu opposito solario ancillulam medici Joannis Baptistæ Perrone, ejusque filiolum annorum quatuor Franciscum Antonium, quorum altera post nonnullos dies convaluit, alter occubuit. Per sententiam idcirco lucerinæ Curiæ episcopalis pulsus fuit trienni exilio ab oppido Apricenæ ejus patria, & loco delicti; atque expleta pæna, supplicat modo pro dispensatione ab irregularitate. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Testatur autem lucerinus Ordinarius = *In ordine alla vita a costumi dell' Oratore, che il medesimo è stato, ed è di tutta morigeratezza, ed applicato alle belle lettere, ed all' adempimento de' doveri ecclesiastici, senza essersi unque mai intesa del sudetto cosa alcuna di scandalo, o che offendesse il buon costume. All' incontro in quella Chiesa di Apricena, di cui è nativo, vi è un estremo bisogno di Sagri Ministri per il convenevole culto di Dio, e decoroso servizio della Chiesa, e necessario comodo, e vantaggio di quelle anime, che ascendono colà al numero 3300. con soli 12. Preti, di modo che, se si dia il caso, che muoja uno di quelli Partecipanti, non vi è chi possa surrogarsi per compiere il numero di quel Collegio capitolare* = Ac suum votum in hæc aperit verba = *Quindi in tutta buona coscienza son di parere, che possa cotesta Sagra Congregazione del Concilio senza veruna esitazione benignamente accordare all' oratore Accolito Vincenzo Radago la dispensa dalla irregolarità incorsa per il descritto*

to omicidio, mero involontario, e casuale; ed atteso il di lui buon costume, ed indole ecclesiastica, ed attesa la necessità, ed utilità di quella Chiesa, abilitarlo ad ascendere ai Sagri Ordini.

Causam dedisse videtur Orator homicidio ob eam non adhibitam diligentiam, quam prudens quisque adhibuisset in perscrutanda ignea ballista, impleta nec ne esset pulvere tormentario, plumbeisque globulis, priusquam de ea periculum faceret; ideoque irregularitatem fortasse contraxit, a qua immunis non est, qui remotam etiam causam dat homicidio casuali, ex *Can. hi, qui arborem distinct.* 50., in cujus summario legitur = *Homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit* = Satis diligens contra fuisse censetur, dum a domino igneæ ballistæ certior fieri voluit de illius vacuitate, ut refert Ordinarius. In his sane terminis dubitari posset de contracta irregularitate; nam levissima culpa non exploratæ igneæ ballistæ, quam ejus dominus asserebat vacuam, censeri forsan nequit causa ordinata ad homicidium, quæ voluntarium reddat effectum, ex *Cap. quæsitum de penit.*, & *remiss.*, *Fagnan. in cap. si constiterit de accusat.*

Quatenus vero EE. Vestræ irregularem censeant Oratorem, deliberare dignentur de dispensatione. Ei quidem obstare posset *Sacrum Concilium Tridentinum sess.* 14. *cap.*7. *de reform.*, dum ad Sacros Ordines promoveri prohibet simplices Clericos homicidas. Notandum tamen, quod *Tridentina ipsa Synodus* a rigida ejus censura homicidium excipit casuale, quale ordinarius dicit illud commissum ab Oratore. Et animadversionem quoque merentur consensus a Parte præstitus, pæna ab Oratore passa, lapsus sexenii a patrato homicidio, & quæ demum de bonis ejusdem Oratoris moribus, & de necessitate Ecclesiæ Apricenæ idem refert Episcopus. Hisce sane, & similibus de causis indulgens fuit Sacra hæc Congregatio Clericis homicidis pro dispensatione ab irregularitate in *Caducen. dispensationis ab irregularitate* 16. *Maii* 1789., & *in Urbevetana Irregularitatis* 20. *Martii* 1790.

Deliberandum igitur.

An

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

CASALEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Insuperabiles fere antiquitatis tenebræ piis offusæ sunt Missarum legatis, quibus gravatur parochialis Ecclesia Sancti Laurentii oppidi Liburni casalensis Diæcesis. Juxta sumptum vero de antiquo, maleque conscripto sumpto, indicans tamen testamenta, & instrumenta, numerum illa attingunt 35., quorum pleraque in hebdomalibus consistunt Missis 34., reliqua in uno, & altero anniversario, menstruis Sacris septem, aliisque secundum vires capitalium: videlicet juxta ordinem sumpti. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Primum hebdomadalis Missæ, celebrandæ feria II. vel immediate sequenti, relictum anno 1606. a Francisco, & Laurentio fratribus *de Rotenis*, cujus executionem commiserunt legantes Priori Societatis SSmi Sacramenti in defectum eorum lineæ masculinæ. Elemosina est scutorum *quatuor*.

Secundum hebdomadalis pariter Missæ relictum anno 1617. a Francisco *Gasperino*, eodem in executorem designato Priore. Consistit eleemosyna in scutis *decem*.

Tertium similis Missæ, ipsimet commissum executori a Joanne Maria *Garrone* anno 1620., assignata eleemosyna scutorum *octo*.

Quartum menstrui Sacri relictum anno 1630. a Georgeo *Dallera*, demandata eidem Priori executione; eique pro elemosyna sunt *ducatoni due effettivi*.

Quintum Missæ hebdomadalis ad Altare majus, relictum anno 1627. cum fundo modiorum prati circiter quatuor ab Augustino *Manfredi*, & a Petro ejus Fratre confirmatum, deindeque adnexum capellaniæ erectæ ad Altare SSmi Crucifixi.

Sextum hebdomadalis quoque Sacri ad idem Altare majus, relictum anno 1601. a Catharina *Mossa*, executore Capitulo S. Laurentii, quod amplius non existit.

Eleemosynam habet scutorum 20., seu potius 28. *sopra la Comunità di Biansè*.

Septimum Jorii *Polatto*, qui anno 1605. universalem heredem instituit Sodalitium SSmæ Trinitatis cum onere hebdomadalis Missæ ad prædictum Altare, & solvendi pro ea eleemosynam scutorum *duodecim*.

Octavum duplicis hebdomadalis Sacri ad majus ipsum Altare, relictum anno 1609. a *Blanca Eugeniæ*, quæ demandavit illius executionem Præposito extincti Capituli S. Laurentii, statuitque eleemosynam scutorum decem *di quel tempo, che facevano soldi trenta per scudo*.

Nonum alterius Sacri hebdomadalis ad dictum Altare, pro cujus fundo reliquit eodem anno 1609. Zaninus *Coppa* prædium stariorum 12., eodem executore Præposito.

Decimum hebdomadalis item Missæ relictum anno 1611. a Petro Paulo *Caresana* sub executione prædicti Capituli cum prædio stariorum 14., quod reductum deinde fuit ad modium 1. 5. 11. 5.

Undecimum Bartholomæi *Barberio*, qui pro altero hebdomadali Sacro, cujus executionem commisit Fratribus Garronetti, annua legavit scuta 16. olim currentis monetæ, assignata deinde Paræciæ in prædio stariorum 19., juxta Sac. Visitationem Episcopi Paravadossi.

Duodecimum duplicis Missæ hebdomadalis, vel quatenus non sufficerent reditus, duplicis menstruæ, relictum anno 1616. a Paulino *Nano*, executore Præposito Sancti Laurentii, pro quo erat initio eleemosyna scutorum *octo*, reducta deinde ad capitale libellarum pedemontium 115., seu scutorum rom. 23. Atque huic legato unitum est alterum Angeli Poggio, duplicis pariter Missæ hebdomadalis.

Decimum tertium Jacobi *Beccaria*, qui anno 1607. erogari jussit in celebrationem anniversarii, totque aliarum Missarum, quot haberi possent Religiosi celebrantes, juxta reditum capitalis libellarum 118., seu census cum Innocentio Garrone; designato in executorem Præposito.

Decimum quartum Antoniæ *Stroppa*, quæ pro duplici menstruo Sacro reliquit anno 1617. sub eodem executore prædium stariorum 18.

Decimum quintum Canonici Joannis *Stillio* anni 1626., hebdomadalis nimirum Missæ, & anniversarii, execu-

cutoribus Canonicis, & Præposito tunc existentis Capituli Sancti Laurentii. Pro Missa hebdomadali scuta sunt 24., pro anniversario aurei hispani nummi 20. in capitali annui reditus libellarum 15., quod juxta antiquam alteràm annotationem redactum fuit ad libellas 100.

Decimum sextum duplicis hebdomadalis Missę, & anniversarii ad Altare majus cum eleęmosina solidorum 20. relictum eodem anno 1626. a Præposito *Garronetto*, cujus fundus consistebat in capitali libellarum 160., & prædio modii 1. 1. 8. 1.

Decimum septimum Antonii *Garavoglia* duplicis hebdomadalis Sacri, ad Altare majus cum eleęmosyna *di cinque grossoni*, pro quo binas Testator anno 1627. reliquit domos. Hoc legatum quum ordinarius reduxisset ad unicam Missam hebdomadalem, Sodalitio SS$\overline{\text{m}}$æ Trinitatis executori domos legatas adjudicavit cum lege solvendi eamdem eleæmosynam.

Decimum octavum duplicis hebdomadalis Missæ ad idem Altare, & Anniversarii relictum anno 1628. a Joanne Dominico *Coppazzo*, qui pro Missis hebdomadalibus legavit prædium modiorum terreni quinque cum dimidio; pro Anniversarii emolumento onus indixit heredibus subministrandi vinum pro celebratione Missarum, & heredibus Francisci Coppazzo executionem commisit.

Decimum nonum Fratrum *Piolatti*, qui tot anno 1630. sub executione Capituli præscripserunt Missas, quot caperet cujusdam domus reditus, sin minus numerum Missarum a Præposito præfinendum.

Vigesimum Gasparis *Fera*, qui eodem anno 1630. Missam instituit sub auroram cujusque diei Dominicæ. Eleemosyna consistebat in scutis octo, & reditibus prati stariorum 29., sed reducta fuit ad fructus capitalis libellarum 110., & ad duo prædia, alterum modiorum 2. 6. 3. 7. annui reditus libellarum 6. 12., alterum stariorum 6. 10. 10. annui reditus libellarum trium; atque executor erat Præpositus.

Vigesimum primum hebdomadalis Missę, & arbitrio Præpositi, quatenus non sufficerent reditus, relictum anno 1630. sub executione Capituli a Joanne Dominico *Fera* cum prædio stariorum 19., postea reducto ad modium 1. 7. 7.

Vigesimum secundum Nicolini *Mezza*, qui pro hebdomadali Missa assignavit eodem anno 1630. libellas quatuor, domum, & pratum stariorum 14., quę reducta postmodum fuerunt ad unum pratum modiorum 1. 7. 10., in executorem destinato Antonio ejus filio.

Vigesimum tertium anno pariter 1630. reliquit Franciscus *Stillio* cum onere hebdomadalis Sacri. Eleemosyna erat scutorum 16., postmodum imminuta ad libellas 2. solvendas a Comunitate Liburni; atque executor erat Praepositus.

Vigesimum quartum hebomadalis item Sacri, relictum eodem anno 1630. a Ioanne Stephano *Berzano*. Eleemosyna erat scutorum 16., ipsomet executore Praeposito.

Vigesimu m quintum ipsius anni 1630. hebdomadalis Sacri, relictu m a Bartholomaeo *Garronetti*. Eleemosyna consistebat in censu scutorum 12., & commissa erat extincto Capitulo executio.

Vigesimum sextum Joannis Matthaei *Gallerato*, qui anno 1641. duas eidem Capitulo executori hebdomadales praescripsit Missas, & anniversarium. Pro eleemosyna erant nummi aurei Italiae, vulgo *doppie* 13. cum dimidio, necnon scuta 14., & *ducatoni* 4., quae occupata fuerunt in censu cum Communitate Liburni libellarum 86. 14., qui declaratus deinde fuit nullus; altero censu in sorte libellarum 170., aliisque duobus annui reditus libellarum 15. 15. 6., & in prato *alle mezzane* annui reditus libellarum 6. 1. 11. 1.

Vigesimum septimum Joannis Dominici *Garrone*, qui eodem anno 1641. sua omnia reliquit bona cum onere Missae quotidianae, per sex menses celebrandę in Ecclesia S. Laurentii, & per reliquos sex menses in rurali Ecclesia S. Margaritę; executore Flaminio ejus nepote.

Vigesimum octavum trium hebdomadalium Missarum, pro quibus Francisca *Cortella* anno 1608. legavit domum. Eleemosyna attingebat scuta 12., atque executor erat Michael Cortella.

Vigesimum nonum hebdomadalis Missae, relictum anno 1627. a Comino *Garronetto*, executore Michaele Carnevale, qui in divisione cum illius heredibus se ad subeundum onus obligavit. Eleemosyna erat scut. 6.

Trigesimum Guillelmi, Joannis Antonii, & Joannis Baptistae fratrum de *Montiglis*, qui anno 1695. commise-

serunt Præposito duas hebdomadales Missas [deinde reductas ad unam] Eleemosyna erat scutorum 9., sed cum ejus capitali nonnulla acquisita fuerunt bona, Præposituræ unita, quæ in altera perantiqua notula describuntur = *in un campo alla vallasse di giornate tre, che tiene la Parrochiale di S. Lorenzo*.

Trigesimum primum Gabrielis *Barbè*, qui eidem Præposito commisit anno 1698. hebdomadalem alteram Missam ex reditu prædii unius modii.

Trigesimum secundum hebdomadalis quoque Missæ, relictum anno 1617. a Petro Buronzo, suis omnibus obligatis bonis, & commissa executione Francisco Facio.

Trigesimum tertium Ludovici *Fontana*, qui anno 1640. hebdomadalem die sabbathi præscripsit Missam, omnibusque etiam diebus festis B. M. Virginis, & S. Annæ; atque in die ejus obitus anniversarium, sub obligatione omnium bonorum, & executione Petri Antonii Fontana.

Trigesimum quartum anni 1630. duplicis menstrui Sacri in Ecclesia parochiali absquè designatione Altaris, relictum a Francisco *Ricazzo* cum prædio stariorum novem cum dimidio.

Trigesimum quintum denique Josephi *Anino*, qui eodem anno 1630. tot demandavit Missas, quot caperet fructus capitalis scutorum quinquaginta, administratore Præposito.

Hæc sunt legata in antiquum commentarium relata. In altera vero antiqua pariter annotatione aliud memoratur ab illis diversum, Joannis nimirum Sandra, qui ex annuis libellis 88. tot præscripsit Missas. Est etiam tabella Missarum celebrandarum a Præposito Ecclesiæ Sancti Laurentii, in qua præter legata Canonici Stillio [num. 15.] Præpositi Garonetto (num. 16.] & Joannis Matthæi Gallerato (num. 26.) alia recensentur quinque a præmissis omnibus pariter diversa; trium scilicet hebdomadalium Missarum pro Joanne Petro Coppazzo, totidemque pro Joanne Petro Rossi; anniversarii pro Francisco Polatto; hebdomadalis Missæ pro Stephano, & Petro Verges; duplicisque hebdomadalis Sacri pro Carolo Piolatto.

Plura juxta parochialem codicem anni 1747. existebant prædia totidem legatis affecta. *Primum in via di Bianzè* modiorum 2. 6. o. 9. affectum legato Dominici Fera (num. 21.) *Secundum in Pancerola* modii 1. 5. 11. 5.

lega-

legato Petri Pauli Caresana (num. 10.) *Tertium* modii 1. 5. 5. 6. *in via di Coziano*, aliud *in via Cigliano* modii 1, 4. 9. 8., & pratum in *Mezzana* modiorum 6. 1. 11. 1. legato Joannis Matthæi Gallerato [num. 26.] *Quartum in via delle Cerese* modii 1. 1.8. 1. legato Præpositi Garronetti (num. 16.) *Quintum* modii 1, 0. 11. 4. *a S. Emiliano in via di Movardesio* legato Canonici Stillio (num. 15.) *Sextum alle Vallasse* modiorum 3. 5. 7. legato fratrum de Montiglis (num. 30.) *Septimum in Vianello* modiorum 26. 3. 7. legato Gasparis Fera (num. 20.) *Octavum in Camusandia* modii 1. 7. 3. 10. legato Nicolini Mezza [num. 22.] *Nonum della Viazza* modiorum 4. 0. 11. 4. legato Augustini Manfredi [num. 5.] *Decimum* modiorum 1. 1. 3. 2. legato Anastasiæ Parola, pro quo tot Missæ, quot reditus celebratæ fuerunt, & quod in aliis codicibus descriptum non invenitur.

In altero vero codice anni 1756. confirmantur fundi legatorum *Stillio*, *Fera*, *Gallarato*, *Manfredi*, *Caresana*, *Garronetti*, *Mezza*, *Montigli*; atque ex annuis fructibus censuum in summa libellarum circiter 344. congrua pro iisdem assignatur eleemosyna, æque ac pro legatis *Beccaria*, *Coppazzo*, *Nano*, quibus additur legatum Canonici *Ripa* hebdomadalis Missæ in aliis codicibus non expressum, & legatum Joannis *Chioccaro* incerti oneris favore Sacrarii.

In hac autem tot legatorum confusione suam Præpositi S. Laurentii moderati fuerunt obligationem ex reditu Sacrarii Ecclesię, qui in annuis consistit libellis 600. monetæ pedemontanæ, seu scutis romanis circiter 120., & celebrare hactenus consueverunt hebdomadales Missas quinque pro legatis dumtaxat *Coppazzo*, *Ripa*, & *Gallerato*, & anniversaria duo pro legatis *Coppazzo*, & *Ripa*. Ut in id vero tuta procederet conscientia, EE. Vestris supplicavit hodiernus Præpositus Joseph Maria Donnizzotti pro reductione legatorum omnium ad hebdomadales Missas sex, & anniversarium unum quolibet mense; eique Vicarius Capitularis casalensis, moderata petitione, in hæc favit verba = *Omnia per Oratorem exposita veritati nituntur; & in tali rerum statu censerem, ab EE. Vestris Reverendissimis ordinari posse celebrationem perpetuam Missarum quinque qualibet hebdomada, & anniversarium unum*

unum quolibet mense : renovata tamen legatorum tabella cum relatione nominum , & cognominum Benefactorum , instrumentorum , Missarum celebrandarum , atque anniversariorum ; communicata prius ipsa tabella huic Curiæ .

Ad rectiorem tamen rei deliberationem alia exquiri debuerunt ; num scilicet hereditates administratorum , seu executorum cogi valerent ad implenda legata ; ad quem pervenerint bona suppressi Capituli ; & num fundi legatorum , quorum implementum commissum fuit Præposito S. Laurentii , commixti fuerint cum fundis Præpositurœ ; & qualis demum esset , èjusdem Præposituræ , & Sacrarii reditus . Ad hæc igitur Vicarius ipse Capitularis rescripsit = *non existere documenta , quibus cogi possint Prior Societatis Sanctissimi Sacramenti , Prior Societatis Sanctissimæ Trinitatis , Præpositus S. Laurentii , heredes Garronetti , Coppazzo , Mezza , Garrone , Cortelia , Carnovale , Facio , Fontana , Capitulum , & Canonici S. Laurentii , saltem quoad legata ipsis respective commissa ; & quoad Capitulum , & Canonicos nil constare , quia annotationes , seu memoriæ , onera Missarum expositarum nunciantes , neque in authentica forma , neque legales dici possunt* = Addiditque , quod *Capitulum , & Canonici, qui non amplius existunt , nec bona , nec reditus in massa umquam habuerunt , sed tantum eleemosynas casuales ; imò creditur , quod in verbo Capituli intelligi debeat Sacristia parochialis , quæ tunc temporis erat sub administratione ipsius Capituli , & Sacristia ipsa habebat , prout adhuc habet proprios reditus .*

Quo vero ad Præpositum S. Laurentii constare ait = *ex aliquibus annotationibus , præcipue ex pastoralibus hujusce Diœcesis Visitationibus , inter onera parochialis beneficii , ultra Missas festivas , enumerari tantum Missam unam hebdomadalem , aliasque vigintiquatuor intra annum , quibus impletur , & de iis in precibus nulla fit mentio* = neque dici posse *bona , reditusque relictos pro iisdem incertis legatis , de quibus agitur , confusos existere cum dote parochialìs beneficii Præpositi S. Laurentii ; nam bona , quæ parochiale beneficium prædictum efformant , seorsim semper registrata apparuerunt a bonis Sacrarii parochialis , ideoque libera a quocumque onere legatorum in precibus Sacræ Congregationi relatorum .* Hisce autem oneribus unice affecta

esse

esse bona Sacrarii, *cujus reditus sunt scutorum centum, & viginti monetæ romanæ, illique impenduntur in manutentionem supellectilium, in stipendium illius, qui organum pulsat, in celebrationem Missarum sex singula hebdomada, & in unum mensuale anniversarium.* At referre neglexit de reditu Præpositura,de quo etiam requisitus fuit.

Æquum profecto non videretur, ut tot pii Fundatores priventur Missis, pro quibus certos reliquerunt fundos, certamque eleemosynam, ex *can. ultima voluntas* 13. *quæst.* 2., ii præsertim, quorum fundi in tot existebant prædiis de anno 1747., & 1756., juxta parochiales codices, neque ulla affertur probatio, quod ab eo tempore perierint. Quamvis insuper, testimonio Vicarii Capitularis, commixti non sint bonis Præpositura, qualia tamen, & cujus reditus hæc sint, silentio præteritur, itaut per illorum comparationem cognosci nequeat, num aliqua ex ipsis a legatis proveniant fundis, & num talis sit Præpositura reditus, ut in parte saltem suppleri ex iis valeat celebratio Missarum, quas decessores Præpositi inter onera retulerunt parochialis Ecclesiæ.

Si verum contra est, quod bona legata in unum coaluerint Sacrarium, aliqua concedi posset Missarum, & anniversariorum reductio, dum annui illius reditus non excedunt summam scutorum 120., longeque impares sunt tot legatorum oneri, hebdomadalium nempe Missarum 34., & menstruarum septem, præter alias secundum vires capitalium, & anniversaria. Ubi pares enim non sunt reditus, concedi solet onerum reductio; *Petr. ad constit. 7. Eugen. IV. sect. 2. num. 28. tom. 3., Fagnan. in cap. cum omnes de constit. num. 31., & Sacra Congregatio in Vigilièn. Decanatus 23. Junii* 1729. Num vero concedenda esset in nostro themate ad tenuem illum Missarum, & anniversariorum numerum, quem proponit Vicarius Capitularis, EE. Vestræ decernent. Ex reditu siquidem Sacrarii, qui plures caperet Missas, detrahenda præ cæteris censet Orator stipendia moderatoris organorum, & scoparii, quæ ipsi forsan uti Præposito Ecclesiæ incumbunt.

Deliberandum igitur.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum, & anniversariorum in casu &c.

INDEX
RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Causis in Sac. Congregatione Concilii propositis anno 1796.

A

B

C

enim

I

L

M

Pa-

dium

INDEX

INDEX CONCLUSIONUM.

Quæ adnotatæ sunt in foliis Causarum anni 1796.

CA-

meg

CAPITULUM

CLAUSURA.

CLERICUS.

CONFRATERNITAS.

EPISCOPUS.

HOSPITALE,

IRREGULARITAS.

JUBILATIO.

JUSPATRONATUS.

MATRIMONIUM.

MISSA.

MONASTERIUM.

ORDO

ORDO

PAROCHIA, PAROCHUS.


PRIVILEGIUM.

PROCURATIO,

RE-

VICARIUS

FINIS.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 13 18 05 023 1